83

S. IIII.
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMA. III
6
25 G
20 A
8-6-A-1.
Digitized by Google

Henrico 8° faceua per corpo d'impresa uno Arciero
Inglese armato all'antica col motto
Cui adhereo praeest.

Digitized by Google

Digitized by Google

RERVM ANGLICARVM HENRICO VIII. EDVVARDO VI. ET MARIA Regnantibus, ANNALES.



LONDINI,

Apud IOANNEM BILLIVM, Typographum Regium. M. DC. XXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO
PRINCIPI
CAROLO,
Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hi-
berniæ Regi, Fidei fortiſsimo
propugnatori.

LVcubratio hæc (Regum illuſtriſsime) trium Principum res geſtas complexa, ante annos plus minùs decem ſub auſpicijs auguſtiſsimi parentis veſtri in lucem prodijt; & niſi ſic prodijſſet, fatum ſuum in ipſo limine maturè inveniſſet. Impreſſoris enim incuria effectum eſt, ut minus digna eſſet quàm quæ vel à proiectiſsima audacia tanto nomini conſecrari poſſet. Oblatam nihilo ſecius qualiſcunque fuerit, aſpernatus non eſt clementiſsimus Princeps.

Digitized by Google

Vnde mihi animi iam ut eandem hanc denuo (ſed caſtigatiùs) editam, Maieſtati veſtræ virtutum paternarum æquè ac regnorum hæredi, conſpiciendam porrigam. Nulli ſane alteri poſt ſacratiſsimæ memoriæ Iacobum Regem ullo jure debebitur. Eam igitur ut clementer accipere non dedignetur M. V. obſecrat, qui eâdem fide & obſeruantiâ ſe ſuaque omnia quàm humillimè Maieſtati veſtræ dicat conſecrátque

Majeſtatis veſtræ humillimus

Sacellanus,

F. H.

Digitized by Google

AD LECTOREM PRAEFATIO.

INTER multos qui gentis noſtræ hiſtoriam Latinè perſcripſerunt, plurimorum iudicio ſolus eminet Polydorus Virgilius, non quòd multi non ſint alij qui & rectius ſcripſerint, & copioſius, ſed quod politius ille & omnium qui in hâc arenâ hucuſque deſudarunt, poſtremus. Neque enim fieri potuit, vt homo Italus, & qui iam canis aſperſus Angliam inviſit primùm (vbi Archidiaconus factus Wellenſis, non multos ante mortem annos vixerit) in rebus noſtris tradendis non erraret ſæpenumero, & multa porro ſilentio pertranſiret memoratu digniſſima, ab Anglis duntaxat ſcriptoribus lingua vernacula memoriæ commendata, cuius ignarum prorſus Polydorum extitiſſe, luce clarius meridianâ liquet. Cum igitur optandum ſit, & à plurimis impenſè flagitatum, ut noſtrorum aliquis antiquitatum peritus, Britanniæ noſtræ hiſtoriam, non tam Virgilianam reformando, quam novam efformando, id hominibus quod doctiſſimus Camdenus locis huiuſce gentis, velit præſtare. Iure quis poſſit incuſare eruditorum apud nos ſegnitiem (penè dixeram ignaviam) qui malunt maiorum ſuorum clariſſima facinora ſilentio ſepulta relinquere,

Digitized by Google

quere, adeóque patriam ſuam iuſta meritâque gloriâ quantum in ſe eſt fraudare, quam cōmentandi laborem quantulumcúnque ſuſcipere, ut ſic ſplendidiſsimarum virtutum exempla (quorū ſeges hîc nunquam non fuit copioſiſsima) debitis literarum monumentis conſignentur. Faciet hoc aliquis ſuo tempore ut ſpero. Interea verò, cunctantibus alijs, operæpretium futurum exiſtimavi, ſi ego, etſi ea facundia nunquam præditus, ut hiſtoriam conſcribere debuerim audere, (nunc verò præcipuè

—Vires ultra ſortémque ſenectæ,

cum quinquagenario maior, ſi quam ſcribendi facultatem nactus fuerim, eam deſuetudine longa amiſerim) aggrederer tamen, tribus commentariolis, trium Principum qui Henrico ſeptimo ſucceſſerunt, res geſtas, quatenus ad notitiam meam eæ pervenerunt, paucis explicare: Partim nimirum, ut digitum (quod aiunt) ad fontes intendendo, aliorum ingenia excitarem; partim, ut deſiderio aliquatenus ſatisfieret hominum exterorum, non ſine causâ querentium, hæc tempora, quibus per mille annos nulla habuimus tam inſignibus mutationibus memorabilia, à nemine tamen latinè niſi obiter fortaſſe & tanquam aliud agente deſcripta. Nam quod ad Polydorum attinet, de illis aut nihil is ſcripſit, aut pauciſsima, eáque perperam adeò & à fide hiſtoriæ aliena, ut in illa ſcriptione nihil aliud ſibi propoſuiſſe videatur, quàm Henrici octavi & Cardinalis Wolſæi acerbiſsimâ inſectatione, Reginæ Mariæ gratiam demereri, utriſque propter matris repudium pluſquam ſatis inſenſæ. Scripſi igitur amice lector, atque ita ſcripſi, ut quanquam multa in me deſiderari non negem, hiſtoriam componenti neceſſaria: nonnullis tamen hoc meum ſtudium pergratum fore confidam. Habebunt ſcriptores quaſi in unum faſciculum congeſtam materiam, unde ni fallor deſumere poſsint, quod opus nunquam intermoriturum confici. Habebunt

etiam

etiam exteri Anglicanæ linguæ ignari, unde guſtum aliquem percipiant horum temporum, donec exiſtat qui gentis noſtræ hiſtoriam, nomine maieſtatéque Britannicâ dignam, & poſſit & velit pertexere. Candorem, ſimplicitatem, veritatem eouſquè colui in hoc opuſculo, ut nihil magis verear, quàm ne mihi mei ſuccenſeant quaſi non ſatis pio, quod nimis pius eſſe noluerim. Sunt, qui principem bonum, μὴ πονηρὸν ἀλλ' ἡμιπόνηρον *eſſe debere contendunt. Hoc nemo dicit (opinor) de hiſtorico, cenſere plurimi videntur, adeo ut, vel in Deum, vel in patriam parum pius habeatur plerunque, qui in hiſtoriâ tradendâ ſaltem* ἡμιπονήρους *eſſe noluerit; quíque affirmando incerta, comperta reticendo, multa condonare affectibus recuſet, modo cum religionis veræ patriæque amore coniunctis. Quantam enimvero iniuriam veritati faciunt qui à mendacijs & falſitate ad eam ſuffulciendam adminicula emendicant? Apagite: Non habemus his opus, & ut maxime habeamus, adeo non è re noſtra huiuſmodi præſidijs inniti, ut plus damni adferat unum pium mendacium detectâ fraude, quàm emolumenti mille alia, tametſi artificioſe adeo concinnata, ut à nemine poſſint redargui. Huic rei exemplo poſſunt eſſe pontificij, quorum ementita miracula, impoſturæ, & Legendæ mendacijs contabulatis ſuperſtructæ, hoc præſtiterunt, ut iam, quantumvis vera narrantibus, nemo velit fidem adhibere. Facilè igitur paſſus ſum, ut apud me vincat (quæ invitis omnibus vincet tandem vbíque) veritas. Quod potui præſtiti. Politè ſcribere, facundè, prudenter, non potui. At verè, & fide (quod aiunt) Atticâ potui. Si uſquam lapſus ſum, error eſt, non malitia, cui candidus lector facilè (ut ſpero) ignoſcet. Id obnixè precor, Deumque ſimul Opt. Max. obſecro obteſtorque pro immenſa bonitate ſua, ut hic meus labor (quem ad alium non direxi ſcopum quàm eius gloriam eccleſiæque ſuæ vtilitatem) debitum & exoptatum à me ſortiatur ſucceſſum. Vale.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Rerum

ANGLICARVM

ANNALES,

Ab Anno Domini M.DVIII. ad Annum M.DLVIII.

LIBER PRIMVS.

FATO poſtquam functus eſt Henricus eius nominis ſeptimus, Henricus filius (quem vnicum reliquit) Walliæ Princeps, regni gubernacula ſuſcepit, duodeviginti annorum adoleſcens, multis animi corporiſque dotibus illuſtris. Erat quippe, ad ſtaturam quod attinet, procerus, facie item venuſta, & forma per omnes ætatum gradus vſquequaque plane regia, ingenio docili, & ad literas ſuapte natura ſatis propenſo; donec voluptates (quas facile ſuggerit dominationis licentia) à ſtudiis intempeſtiue auocarent; animo deinde magno, adque fortitudinis iuxta ac munificentiæ laudes aſpiranti. Hanc indolem rectorum cura excepit adeo non infœlix, vt ſi regni primordiis extrema reſpondiſſent, inter maximos omnino Regum

Henricus octavus.

1509.

1509. noſtrorum Henricus octavus haberi, iure ſuo merito debuiſſet. Neque enim temere reperies, qui, ſi annos ſpectes regiminis eius viginti priores, res, aut foris geſſerit fœlicius, aut domi prudentius adminiſtrarit, quive apud vicinos principes authoritate magis polluiſſe noſcatur. Hoc ego magna ex parte parentis prudentiſſimi & auiæ adhuc viuentis conſilio aſcribendum duco, qui amicos iuuentuti eius præficiendos curarunt, ſapientia, pietate, & vitæ integritate præſtantiſſimos, quorum nixus auxilio, ætatis lubricum prætervectus, ſcopulos, ad quos difficillimum eſt non impingere, fœliciter declinauit. Poſtquam verò ijs vel morte ſublatis, vel ita ſenio fractis, vt rebus gerendis vtiles & idonei amplius non eſſent, & eam ætatem is attigiſſet quæ verecundiam plerunque ſolet exuere, verecundiam inquam egregiæ virtutis cuſtodem: ſuo tunc ingenio vſus, in ea lapſus eſt vitia, quæ ſuperiorum temporum laudes, luxus & ſæuitiæ maculis non leuiter fœdarunt. Cæterùm ut hæc mittamus, ſuo tempore opportunius commemoranda, viri iſti tam egregij, quos conſtitutos diximus ut adoleſcenti Regi eſſent à ſecretis, fuerunt,

Conſiliarij Regij.

1 Gulielmus Warramus Cantuarienſis Archiepiſcopus & Angliæ Cancellarius.
2 Richardus Foxus Epiſcopus Wintonienſis.
3 Thomas Ruthallus Epiſcopus Dunelmenſis.
4 Thomas Hovartus Surreiæ Comes, Angliæ ſummus Quæſtor, ſiue (ut nunc loquimur) Theſaurarius.
5 Georgius Talbottus Salopiæ Comes & familiæ Regiæ Seneſchallus.
6 Carolus Somerſetus Camerarius Regius.
7 Thomas Lovellus.
8 Henricus Wiatus.
9 Edwardus deinde Poynyngus

} *Equites aurati.* (7–9)

Sepultura.

Hi poſtquam Regi defuncto iuſta funeris & exequiarum magnificè perſoluiſſent, ex ære ſolido mauſoleum porro ſtatuerunt inter Europæ ſplendidiſſima numeratum, quod tamen propter ſumptum haud ita magno conſtitit. Nam mille tantum libras in eius ſtructura impenſas ferunt. Situm id eſt Weſtmonaſterij in loco ſepulturæ, videlicet in medio ſacelli Beato Stephano

Digitized by Google

phano dicati, quod ipſe à fundamentis (opus admirabile) religioſæ pietatis monumentum iam olim excitarat. Memini me legiſſe xiiij. librarum noſtratium millibus (hoc eſt aureorum Gallicorum 26200.) nec amplius hanc molem Regi conſtitiſſe, eodémque tempore nauem inſolitæ magnitudinis ipſum fabricaſſe, à ſuo nomine grandem Henricum appellatam, quam (ſimul ac armamentis ſuis inſtructa eſt) haud minori impendio perfectam compertum eſt. Navis vero iſta vbi eſt, aut quid tibi iam præſtat ô Henrice? alterum illud opus (ut taceam cœleſte præmium) ad ſeculi vſque conſummationem tibi piæ munificentiæ buccinator erit perpetuus. Diſcite O Reges veræ gloriæ vera trophæa, non ſemper in armis & claſſibus, ſed ſæpe eaque durabiliora multo, in pijs operibus collocanda. Quærite, quærite primum regnum Dei & Iuſtitiam eius, & cætera omnia vobis haud dubiè adijcientur. Verùm ut in inſtituto curriculo progrediar, cùm regnare cœpiſſet Henricus octavus Aprilis 22. 1509. coronationis ſolennia non uſque ad Iunii diem 24. peracta ſunt. Conſiliariis interim regiis viſum eſt è reipub. futurum, ſi Rex, Catharinam fratris Arthuri non ita pridem defuncti viduam, & Ferdinandi Caſtellæ Regis filiam ducat in vxorem, neque permittat tantum pecuniæ quantum illi aſſignatum fuerat dotis nomine, quotannis ex inſula exportari. Neque vero dubitatum eſt de his nuptiis primo quoque tempore conficiendis, niſi quatenus à nonnullis ſcrupulus iniectus eſt, Vtrum firma & conſtitutionibus eccleſiaſticis congrua huiuſmodi coniunctio futura eſſet, prohiberi quippe ſacræ paginæ ſententia nonnulli dictitabant, nequis fratris ſui relictam ducat. Hoc impedimentum, bullæ Papalis omnipotentia ſuſtuliſſe viſa eſt, ut diſpenſante Iulio Pontifice, 3. die Iunii hæ nuptiæ ſydere parum fauſto celebratæ ſint, & vterque Princeps regijs ſimul inſignibus decorati, die Iohanni Baptiſtæ ſacro proximè ſequenti. Magna hæc pompa, & ingenti omnium ordinum lætitia tranſacta ſunt. Sed vt verum ſit illud Salomonis, extrema gaudij luctus occupat, à tēpore coronationis quintus adhuc dies agebatur, quando Margareta auia regis paterna, Richmundiæ Comitiſſa, vitā cum morte cōmutavit. Mulier hæc fuit ſanctiſſima, atque ob multa in remp. beneficia, perpetuæ poſterorum memoriæ cum omni honore commendanda, niſi opera ſua nunquam

1509.

Capella B. Stephani.

Coronatio.

Nuptiæ.

Digitized by Google

1509. intermoritura, laudes eius (ut ſileant ſcriptores) ſatis decantarent. Tamen ut cætera taceam, quæ ab illa in Academias noſtras collata ſunt, non poſſum non commemorare niſi ingratus ſim. Cantabrigiæ duo inſtituit collegia, vnum Chriſto, alterum D. Ioanni Euang. ſacrum, eaque prouentibus dotauit tam amplis, ut hodiè præter famulos & miniſtros, plus minus 200. ſtudioſos alant, utrique deinde Academiæ fundos reliquit non parui pretij; ex quorum fructibus ſtipendia in hunc vſque diem duobus Theologis perſolvuntur, qui ſacras literas ibidem publice profitentur. Sepulta iacet prope filium in tumulo ex lapide Lydio pulcherrimo, imagine eius ex ære inaurato impoſita.

ANNO CHRISTI 1510. REGN. 2.

Henricus 8. 1510. *Empſon & Dudleyus.*

REGIS Pater Henricus ſeptimus, aliquot ante mortem annos, legum violatarum examen per univerſum regnum inſtituit, fruſtra dicens ferri bonas leges, niſi pœnarum metu ad earum obſeruationem homines adigantur. Cum verò vix cuiquam parceretur qui criminis vel leviſſimi argueretur, quin mulctam a legibus irrogatam perſoluere cogeretur; ſaucij (ut loquitur Virgilius noſter) iſta non tam ſeueritatis quam auaritiæ tela eſſe clamitabant. Prudentiores autem muſſitabant, eò tendere hos regis conatus, partim ut coerceret ferocem populi inter factiones nutriti animum, partim ut locupletiores mulctando debilitaret, ſibique eadem opera vires ex pecunia adderet, ac munimentum aduerſus bella ciuilia (quorum aliquot nuper viderat ſcintillas) ſi forte fauilla iterum in incendium erumperet. Vtut res fuerit, multos extitiſſe conſtat, qui alios accuſando, regis aucuparentur gratiam, ſibique ſimul rem facerent: pars enim mulctæ apud nos accuſatoribus cedit. Inter alios autem, duo erant præcipui, qui cæterorum duces & anteſignani habiti ſunt. Alteri nomen Richardus Empſon, alteri Edmundus Dudleyus: Vterque iuris patrij conſultus, & propter vtilem regi nauatam operam, Iudices nuper fiſcales conſtituti. Natus fertur Empſonus Toreeſtriæ Northantonenſis pagi oppido, patre cribrorum opifice. Dudleyus etſi familia prænobili ortus, tamen fortuna uſus parum proſpera, diu cum egeſtate conflictatus eſt. At hiſce in negotijs cum aliquot menſes deſudaſſent, ad eam

evaſerunt

Digitized by Google

1510 euaſerunt vterque potentiam, vt ſummorum procerum nemo eſſet, qui eorum gratiam omnibus modis non ambiret. Mirum proinde non eſt, ſi opes ſibi accumularint quammaximas: ſed interim neque dubitandum eſt, inuidiam etiam ſimul quammaximam in ſeſe excitaſſe, quæ viuente Henrico ſeptimo etſi multum non nocuit, eo tamen extincto, vtrumque protinus euertit & peſſum dedit. Morti Rex vicinus, teſtamento mandauerat, vt ſi quid iniuſte cuiquam fiſcus abſtuliſſet, id iniuriam paſſo reſtitueretur. Reſtitutionem igitur flagitantium cum infinitus quotidie numerus ad regiam conflueret, non aliud viſum eſt remedium huius mali magis opportunum, quam ſi authores eius Empſonum & Dudleyum, tanquam hoſtias, plebis irritatæ & tumultuantis furori placando, traderent immolandos. Igitur iudicio ſiſtuntur, magnorum criminum rei peraguntur, quaſi regis proditores reique publicæ hoſtes atrociſſimi & damnati, morti denique adiudicantur. Hæc omnia ſub initium noui regni. Bonis omnibus exuti, Integrum iam annum poſt damnationem carceris ſquallorem perpeſſi erant, nec dum infenſæ plebis ira deferbuerat. Dubium vnde, fama increbuerat, veniam miſeris Reginam a Rege impetraſſe. Proceres, qui homines ignobiles tantum apud principem poſſe iam olim indignabantur, ac plebs ab acrioribus aliquot inimicis facile concitata, fraudari ſe iuſta vindicta clamitabant, quotidianiſque libellis Regem fatigabant, quibus damnatos ad mortem depoſcebant. Ita ille quaſi coactus, ſecuri publice feriendos iubet, quod Auguſti die 17. factum eſt. Hic fuit exitus Empſonis & Dudleij, qui opibus affluentes, & gratia principis paulo ante florentes, dum præ his rebus cætera omnia nihili æſtimant, auræ populari mox victima facti ſunt, & nobis porro documentum, moderate potentiam conceſſam vſurpandi, neque temere committendum eſſe, vt belluam iſtam multorum capitum (plebeculam dico) in nos concitemus, quæ habenas nacta & irata, ſæuit immaniter. Filium reliquit Dudleyus Ioannem, qui fortunæ paternæ quaſi hæres factus, magnam potentiam, Dux Northumbriæ mox creatus, morte terminauit infœlici, ſobolemque reliquit plurimam ad noſtra vſque tempora florentiſſimam, cuius tamen hæredes maſculi, omnes iamdudum defecerunt.

Digitized by Google

1511.

ANNO DOMINI 1511. REGN. 3.

ANni huius primo die, ipſis videlicet Calendis Ianuarij, Regina filium Regi peperit, regni futurum hæredem. Hic autem magno Regis & popularium mœrore, 23. Februarii ſequenti extinctus eſt. Sub idem tempus, Ferdinandi Hiſpaniarum Regis oratores petitum venerunt a genero auxiliares copias ſagittarios 1500. Bellum quippe tunc temporis gerebat Ferdinandus contra Saracenos Africam incolentes. Annuit promptiſſime Rex, ac habito delectu, eam manum quatuor regiis nauibus impoſitam, Duce Tho. Barone de Darcy ad ſocerum quam poteſt celerrime amandat. Ad terram Hiſpanam vix dum appulerant, cum audiunt, pace facta, eorum opera Regem non egere. Stipendia tamen liberaliſſime ſingulis perſoluta ſunt, Dux & qui eum comitabantur nobiliores, muneribus honorati, & ita cum multa gratiarum actione omnes dimiſſi, ad ſua reuerſi ſunt. Ipſis adhuc abſentibus, Margareta Sabaudiæ Duciſſa (quæ Maximiliani Cæſaris erat filia, & Belgicarum prouinciarum Gubernatrix ſub Carolo Hiſpaniarum principe) ſimilem cohortem, nempe ſagittariorum 1500. a Rege noſtro impetrat, vt iis contra Geldriæ Ducem (quocum ipſi erat bellum acerrimum) vteretur. Duce Edovardo Poynyngo milite ſtrenuo & magnæ apud Principem ſuum authoritatis, multa, per ſpatium quinque menſium quibus abfuerunt, fortiter ab illis geſta ſunt, ad Brimnoſtam, Aſcam, & deinde Venloam. Laudati & remunerati 1400. ad ſuos incolumes redierunt: nam centum ſors bellica abſumpſerat. Centurionum quatuor, egregiæ fortitudinis, præmium, honorem acceperunt militiæ ſummum, equites aurati a Carolo Principe (mox Cæſare) creati: Io. Nortonus, Io. Foggus, Io. Scotus & Tho. Lyndus. Erat hoc tempore Scotorum Regi cum Luſitano bellum, cuius prætextu, Andreas quidam Bartonus, nobilis pyrata, omnes naues per oras Angliæ aut Scotiæ commeantes deprædatus eſt, Luſitanas ſemper eſſe dictitans, cuiuſcunque demum eſſent nationis, aut ſaltem Luſitanis mercibus onuſtas. Ad hunc comprehendendum miſit Rex Edovardum Hovartum ſummum Angliæ Thalaſſiarcham, fratremque eius D. Thomam Hovartum Comitis Sur-

Expeditio in Africam.

Item in Geldriam.

Bartonus pyrata capitur.

Digitized by Google

Surreiæ primogenitum, & Ioannem quendam Hoptonum. Ii 1511 prædonem aſſequuti, poſt longam & cruentam pugnam, viuum eum (ſed lethaliter ſaucium) ceperunt, duaſque eius naues cum omnibus ſociis, qui pugnantes non ceciderant, Londinum deduxerunt.

ANNO CHRISTI 1512. REGN. 4.

Bellum Gallo indicitur.

NVllum adhuc bellum Henrico erat cum principe quoquam externo, neque vero vt eſſet, prudentiorum amicorum optabat quiſquam. At iuueni Regi, qui viceſimum primum iam ætatis annum agebat, neſcio quo modo geſtiebat animus belli caſus experiri, quod nondum expertis (ſecundum adagium) dulce eſt. Cum Lodouico XII. Francorum Rege ante annum vnum aut alterum inito fœdere pacem fecerat: Iam nihilominus a Iulio Papa Rom. ſe facile paſſus eſt exorari, vt Ludouico confœderoto bellum indiceret. Is nimirum Pontifex, qui Cæſari Iulio ſimilior cuius nomen ſumpſerat, quam Petro cuius ſucceſſor haberi voluit, vt tanquam alter Nero, ſedens otioſus, orbem terrarum bellorum incendiis conflagrantem ſpectaret, Regem noſtrum literis conſcriptis oraverat, vti in oppugnando Gallo ſibi non deeſſet: qui nimirum nec Deum veritus nec homines, non ſolum pecuniis ſacris manum admouiſſet, Gulielmum Cardinalem ad Pontificatus vſurpationem impuliſſet, Alphonſum Ferrarienſem & Bentiuolos ſibi rebelles fouiſſet: ſed Italiam nunc vniuerſam ſuæ tyrannidi ſubiicere decreuiſſet. Quapropter, per amorem ſaluatoris, per maiorum ſuorum pietatem (qui S. Rom. Eccleſiæ manus adiutrices nunquam recuſaſſent porrigere) perque denique filialis obſequii vinculum firmiſſimum obteſtatus eſt vehementer, vt procerum Italiæ ſancto fœderi ſe adiungere non grauaretur, cuius nimirum, ipſi, caput illum & Imperatorem ſummum delegiſſent. Literis huiuſmodi acceptis, petitioni Pontificis libenter & prompte Rex annuit. Veruntamen, ut anſam fœderis dirimendi arripiat, controuerſiarum ſe placet arbitrum interponere inter Pont. & Gallum, quem miſſis legatis hortatur, vt armis diſcedat: Id ni faciat, Pontificis defenſionem contra communis pacis turbatorem ſe ſuſcepturum non obſcure denunciat. Petitionem vero illam

Digitized by Google

1512. illam ſpernenti Gallo, bellum indicit per fœcialem, ſimulque monet, vt Galliæ regno cedat, cæteriſque prouincijs, Normanniæ videlicet & Aquitaniæ, quas haud bono iure poſſideret. Icto deinde cum Maximiliano Cæſare, Hiſpano item & Pontifice fœdere, de oppugnando communibus viribus Gallo initur conſilium. Inuitat noſtrum Hiſpanus, vt in regionem ſuam traiiciat copias & inde Gallum adoriatur, pollicitus, præter certum equitum numerum, tormenta bellica, iumenta ad vecturam, commeatum & multa alia ad huiuſmodi expeditionem neceſſaria. Rex noſter ſoceri pollicitationibus fidem habens, magnum conſcribit exercitum, cuius partem vnam nauibus impo-nit, vt mari rem gerat, alteram in Hiſpaniam curat traiiciendam. Maritimis copiis præerat Edmondus Hovartus Thalaſſiarcha, qui claſſi Gallorum factus obuiam in ſinu Armorico, prælio cum iis decertauit. In eo nihil ſane memorabile geſtum eſt; præterquam quod, duæ magnæ naues (vna 700. habuit propugnatores Anglos duce Th. Kneveto milite, altera 900. Gallos ſub Primalgueto Britone) hæ inquam ſibi mutuo harpagonibus connexæ, poſt diuturnam pugnam, ambæ tandem incenſæ conflagrarunt, nemine protinus ſeruato, qui, caſu hoccine malum acciderit, an cuiuſquam au lacia accerſitum fuerit, enunciaret.

In Hiſpaniam fruſtra traiicitur. Alter vero exercitus, cui præficiebatur Tho. Grayus Marchio Dorſetius, militum habuit fortiſſimorum 10000 & inter eos Germanos 500. duce Guinto quodam Flandro. Ii poſtquam in eam Arragoniæ oram appulerunt quam Biſcaiam nuncupamus, dum vt Rex ea præſtaret quæ pollicitus fuerat expectarent, aliquot menſes elapſi ſunt. Ille autem promiſſis lactabat in Galliam feſtinantes, nec aliud quippiam auxilii largitus eſt.

Hiſpanus regnum Nauarrenum occupat. Acciderat enim vt noſtris adventantibus, moreretur Gaſto Fluſſatium Comes, quocum Ioanni Regi de regno Nauarreno erat contentio. Ioannes igitur, qui copias Ferdinando ad hoc bellum promiſerat, poſtquam ſublatum æmulum audiuit, vtrum propter ingenii leuitatem, vel quod ita rebus ſuis conducere exiſtimabat, miſſis oratoribus cum Gallo fœdus clandeſtinum iniit. Quod poſtquam Ferdinando nunciatum eſt, omiſſa in Galliam expeditione, in Nauarrenum arma conuertit, cupiens porro & nullum non mouens lapidem, vt noſtras ibidem copias ad illam expeditionem traduceret, abnuente Dorſetio qui abſque nouo mandato

mandato à præſcripto regio diſcedere ſibi integrum non eſſe aſ- 1512.
ſeuerabat. Erat tunc temporis Nauarrenus ab omnibus rebus imparatus, proceres ſui in factiones Acramontanorum & Bellomontorum diſtracti, vt nihil poſſet expedire; duo potentiſſimi Reges totis viribus oppugnaturi aduentare dicebantur cum copijs magnis; Gallus autem (in quo ſolo ſpes erat) procul aberat, alijs porro bellis occupatus. Ad primum igitur Hiſpani impetum regnum deſeruit, ſeque vna cum coniuge & liberis cis Pyrenæum Benearnium recepit. Nouo hunc in modum regno Ferdinandus occupato, de Gallia debellanda haud amplius ſollicitus; à genero Henrico ſcriptis literis vehementer flagitauit, ne copias ad Gallicum bellum deſtinatas ſibi grauaretur commodare, donec omnia ad animi ſui ſententiam in regno Nauarreno ordinaſſet. Huic ſoceri petitioni Rex annuit libenter, ſine fructu tamen: Nam milites noſtri inſolito regionis æſtu & fortium vinorum potu corpora inflammati, in morbos paſſim inciderunt, vnde plus minus mille homines (aut vt quidam tradit 1800.) paruo temporis interuallo interierunt: Vlterioris igitur moræ pertæſi, duces (velint nolint) vela facere compulerunt; irato vehementer Rege, quando de reditu eorum nunciatum eſt, adeo vt de pœna tali proteruiæ debita irroganda aliquando cogitarit, donec multitudo delinquentium vniuerſos noxæ exemit. Menſe Maio profecti, paulo ante Natales reuerſi ſunt.

ANNO CHRISTI 1513. REG. 5.

CONcilium Regni ſummum (quod Parliamentum vocamus) ſub initium huius anni coactum eſt. In eo, bellum Gallo magnis viribus inferendum decernitur, ſimulque in eius belli ſumptus pecunia ingens ſubſidij nomine populo imperatur. Tum primo ſtatim vere claſſis emittitur nauium magnarum 42. præter actuarias & minores ſcaphas. Huic præfectus, Angliæ Thalaſſiarcha, ſeu (vt vocant) Admirallius, dum ad fortitudinis laudem importunè anhelat, tanti apparatus conatum ſua temeritate eluſit. In portu qui Breſtæ oppido vicinus eſt, excenſionem parat, & primus hoſtilem terram niſus ingredi, conto in mare detruſus ac ſubmerſus, ex tot Anglis quot illa claſſis fere- *Admirallius ſubmerſus.*

Digitized by Google

1513. bat,ſolus perijt, militiſque ſtrenui ſic functus officio, ducis tamen temerarij notam non effugit. Cæteri namque Imperatoris interitu conſternati, omiſſa expeditione in Angliam eveſtigio reuertuntur. Hoc caſu Regi nunciato, Tho. Hovarto Admirallij fratri primogenito eam præfecturam demandat, diligenter monens, vt operam fortem reipublicæ nauando, fratris necem tam indignam ultum eat. Ac is certe ſumma celeritate uſus, naues iterum ſtatione educit, quibus omnia maria per vniuerſam Galliæ oram peruagatur, tantum terrorem hoſtibus incutiens, vt nemo vel cymba piſcatoria per eos dies è portu ſolvere auſus ſit. In ſinu igitur Vitſandio excenſionem facit, totam regionem ferro & igni populatur, deinde nemine reſiſtente naves ſuas incolumis repetit. Rex interim quam maximo exercitu coacto, Iulij vltimo, quadringentarum nauium claſſe Caliſium delatus eſt. Inde 21. Iulij progreſſus, omnes copias in hoſticum educit, & Teroanam Morinorum Ciuitatem recta petit, vt eam iam antea per duces ſuos obſidione cinctam vniuerſi exercitus viribus oppugnet. Gallorum copijs prope Dernomam obuiam factus eſt. Ii prima facie congrediendi animo aduentare viſi ſunt: ſiue autem ſuis viribus diffiſi, aut (quod a noſtris traditur) tormentorum in idoneis locis collocatorum diſploſione, ordines turbati, quaſi viſi ſimul & victi, ſiue fugati, ſiue impar certamen ſponte declinantes, abierunt, nec vſpiam loci ſe noſtris poſtea oſtenderunt. Teroanam igitur nullo prohibente perrectum eſt. Habuit ea ciuitas (vt noſtri tradunt) propugnatores tunc temporis 4000. & inter eos equites 600. quibus non erat difficile locum tam munitum contra exercitum quantumuis magnum tueri, ſi commeatu & alijs rebus neceſſarijs inſtructi fuiſſent. Iſta cum deeſſent, miſerunt qui Regi ſuo nunciarent, quantis in anguſtijs verſarentur. Ille multiplici bello ea tempeſtate diſtinebatur. In Aquitaniam & Nauarram impreſſionem tum nuper fecerat Hiſpanus, & Heluetij Trimollium magno prælio apud Novariam non ita pridem ſuperatum, per eos ipſos dies obſeſſum, Divione Burgundiæ oppido tenebant. Inde factum eſt, vt diſtractis in diuerſas partes copiis, non vltra 20. peditum millia (quorum dimidia pars Germani erant ſub Gheldrenſium ducis imperio) & Cataphractos 2500. ſecum ſub ſignis habuerit. His ſtipatus, Ambiani conſedit, vt propinquitate

Teroana excidium.

Digitized by Google

quitate loci ſpem auxilij oſtentante, fortius obſidionem ſui tolerarent, quam in longum trahi multum ſua intereſſe intellexit. 1513.
In exercitu noſtro erant peditum 40000. equitum vero 5000. vt Gallo nobiſcum congredi tutum non fuerit. Sed neque ipſi erat in animo fortunam prælij tentare, quæ ſi aduerſa in tali tempore extitiſſet, Galliæ Regnum nobis denuo occupandi, viam facilem omnium prudentiorum iudicio præbuiſſet. Ille igitur Ambiani deſidens otioſus, ne tantæ ciuitatis periculum (quo reuera angebatur vehementer) negligere ac nihil facere videretur, copias quaſdam Teroanam verſus mittit, quibus dat in mandatis, vt 80. grauis armaturæ equites (ſed ſine equis, tale nempe ſubſidium Teroanenſes petebant) in ciuitatem, ſi aliqua ratione id fieri poſſit, deducant. Per noſtrorum vigilum ſocordiam, hoc illi non difficulter præſtiterunt. Longa ſiquidem pax & deſuetudo effecerat, vt ad bellica munia milites noſtri parum adhuc prompti exiſterent. Sed hanc eorum negligentiam, Galli duplici ſtultitia protinus compenſarunt. Nam cum eadem opera commeatum aliaque quibus oppidani indigebant, comportare potuiſſent, erratum ſuum iam ſero emendare cupientes, eandem viam repetere decreuerunt. Noſtri vero ea re præuiſa, nouam munitionem excitarant, quæ eos ingreſſu prohiberet, & inſuper magnum equitatum, cum xv. Germanorum peditum millibus in inſidijs locarant, qui redeuntibus viam præcluderent. Galli igitur ad mœnia accedentes, poſtquam aditum ſibi nullum in Ciuitatem patere intellexerunt, nihil ſuſpicantes mali, redierunt, & non multum itineris emenſi, quaſi iam tuti à vi hoſtili, galeas alii exuebant æſtus impatientes, epotandis lagenis alii operam dederunt, equos porro bellicos plerique dimiſerant, alioſque minores vt commodius incederent, iam conſcenderant, cum ab hoſtibus impetum in ſe fieri conſpicerent, quem ne tantillo quidem tempore ferentes, nulla defenſione facta, fugæ turpiter ſe mandauerunt. In ea perturbatione amiſerunt Galli Cataphractos plus minus 300. captique fuere multi nobiles, Longvillanus, Badius, Claromontius Andenſis, Buſſius Amboſius, Baiardus, Folietta & Paliſſæus, qui paulo poſt aſtu ſe captiuitati eripuit. Habeo idoneos authores, perſuaſum plurimis tunc temporis fuiſſe, aditum ad regnum Galliæ occupandum noſtris ea victoria patefactum, ſi occaſione oblata vſi fuiſſent: Quippe tan-

Pugna calcaria.

1513. to pauore Gallorum exercitum defixum ferunt, accepto huius caſus nuntio, vt nil niſi fugam cogitaret, ac Rex in primis qui cum fletibus & lachrimis, nedum querelis miſeris ac fortunæ ſuæ deploratione non abſtineret, quo fugeret circumſpiciebat, & Britanniam citeriorem pernicibus equis iam petere decreuerat. Noſtri enim vero de Teroana capienda tantum ſolliciti, captiuos in caſtra deducere ſatagebant, neque hoſtes fugientes longius proſequi voluerunt. Hanc pugnam calcariam Galli ſolent appellare, quod in eo calcaria quam gladii ſibi magis fuiſſent vſui. Teroanenſes poſt hanc cladem omni meliori ſpe abiecta, de deditione facienda colloquium non detrectant, & conſulto rege ſuo, Auguſti 23. paciſcuntur. Impedimentis ſaluis, ſignis elatis, & explicatis, tympanis etiam perſtrepentibus, milites abire permiſſi: Ciuibus porro indultum, vt ſupellectilem exportarent.

Maximil. Cæſar Henrico R. militat.

Paucos ante hanc deditionem dies venerat in caſtra noſtratium Maximilianus Cæſar, & (quod genti noſtræ honorificum, ac memoratu digniſſimum arbitror) accepto 100. aureorum diurno ſtipendio, præter ea quæ copiis ſuis annumerata ſunt, ſub ſignis Regis noſtri ipſe militare dedignatus non eſt, geſtata rubra cruce & roſa bicolore, Anglo militantium ſymbolo. Hic enim vero tanquam ſpeculator magis quam ſocius veniſſet, cum videret in quantas difficultates Gallum Rex coniecturus eſſet, ſi laboranti inſtare vellet, & interiora Galliæ penetrare, quanquam Gallo hoſtis certiſſimus, tantis tamen progreſſibus noſtrum euehi nolebat, ac proinde omni ratione ſuadebat, vt Teroanam relictam demoliretur, & copias Tornacum deduceret. Tarditatis nempe (nec ſine cauſa) regem incuſabat, quod æſtate iam præcipiti (nec ante) profectus eſſet, hyemem præ foribus eſſe dicens, vt operæpretium futurum non ſit, tantis ſumptibus exercitum alere, quando nihil præclari geri poſſit. Ciuitatem vero tam procul ſitam difficulter a ſuis teneri poſſe, diruendam igitur, nec hoſti vt propugnaculo ſit relinquendam. Tornacum deinde Neruiorum oppidum quanquam ditionis Franciæ, Flandria tamen & Hannonia (velut inſulam mari) cinctum demonſtrabat, & a reliqua Francia procul ſeiunctum. Ciuium quidem & incolarum magnum eſſe numerum & mœnibus haud inualidis locum munitum eſſe: At vrbanam plebem imbellem, præſidium alioqui nullum, commeatus nihil importatum eſſe: celeritate

vtendum,

Digitized by Google

vtendum, opprimendos inopinantes, paucorum dierum obſidione ad deditionem cogendos. Gallo, ſi vellet eis ſubuenire, totam Hannoniam tranſeundam, & duo vel tria latiſſima flumina (inter quæ Scaldis & Carpus) traiicienda: Militibus ibi prædam paratam eſſe, ſibique certiſſimæ victoriæ triumphum: tantæ Ciuitatis acceſſionem haud pœnitendum fore imperij ſui incrementum, eoque minus negligendum, quod nihilo difficilius futurum ſit eam in officio continere, quam fuerit Gallo aduerſus tot infenſos populos vſquequaque circumfuſos, iam per aliquot ſecula tueri eam ac defendere. Laborum bellicorum ſatietas, ne dicam tædium regem ceperat, & obuerſabatur animo aulicarũ voluptatum recordatio: Quanquam igitur non deerant qui optima ſuaderent, faciliora ſequutus, Maximiliani conſiliis obtemperauit. Permiſſum Flandris (qui hoc ſibi muneris depoſcebant) vt Teroanæ mœnia diruerent, foſſas cõplerent, & ædificia omnia præter ædem ſacram & Canonicorum domos incenderent, idque illi (propter ſolita vicinorum populorum diffidia) auidi lætique præſtiterunt. Teroana igitur capta & exciſa, Tornacum quanta poſſunt celeritate contendunt, nihil ſibi reliquum facientes, quo famam aduentus ſui præuertant. Oppidani nihilo ſecius quod parabatur ſubodorantes; quantum patiebatur temporis anguſtia, ſe diligenter ad certamen præparabant, & ruſtici omneſque in vniuerſum incolæ regionis vicinæ, res ſuas in ciuitatem conuehentes, illuc tanquam in locum tutum ſe recipiebant. Hinc factum eſt, vt ciuitas alioqui non magna, quo tempore obſideri primum cœpta eſt, non minus quam 80. millia Vrbanæ plebis numeraret. Rei igitur cibariæ penuria ſtatim laboratum eſt: Nec ſpes auxilii affulſit vſquam. Rex procul aberat, præſidium nullum, imbelles ciues, oppidum duo magni principes 50. militum millibus ſtipati clauſum tenebant, & his omnibus ſæuior hoſtis intus vrgebat, dira fames. Paucos dies obſidionem tolerantes, incolumitatem pacti, Septembris 29. ſe ſuaque dediderunt. Tradita Ciuitate, ad ſacramentum Anglorum Regi dicendum omnes ciues adiguntur, iiſque, vt vicaria poteſtate præſit, Edvvardus Poynyngus Ordinis Georgiani miles præficitur. Tum poſtquam de commeatu prouiſum eſt, præſidium imponitur modicum, & arx noui imperii firmamentum ædificata. Ne vero politica tantum curare Rex videretur, iuriſdictionem eccleſiaſticam

1513.

Tornacum obſidetur.

1513. ecclesiaſticam ad Tho. Wolſæum curauit deferendam, & omnes ad Episcopum agros pertinentes (proſcripto iam Epiſcopo) in eum contulit, Wolſæum inquam, de cuius viri incrementis & immodica potentia, multa nobis in poſterum dicenda ſunt. His igitur rebus ita ordinatis, ingruente iam hyeme, de exercitu primo quoque tempore domum reportando initur conſilium. Id Regi cum placuiſſet, ipſe naue conſcenſa cum vix totos quatuor menſes abfuiſſet, ad ſuos penates duplici victoria lætus circa finem Octobris menſis peruenit. Aduentantem & vix dum reuerſum, noua palma excepit victoriæ, quam auſpiciis eius de Scotorum Rege cæſo, reportauit Havartus Surreiæ Comes. Gallorum Rex multiplici bello laceſſitus (vt antea retulimus) per vetera amicitiæ iura & nuper inita fœdera, multum obteſtatus fuerat Iacobum Scotorum Regem eius nominis quartum, ne ſe tantis difficultatibus implicitum deſtitueret: ſi amici caſibus non moueretur, ſibi tamen proſpiciendum monens, cui tutum non foret, gentis ſuæ ſemper inimicæ, potentiam, talibus incrementis nemine impediente augeſcere. Abeſſe Anglum externo bello occupatum, & cum eo florem militiæ: arma igitur protinus inferret, & Beruicum ditionis Scoticæ notiſſimum oppidum, multos iam annos ab Anglis infeſſum, receptum iret: facilem fore victoriam, modo occaſione rei bene gerendæ tam fœliciter oblata vteretur. Fieri non poſſe, quin hoc bellum, ſibi honorificum, amico (ſi non & ipſi) vtile futurum eſſet, hoſtibus etiam documento, non contemnenda Scotorum arma, quorum priſtinas victorias, longa iam & ipſis damnoſa pax obliterarat, & Anglis è memoria excuſſerat. Porro ne ſumptibus grauarentur, 50. millia Francicorum nummûm ad commeatum & tormentarium apparatum ſe largiturum. His rationibus iuveni gloriæ appetenti haud difficulter perſuaſum, vt Regi noſtro, quocum fœdus nuper ſanciuerat, cuiuſque ſororem in matrimonio habebat, illa multum reclamante, bellum ſibimet exitiale, ſuis funeſtum & multarum calamitatum cauſam inferret. Coacto igitur exercitu quam potuit maximo, in fines noſtros irruẽs, arcem quandam (Noramiam dictam & Epiſcopo Dunelmenſi pertinentem) circumſidet. Ea poſtquam tantum Regem ſex dies diſtinuiſſet, ipſi in manus tradita eſt. Inde Bervicum mota ſunt caſtra, igne & ferro regione omni, quacunque

Wolſæus Epiſcop. Tornac.

Scotorum Rex cæſus.

que

que tranſitum eſt, fœdata. Hæc poſtquam nuntiata ſunt ijs, quibus regni cura & procuratio in abſentia principis demandata fuerat: Habito per totam borealem regni partem delectu, vt, omnes copiæ Alneuici ad certam diem conueniant, edicitur, inde ſub duce Thoma Havarto Surreiæ Comite recta in hoſtem perrecturæ. Inter primos accurrit (magna patris lætitia) Thomas Thalaſſiarcha, Comitis filius, ſecum adducens manum 5000. veteranorum, quorum fortitudinem in naualibus pugnis ſæpe habuerat exploratam: Poſt eum Barones hi, Dacrius, Cliffordus, Scropus, Latimerus, Conierus, Lumlæus & Oglæus: Equites deinde aurati, Applyardus tormentorũ præfectus, Perceius, Sidnæus, Bulmerus, Stanlæus, Molineus, Strangwaius, Tempeſtus alijque. His de ſumma rei conſultantibus, viſum eſt, Fœcialem ad Regem mittere, qui de iniuria facta expoſtulet, & Regem contra ius faſque non ſolum affinis, ſed & confœderati regionem vaſtaſſe quereretur, ipſoſque proinde paratos eſſe diceret, inito prælio huiuſmodi pactorum & conuentorum violationem vlciſci, modo aliquot dies aduentum ſuum præſtolari ille non dedignetur, & loco vtriq; exercitui opportuno copiam pugnandi facere. Rex de violatione fœderis ſcripto ſe purgat, teſtatus Deos & homines, priorem Henricum iniurijs crebris alienati in ſe animi indicia dediſſe. Prædones Anglos vbique per limites Scotiæ graſſari impune querebatur: Andream Bartonum hominem fortem & honeſtum Regis ipſius mandato iniuſte cæſum, & Heronem quendam, qui Robertum Carrum Scotum prænobilem interemerat, ſe palam in Anglia oſtentare, Rege ad tantum facinus conniuente: His de rebus ſæpe per legatos conqueſtum ſe aſſerebat, ſed ſurdo, quod aiunt, ceciniſſe: Sibi proinde quid reliquum, quàm vt armis ſe ſuaque aduerſus regis iniuſtitiam tueatur? Quòd vero ad congreſſum attinet, accipere ſe conditionem adiecit, locumque ac tempus certaminis deſignauit. Adſunt igitur ad diem condictum ambo exercitus: Et Rex vt ſublata omni fugiendi ſpe, ſuos ad reſiſtendum fortius animaret (conſilio neſcio quam prudenti certe parum tuto) dimitti iubet omnes equos, in dextris ſuis, non in equorum pedibus ſalutem quærendam dicens: deinde exemplo ſuo quid alios facere velit oſtendens, relicto quo vehebatur iumento, ad pedeſtrem pugnam ſemetipſum comparat. Idem

1513

Pugna Flodoniana.

cæteris

Digitized by Google

1513. cæteris facientibus, omnes pedites cum hoſte congrediuntur. Poſt longam & cruentam dimicationem, ad noſtros inclinavit victoria. Habebant Scoti tormenta magna 22. quæ nullo illis vſui fuerunt in eo prælio, quod pilas eiacularentur, ſupra capita hoſtium, collem quem inſiderant ſcandere nitentium. Noſtris præcipua ſpes erat in ſagittis, quibus 4. alas Scotorum leuius armatas (nam in acies quinque Rex copias ſuas diuiſerat) ita continenter verberarunt, ut cæteris operam fortem nauantibus, in fugam eas compulerint. Mediam enimvero, quam Rex tenebat, quòd ex viris conſtaret lectiſſimis, & contra vim ſagittarum meliùs munitis, non ſine longo & difficillimo certamine profligarunt. Nam Scoti, etſi ab Anglis vſquequaque incluſi, ut in gyrum pugnare coacti ab omni parte pellerentur, reſtiterunt tamen pertinaciſſimè, eoque magis hauddubie, quod Regem ſuum non audirent ſolum hortantem, ſed apud primos ordines ſtrenuiſſime dimicantem cernerent, donec multis vulneribus confoſſus mortuus concideret. Cum illo cæſi feruntur filius eius nothus S. Andreæ Archiepiſcopus, & duo alij Epiſcopi, duo item Abbates. Comites xii. Barones 17. & cæterorum 8000. Nec minor numerus captivorum cenſetur. Omnia item tormenta capta ſunt, & ſigna militaria ferè omnia: ut maxima omnino victoria fuerit æſtimanda, niſi etiam tam cruenta, ut 1500. occiſos amiſerimus. Pugnatum eſt Septemb. 9. prope montem Flodonam in colle qui Piperdi dicitur, non procul à Bramſtona.

Haud me latet Scoticarum rerum ſcriptores conſtanter aſſeuerare, Regem in acie non cecidiſſe, ſed fugientem à ſuis interemptum: corpuſque in Angliam aſportatum, non Regis fuiſſe, ſed Alexandri cuiuſdam Elſinſtonij adoleſcentis nobilis, ſtatura vultuque Regi non diſſimilis, quem paludamento Regijſque inſignibus ille ornauerat, ut ſe proſequentes falleret, & alibi præliantibus tanquam præſente rege animum adderet. Cæterum ut nihil dicam de magno ſummæ nobilitatis numero, quorum cadauera, ibi loci reperta verum Regem ab ijs ſtipatum atque fictitium illum alibi potius depugnaſſe affatim indicant: Satis conſtat, à multis captiuis cadauer agnitum, qui non aliud quam regium fuiſſe pro certo confirmarunt, quanquam vulneribus innumeris deformatum. Nam immani plaga iugulum hiabat, læua manus duobus ictibus ferè amputata vix brachio dependebat, &

corpus

corpus multis in locis ſagittis confixum viſebatur. Hoc mortis generc ſublatus interijt in ipſo iuuentutis flore Iacobus quartus Scotorum Rex, qui propter multas & egregias animi corporiſque dotes, longiori ſane vita dignus videbatur. Fuit enim ingenio acri, & oris dignitate ſumma præditus, magnanimus, comis, affabilis, munificus, & adeo à clementia non abhorrens, ut ad ſupplicia de ſontibus expetenda inuitum cogi omnes facile animaduerterent. His virtutibus effecit, ut vivum ſui chariſſimum haberent, mortuum tantùm deſiderarent & luctu proſequerentur, quantùm nullum priorum Regum, vt hiſtorici quidem omnes prodiderunt. In hanc enim vero calamitatem non incidiſſet, ſi prudentiorum monitis obtemperaſſet, ſuadentium, vt ijs rebus, quas ante pugnam in ea greſſerat expeditione, contentus, domum rediret, nec cum tam paucis vniuerſi regni ſtatum in diſcrimen committeret: quippe famæ & gloriæ, amicitiæ item, abundè ſatisfactum. Sed cum orator Gallus & amici quidam Regij Gallicis donis culti contra tenderent: Principi magnanimo & ſupra quam dici poteſt pugnandi auido facile perſuaſum eſt, vt noſtros cum magnis copijs aduentantes, opperiretur. Defuncti corpus (ſaltem ſi corpus id fuerit regium & non Elfinſtoni) plumbea capſula incluſum atque in Angliam delatum, mandato Regis noſtri ſatis inhumano (ne dicam crudeli) in neſcio quo angulo inſepultum abiectum eſt, eam nempe pœnam fœdifrago & periuro debitam dictitabat, cum belli ſumendi prætextu probabili haud omninò deſtitueretur, vt ex ijs quæ ſupra dicta ſunt ſatis liquet. 1513.

ANNO DOMINI 1514. REGN. 6.

INſequentis anni ſub initium Tho. Havartus Surreiæ Comes, qui de Scotis victoriam ſupradictam reportarat, ad auitam dignitatem conſcendit, factus Norfolciæ Dux. Eum nempe titulum pater eius Ioannes hæreditario iure conſequutus eſt, a Thoma de Brotherton Regis Edvv. primi filio, Segrauijs & Mowbraiis (qui omnes Norfolciæ duces extiterunt) ſtemma ducens. Sed quod in pugna Boſworthana (in qua cecidit) a partibus Richardi tyranni ſtetiſſet, eo honore ipſe poſteríque multati ſunt. Iſti, Thoma anno 1524. extincto, in eodem honore ſucceſſit Thomas filius, qui anno 1554 diem clauſit extremum. *HaVartorũ ſtemma & honores.*

1514. mum. Ex illo genitus eſt Henricus (egregiæ ſpei iuvenis) qui patre viuente, capite truncatus eſt extremis huius Regis temporibus. Hic filios reliquit Thomam Ducem Norfolciæ poſtremum (qui & ipſe anno 1572. ſecuri percuſſus eſt) ac Henricum, mortuo patre adhuc lactentem, virum doctiſſimum itidem ac diſertiſſimum, quem rex noſter Iacobus, Northantoniæ Comitem, omnium bonorum ſummâ cum gratulatione nuper creauit. Thomas autem prædictus, tres filios habuit ſibi ſuperſtites, Philippum, Thomam & Gulielmum. Philippus Surreiæ (ac etiam propter matrem Arundelliæ) Comes, damnatus ad mortem anno 1589. breuíque poſtea morbo in carcere abſumptus, parvulum reliquit Thomam, qui nunc regis noſtri gratiâ paternorum honorum ſucceſſor factus eſt, ex quo etiam fonte munificentiæ regiæ, patruo eius Thomæ (viro magnanimo) Comitatus Suffolciæ titulus accreuit, & Camerarij ſummi munus honoratiſſ. Iam præter hos quos recenſui Havartos, habet etiam hæc familia Carolum Nottinghamiæ Comitem Angliæque Thalaſſiarcham, ex patre Gulielmo, Thomæ Norfolciæ Ducis nepotem, magni nempe illius Scotorum triumphatoris. Hic eſt qui auitæ virtutis æmulus, claſſem illam Hiſpanorum, vano vocabulo inuictam appellatam, Eliſabethæ Reginæ auſpiciis anno 1588. fœliciſſimè debellauit. Denique (vt omnes enumerem) Thomas Havartus ex eâdem ſtirpe oriundus, vicecomitis Bindonenſis honore potitur, a Thoma Norfolciæ duce per Thomam filium genus ducens. Ita nobiliſſima hæc familia quam paucis abhinc annis afflictam iacere vidimus, hodiè florentiſſima, quatuor oſtendit Comites, prætereáque vicecomitem vnum: Viri hi omnes egregij magnique nominis, vt de illis iam poſthac multa perſcribenda ſint. Viſum eſt igitur eorum genealogiam ſemel & paucis explicare, ne ſingulorum genus, prout eorum mentio inciderit, repetendo, lectorem morari cogar. Nunc vt pergam, cum Norfolciæ duce alij etiam honorum nouis titulis ornati ſunt, Caroli duo, Brandonus & Somerſettus (hic Wigorniæ Comes, ille Suffolciæ dux creatus) Edouardúſque item Stanlæus Baro factus de monte aquilæ.

Brandonus Dux Suffolciæ.

Brandonus, patre natus eſt Gulielmo Brandono equite aurato, qui ſignum militare Henrici ſeptimi portans in pugnâ Boſworthana, manibus Richardi tertii regis obtruncatus

cecidit.

1514.

cecidit. Filium eius paruu'um relictum Henricus regnum adeptus magnâ curâ educauit, & adoleſcentis principis filii ſui famulitio (penè dixeram ſodalitio) admouit. Hic cùm eum haberet chariſſimum, tam ob paterna merita quàm ſua obſequia, vicecomitem Inſulæ creauit: nec hoc contentus, Mariam ſororem, quæ Gallorum Regi poſtea nupſit, ipſi deſpondere in animo habens (id multis ſaltem perſuaſum erat) Ducis Suffolciæ titulo prius cohoneſtandum decreuit, quod his diebus, in feſto videlicet purificationis factum eſt. Quomodo vero nuptiis ſperatis exciderit, poſteáque ex inſperato potitus ſit, in ſequentibus narrabitur. Somerſetus Henrici ex Lancaſtrenſi familia, Somerſetenſis Ducis poſtremi filius naturalis, honoris paterni tulit cognomen, cum aliter Beaufortius, aut potius antiquâ Regum Anglorum appellatione Plantageneta vocandus eſſet. Hic igitur Henrici ſeptimi (quippe ex Margareta Somerſetenſis ſorore geniti) conſobrinus & multis clarus virtutibus, quarum æſtimator ſagaciſſimus erat Rex ille, Camerarius Angliæ ab eo conſtitutus eſt. Iam vero cùm in hâc recenti cõtra Gallos expeditione multa ſtrenuiſſimi viri ſpecimina dediſſet, (neque tamẽ cæſus occubuiſſet quod Guicciardinus falſo tradit) placuit priſtinis honoribus, hunc addi, quem hodie gerit: ab illo tertius, Edwardus Gulielmi filius, nepos Henrici, Caroli iſtius de quo agimus filii. Is Regi noſtro nunc a ſecretis & equorum (vt loquimur) Magiſter, malim dicere præfectus (munus apud nos honoratiſſimum) tantos maiores ſuis virtutibus nobilitat. Gallorum Rex poſtquam de clade Scoticâ reſciuiſſet, amico tali ac ſocio ſe priuatum cernens, omnia circum ſe bello flagrãtia, ſibi præterquã in ſe ſubſidiũ nullũ, decreuit, nobiſcũ(ſi honeſtâ aliquâ ratione id fieri poſſet) fœdus renouare. Iulius ſecundus Pontifex Romanus bellorum incentor non ita pridem (opportunum) obierat, & ipſi Gallo per eos dies mortuâ vxore, thorus coniuge vacuus factus erat. Placet itaque tentare, ſi ductâ Mariâ Regis noſtri ſorore, bellorum ab hâc parte incendia poſſet reſtinguere, & amicum inſuper in Rege noſtro tàm fidum quàm potentem ſibi comparare. Leo X. (qui Iulio ſucceſſerat in Papatu) Gallicas partes contra Hiſpanos fouebat. Illo igitur animo libenti reconciliationis negotium ſuſcipiente, pax coiit Gallo neceſſaria, noſtris non ingrata, & nuptiæ 9.

Somerſetus Wigorniæ Comes.

Pax cum Gallo.

Maria Regis ſoror Gallo nubit.

1514. Octobris magnâ cum pompa celebratæ ſunt. Erat Rex ille ætate iam ingraueſcenti, ſponſa tenera virguncula, 16. forte aut 18. annos nata, formâ egregiâ. Par tam impar coniunxit, cupiditas, in illo liberorum, præter cauſas ſupra memoratas (maſculam enim prolem nullam habebat) in ipſâ emolumenti publici ſpes, authoritas hoc volentis fratris, & (quod in muliebri pectore præcipuum) honorum ſplendor, Reginæ nomen. Maluiſſe tamen eam Brandonum maritum, quàm quemlibet Regem, ſi in ſuâ id fuiſſet poteſtate, plurimi non ſine cauſâ perſuaſum habebant. Neq; vero multum temporis effluxit, quin prioris voti compos redderetur: Rex enim (quod ſenibus plerúnque ſolet accidere, qui iuuencularum vtuntur contubernio) haud totos tres menſes has nuptias ſuperviuens, pr. Cal. Ianuar. moritur. Reginæ tùm licuit ex pacto in patriam ſuam (ſi vellet) reuehi: & cùm hoc magnopere efflagitaret, miſſus eſt ad eam deducendam Brandonus, qui ad priorem ambitum reuerſus, haud difficulter obtinuit, vt nuptiis clandeſtinis, quàm potuit occultè Pariſiis illi iungeretur. Hæ poſtea (Rege noſtro annuente) Grenouici magna cum celebritate repetitæ ſunt, videlicet Maii 13. ſequentis anni. Wolſæi iam repentina & noſtro æuo non credenda incrementa memoranda ſunt. Hic enim (vt antea narrauimus) Tornacenſis eccleſiæ adminiſtrationem nactus, infra iſtius anni curriculum, duos alios Epiſcopatus conſequutus eſt. Obierat nuper Gul. Smithus Lincolniæ Præſul venerabilis, qui præter multa alia pietatis ſuæ monumenta, collegium ſtudioſorum in Academia Oxonienſi inſtituere aggreſſus (ab æneo naſo nomē id habet) immatura morte ſublatus eſt, antequam vltimam manum tam præclaro operi poſſet imponere. In eius demórtui locum ſuffectus eſt Wolſæus, iam in gratia Regis flagrantiſſimus. Parentibus hic ortus eſt ignobilibus, Ipſuici (oppidum id eſt in comitatu Suffolcienſi, diœceſi vero Norwicenſi) vbi magnificæ ſtructuræ fundamenta poſtea locauit, collegium neſcio quod molitus ibidem. Educatus eſt Oxoniæ in Collegio Magdalenenſi, & ſcholæ, quæ ad id collegium pertinet, factus eſt moderator. Inter alios diſcipulos ſuæ fidei commiſſos, filii memorantur quidam Marchionis Dorſetij. Operæ in illorum inſtitutione nauatæ præmium tulit, ſacerdotium quoddam non exile agri Somer-

Wolſæus Cardinalis.

ſetenſis,

ſetenſis, Limingtonenſis videlicet eccleſiæ rectoriam. Vixdum ibi pedem poſuerat, quando ab equite quodam aurato (Amicio Pouletto) magnâ afficitur contumeliâ. Cippo ligneo pedes Wolſæi includit, genus quoddam pœnæ, quod non niſi mendicis fere & viliſſimæ plebi apud nos ſolet irrogari. Quid igitur in cauſâ fuerit cur tantopere ſæuierit eques in hominem iam non infimæ notæ, me certe latet. Hoc vero apud omnes conſtat, Wolſæum poſtea Cardinalem factum & Angliæ Cancellarium, eam iniuriam ſatis grauiter punijſſe, adeo vt neceſſum habuerit aliquot annos Londini moram facere Poulettus, & ibidem omni genere officiorum gratiam eius facti emercari. Teſtatur idipſum in hodiernum vſque diem ædificium quoddam ſitum Londini, ſupra portam eius loci quod Medium Templum nominatur, à Pouletto eo tempore conſtructum, quando Cardinalem habebat infenſum, & inſignibus Cardinalitijs vſquequaque pompaticè adornatum, vt eo ſaltem modo hominem demereretur. Verum hæc poſtea. Wolſæus, ſiue ignominiæ illatæ pertæſus, ſiue altiores ſpiritus gerens quàm vt tantulo ſacerdotio immoraretur: eo relicto, in famulitium ſe dedit Naſanti cuiuſdam, militis, per quem in Epiſcopi Wintonienſis Foxi notitiam peruenit. Hic ingeniorum iudex ſagaciſſimus, poſtquam in iuuene iſto animi ſolertiam magnam, eruditionem non contemnendam, & admirabilem in rebus gerendis dexteritatem deprehendit: Regi Henrico ſeptimo (qui in Foxi fide & prudentiâ vnicè acquieſcebat) hominem tam impenſè commendauit, vt magni momenti negotiis tractandis, eum protinùs admouendum duxerit. Quid plura? placuit: apud Regem breui temporis ſpatio magnus euaſit: Et ab eo Decanatu primum Lincolnienſi, mox Eleemoſynarij Regij munere honeſtatus eſt. Poſtquam verò rerum potitus eſt Henricus octauus, adoleſcentis animum blanditijs & morum commoditate penitùs occupauit. Siquidem, cum alij amici omnes omnes rogarent, vt conſultationibus eorum qui, ipſi erant à ſecretis, aſſiduus intereſſet, atque ſic experientiâ magiſtrâ & rerum vſu, prudentiam colligeret, rebúſque gerendis ſeſe aſſuefaceret: ſolus Wolſæus vitam iucundiorem ſectaretur iubet, conſultationum tædia adoleſcenti (dictitans) non ferenda: ætatem hominis temporibus diſcretam, & vnicuique ſui ſtudia conuenire: 1514.

BIBLIOTECA ... ROMA

Digitized by Google

1514. conuenire: Non rectè facere qui ſenilem ſeueritatem tanquam perſonam neſcio quam, intempeſtiuè obtrudant, & iuueni inuitâ conentur Minervâ inducere. Futurum olim ſi Deo placuerit, ut quæ huic ætati moleſta videntur, provectiori non ingrata ſint, aut etiam fortaſſis oblectamento. Donec ea veniret, præſenti frueretur: neque alijs inutiliter obſecundando, eius fœlicitatis quam imperij ſui magnitudo facilè largiretur, curſum, vllatenus retardaret. Iret igitur, venatum; aucupia, aliáſque honeſtas voluptates fortiter conſectaretur: ſi quando fuerit ut ſenex derepente fieri aveat ſenilibus curiſe immiſcendo; non deeſſe inquiens inter ſuos (ſeipſum volebat ſubintelligi) qui vno aut altero verbo, ſub veſperam narrare poſſint, quæ multarum horarum altercatio, ne dicam totius dei conſultatio expreſſerit. Oratio hæc Regis cupiditatibus mirificè congruens, tantum Wolſæo peperit potentiæ, ut cum antea, gratiâ inter alios plurimum pollere noſceretur, nunc poſthac planè ſecundus à Rege haberetur, & ſolus apud eum omnia potuerit. Nam ille ſtatim delectus eſt, qui tanquam Mercurius aliquis inter Iouem hunc & minorum deorum ſenatum diſcurreret, atque horum ſcita ad illum, illiúſque placita ad ipſos deferret. In numerum igitur eorum qui principi erant à ſanctioribus conſilijs, primo quoque tempore aſciſcitur: & præter Tornacenſis ſedis nuper ſibi demandatam adminiſtrationem, mortuo (ut retulimus) Smitho, Lincolnienſi quoque eccleſiæ Epiſcopus præficitur. In cuius regimine, 6. totos menſes nondum tranſegerat, quando Romæ defuncto Bambrigio Cardinali, ad Eboracenſem Archiepiſcopatum (quem is tenuerat) à Lincolniâ transfertur. Breui deinde poſteà (ut omnia in vnum congeramus) à Rege Cancellarius Angliæ (eiurante Warramo Cantuarienſi) & à Papâ legatus à latere pronunciatur. Sed neque hic ſiſtitur. Quaſi Cardinali alendo Archiepiſcopatus Eboracenſis & Angliæ Cancellariatus non ſufficerent: multa ſacerdotia, Sancti Albani Abbatiam & Epiſcopatum inſuper Bathonienſem à Rege emendicat. Neque verò his tandem contentus, Dunelmenſem eccleſiam vacantem, Eboracenſi non veretur adiungere, (repudiatâ Bathonienſi) & deinde Dunelmenſi relictâ, Wintonienſem (totius Angliæ tunc temporis opulentiſſimum Epiſcopatum) occupare. Videtis iam Wolſæum, opibus af-

Digitized by Google

ﬂuentem, gratiâ principis pollentem & ab infimâ ſort: ad amplißimam fortunam euectum. Quid eo deinceps factum fuerit, in ſequentibus porro narrabitur. 1514.

ANNO CHRISTI 1515. REGN. 7.

SAncitum nuper cum Ludouico Gallo fœdus ratum vtique habuit Franciſcus ſucceſſor eius, quod publico edicto Londini proclamatum eſt Apr. die 9.

ANNO CHRISTI 1516. REGN. 8.

Simultas inter Regem & Gallum.

CVm verò Gallus Regem Scotiæ adoleſcentulum in ſuam fidem recepiſſet, & in Scotiam miſiſſet Ioannem Stuartum Albaniæ Ducem, vt Regis ipſius & regni moderator exiſteret: Ille nihil prius habuit, quàm aut interficere, aut in exilium pellere, quotquot Anglorum Regi ſtudere compererat. Regis Mater in primis (quæ iam Archibaldo Duglaſſio Anguſiæ Comiti nupſerat) fugâ ſibi conſulere coacta, fratrem rectà petijt Angliæ Regem, apud quem integrum annum Londini manſit, marito Duglaſſio poſt vnum aut alterum menſem, ne petito quidem commeatu, in Scotiam abeunte. Has Galli rationes Henricus moleſtè ferens, Maximiliano Cæſari, quocum Gallus de Mediolanenſis Ciuitatis imperio tunc temporis contendebat, magnam pecuniam ſubminiſtrat, vnde Heluetiorum copias compararet ad Gallos ex Italiâ deturbandos. Cæterùm ille, exercitu quamuis inſtructus ſatis firmo, re infectâ domum reuertitur. Conſilio princeps melior, quàm dexteritate agendi, quippe, in deliberando habitus non imprudens, in rebus gerendis tamen inefficax plerúmque fuit: ſiue fortunâ ſucceſſus denegante, ſiue naturâ ſegnior eſſet ad bene cogitata exequendum. Non multum temporis interceſſerat, cùm placet iterùm fortunam tentare. Oratorem mittit ad Regem noſtrum, Matthæum Cardinalem Heluetium, per quem, aliam adhuc pecuniam ab illo impetrat. Hæc data eſt Genuenſibus quibuſdam mercatoribus, qui Imperatori eam in Italiâ tempore conſtituto pendendam receperunt. At ij, ſiue ab hoſte corrupti, ſiue non adeò opulenti vt verſuram facere poſſent, fidem certè

feſellerunt

1515. feſellerunt,& hos quoque conatus Cæſaris irritos reddiderunt. Regis culpam hanc fuiſſe non puto: quamvis ſuſpicari liceat, ingentibus illis theſauris iuveni à patre relictis iam ferè conſumptis,& Gallo ſolidæ pacis conditiones clanculùm offerente,amicitiam apud Cæſarem contractam, quæ tanto illi conſtiterat,iam cœpiſſe flacceſſere. Certe vt de fœdere Francico (quod mox ſequutum eſt) taceamus, ærarium hoc tempore ita vacuum repertum eſt,vt nouas rationes pecuniæ colligendæ Regem excogitare oportuerit. Huic negotio (vt cæteris ferè omnibus) Cardinalis præficitur Wolſæus: qui omnes regij fiſci rationes excutiens, multos reperit grauiter obæratos, & miniſtrorum fiſcalium ſiue incuriâ ſiue perfidiâ, nunquam antea ad rationes reuocatos. Inter alios, Dux Suffolciæ magnã pecuniam Regi debere inuenitur. Is præter proprias opes, 60. aureorum millia (vxoris dotem) noſtræ pecuniæ, 18000. librarum, à Gallorum Rege annuatim percipiebat. Nunc tamen habuit neceſſum ab aulâ regiâ ſecedere, & ruri degere, vt parſimoniam colendo,haberet tandem vnde debitum huiuſmodi exolueret. Facinoroſos tùm poſt hos Cardinalis aggreditur,cuiuſcúnque demum eſſent conditionis,periuros,raptores, tenuiorum oppreſſores,ſeditionum authores& huiuſmodi conſimiles: quos omnes nullâ dignitatis cuiuſquam habitâ ratione aut affecit pœnâ aliquâ publicâ,aut magno ſe redimere coegit. Iſta faciendo, & ærarium anteà vacuum repleuit, & apud plebem magnam ſibi iuſtitiæ laudem non immeritò comparauit. Hæc igitur cum pro voto ſibi ſuccedere videret: ad alia adhuc animum adiecit in hoc genere Novum quoddam tribunal inſtituit,cuius iudices eſſent Conſiliarij regij & alij aliquot magnates: huic datur cognitio criminum prædictorum, quæ tunc temporis magnopere inualuerant, & Curia Cameræ ſtellatæ hodie appellatur, propter ſtellas (vt opinor) in laqueari illius conclauis, vbi ius dicitur, depictas. Enimverò præter iſtud, alia porrò conſtituit iudicia, vbi pauperum querimoniæ exaudirentur. Multáque ordinauit in rebus ciuilibus,popularibus grata ac nobis in hunc vſque diem vſurpata,quibus virũ ſe oſtendit ſapientiſſimum,nec non reip. amantem. Certè,qui illis temporibus vixerunt, aſſerere non dubitarunt, cum hoc regno nunquam fœliciùs actum, quàm Wolſæo florente, cuius conſilijs

Curia Cameræ ſtellata inſtituta.

Curia item libellorum ſupplicum.

filijs pacem opulentam & ſecuram, quâ fruebantur, atque iuſtitiam æquo iure ciuibus omnibus adminiſtratam, tribuebant. 1516.

ANNO CHRISTI 1517. REG. 9.

VEre iam appetente, magni motus in ciuitate Londinenſi ſuſpicio oborta eſt. Eius initia & ſucceſſus accuratiùs paulò perſequi placet, quòd huiuſmodi ſeditiones in noſtrâ gente ſaluberrimis legibus coercitæ, adeo raræ ſint, vt me puero, meminerim ſeniores ætatem ſuam ex hoc tempore numerare ſolitos, idque infauſti Maij appellatione deſignaſſe. Longæ pacis affluentia, tam bonarum quàm malarum artium mater & altrix, peritiſſimos omnium gentium artifices alliciebat, ad ciuitatis Londinenſis nobiliſſimum emporium frequentandum. Imperita verò plebs, non videns quantùm boni gens noſtra conſequeretur ex hâc artium & ſcientiæ communicatione, ſtomachabatur ab hominibus peregrinis ciuitatem ſuam incoli, ac opifices præſertim quiritabantur, mercedem ſuam tenuiorem in dies accreſcere, quippe partem eius haud exiguam ad exteros & aliengenas alendos neceſſariò quotidie decidi. Hâc de re in omnibus circulis multus ſermo, donec Inſtitor quidam Ioannes Linconius ſeditioſorum anteſignanus, concionatori vni aut alteri perſuadere nititur, vt iſta popularium grauamina proceribus regni pro concione aperiant. Habentur quotannis ad xenodochium Sanctæ Mariæ in feſtis paſchalibus Conciones totius anni celeberrimæ. Harum vnam habiturus erat Henricus Standiſhius (Aſſaphenſis poſteà Epiſcopus) vir grauis & doctus: Is hâc de re à Linconio tentatus, omnem talis negotij mentionem auerſatus eſt. At Theologus quidam nomine Bellus (qui illi in eo munere poſtridiè ſucceſſurus erat) haud veritus ſe ſeditioſorum conatibus adiungere, ſcriptum quoddam ab ijs oblatum publicè pro concione recitat: deinde pro themate aſſumens illud Prophetæ Pſalm. 113. Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum: ex eo ſatis ſtultè argumentatus eſt, terram Anglicam ſolis Anglis datam, neque permittendum vt eius aliquâ parte exteri potiantur. Multa ab eo in hanc ſententiam dicta ſunt, cum magno vulgi plauſu & approbatione, qui odio exterorum prius accenſi, nunc nihil aliud quàm ſeditionem

Seditio Londini.

Ill May day.

D nem

Digitized by Google

1517. nem ſpirabant. His accedebat, quòd eorum nonnulli (exterorum dico) multa per eos dies perpetraſſe contra ius fáſque haud perperam ferebantur. Seditione igitur indies gliſcente, in multis locis exteri male habiti, & in compitis nulla quenquam iniuria laceſſentes, pulſari cœpti ſunt. Harum iniuriarum authores, cum Prætor in vincula coniecíſſet: rumor ſubitò incerto authore per ciuitatem increbuit, futurum vt primo die Maij, exteri omnes vbicunque reperiri poſſent, interficerentur. Hic etiamſi à ſeditioſis hauddubie emanauit, vt rei aggrediendæ quaſi ſignum & teſſara eſſet hominibus ſuæ factionis: effecit tamen, vt ante id tempus exteri ſibi fuga conſulerent & magiſtratus cauerent diligenter ne quis tumultus tunc temporis in ciuitate oboriretur. Pridiè igitur eius diei (qui Philippo & Iacobo ſacer eſt & multa iuniorum lætitia celebrari ſolitus) edicto publico ſub veſperam imperatur, vt omnes vbique ciues ianuas habeant clauſas, & famulos domi contineant vſque ad horam ſequentis diei nonam. Vix dum ad omnes huius edicti notitia peruenerat, cum magiſtratuum quidam per vicos ciuitatis obambulans, turmam videt iuuenum ſimul & adoleſcentium animi gratia batuentium & ſeſe bacillis exercentium, ex illo hominum genere quos Apprenticios appellamus. (Ij ferè adhuc impuberes, à parentibus vel tutoribus in famulitium traduntur mercatoribus aut opificibus, data etiam nonnunquam pecunia, vt artem ediſcant ab illo cui mancipantur, quam poſt tempus condictum, annos puta 7. vel 9 liberi iam facti profiteantur & exerceant.) Hos igitur, magiſtratus, tanquam edicto regio non gerentes morem, acriter increpat, grauiter ſimul interminatus ni ſe quàm celerrimè domum recipiant: cumque ſegniùs obtemperarent, corripi iubet vnum aut alterum & in carcerem compingi. Reliqui verò ſocijs ferentes opem, reſiſtunt & ſimul ſublato clamore, vt omnes eiuſdem ordinis per totam eam ciuitatis regionem accurrerent, effecerunt. Cùmque eius motus fama dicto citiùs vniuerſam ciuitatem eſſet peruagata, mirum quàm ſubitò ingens hominum concurſus factus eſt, nautarum, nobilibus famulantium, egenorum & vrbanæ plebis: ſed numerus longè maximus illorum erat, quos Apprenticios nuncupare ſolent. Hi iam in ſeditionem concitati, carceres effringunt & eos quos diximus

ibi

ibi concluſos, quod exteros quoſdam pulſaſſent, eripiunt. 1517.
Tum per omnes vicos ciuitatis turmatim volitantes, exterorum domos vbicunque diripiunt, & ipſos ad necem quæritant. Illi verò id ipſum metuentes, iam anteà (vt retulimus) aufugerant. Ita totam eam noctem debacchati, copias regias contra ſe aduentare audientes: ſub auroram ad ſua ſinguli dilabuntur, præter paucos (ad numerum fortè 300. inter quos. 11. fœminæ) qui à magiſtratibus excepti & ergaſtulis concluſi ſunt. Iudicio ſiſti omnes placet, ad mortis verò pœnam 13. tantum deſignati ſunt quorum 9. in patibulis per diuerſas ciuitatis regiones ad terrorem erectis ſuſpenſi ſunt. Linconius, Sherwinus quidam, & Bettijduo germani fratres, qui concitandæ ſeditionis principes extiterunt, ad vicum totius ciuitatis celeberrimum Chepſide nuncupatum deducti ſunt, vbi Linconius (prout bene meritus erat) ſuſpendio mortem obijt, & alius laqueo ſtabat ad ceruicē aptato iam iam deijciendus, cum advolat quidam clementiæ regiæ nuncium apportans, ſontibus lætum, cæteriſque omnibus (vt ſunt mentes hominū ad miſericordiam propenſæ) planè gratiſſimum. Tres Reginæ, Angliæ nimirum, deindè etiam Franciæ & Scotiæ (nam & illæ Regis ſorores tunc temporis fortè aderant) aſſiduis precibus Regem fatigabant in genua prouolutæ, nec deſtiterunt, donec annuente Wolſæo (a cuius ſolius arbitrio is pendebat) venia miſeris conceſſa eſt. Hunc finem is tumultus habuit, qualem per multos annos experta non eſt ea ciuitas, optimis ſcilicet temperata legibus, quibus ſub graui pœna vetitum eſt, ne vllæ coitiones aut cœtus vſquam congregentur, hominum præſertim armatorum, ſine publica authoritate. Menſibus Auguſto & Septembri, peſtifero ſudore, morbo prioribus ſeculis incognito laboratum eſt. Inter plebeios innumeros, procerum nonnulli, Barones videlicet Clintonius, & Greyus de Wiltona, hac lue ſublati perierunt. Symptomata & remedium petas ex Polydoro Virgilio (in anno 1. Henr. 7.) qui, tum primum mortales eam vexare cœpiſſe, fidenter, &, vt opinor, verè pronunciat. Hoc malo vaneſcente, peſtilentia per totam hyemem in plurimis regni partibus ſæuijt, adeo vt contagionis periculum Rex veritus, modò huc, modò illuc cum paucis famulorum ſecedere cogeretur. Huius anni ſub initium, Februar. videlicet 11.

Sudor Anglicus.

 nata

Digitized by Google

1518. nata eſt Maria Angliæ poſtmodùm Regina.

ANNO CHRISTI 1518. REG. 10.

Cum Gallo Pax.

Comment. lib. 1.

SVSPENSVM diuturna deliberatione pacis cum Gallo negotium, nunc tandem Septembri menſe tranſactum eſt, idque (vt habet Bellaius) his conditionibus: Mariam nondum bimulam, quam vnicam Rex noſter habebat, vti Franciſcus Galliæ Delphinus duceret vxorem, imprimis cautum eſt: Tornacenſis deinde ciuitas nuper a noſtris capta, Gallo vt reſtitueretur, qui Anglo 400. aureorum millia numeraturus erat, ducenta videlicet millia ad rependendos ſumptus arcis illic ædificatæ, machinarum, pulueris, & reliqui bellici apparatus, quæ omnia illic relinqui oporteret: reliqua ducenta cederent tum in ſumptus belli eius quo ciuitas capta eſt, tum in reliquationem penſionis debitæ ſupplendam. Et quoniam præſens pecunia non numerabatur, dantur obſides 8. nobiles, dum tota ſumma ſuppeditaretur. Hæc ille. Noſtri verò duplò maiorem pecuniæ ſummam à Gallo conceſſam tradunt: 600. videlicet millia pro ciuitate, & 400. pro arce: præter 23. millia librarum Teroanenſium Regi à Teroanenſibus debita, & annuam penſionem 1000. marcarum (habent eæ aureos Gallicos 2100.) Wolſæo Cardinali, vt Tornacenſis Epiſcopatus adminiſtrationi renuntiaret aſſignatam. Ad hæc pacta confirmanda, paulò poſt Carolus Wigorn. Comes cum Epiſcopo Elienſi Weſto, & nonnullis alijs in Galliam nauigant, & tùm à Rege, tùm regni principibus, prolixè magnificéque accipiuntur.

ANNO CHRISTI 1519. REG. 11.

Maximilianus Cæſar moritur.

GERMANIA Cæſarem ſuum Maximilianum Ianuar. 12. amiſit, anno ætatis ſuæ 63. cum, intempeſtiuè pharmacum incertæ, efficaciæ contra morbum quem ſibi imminere putabat, hauſiſſet. Demortui locum & honorem omnibus modis ambiuit Franciſcus Gallorum Rex. Sed Carolus, quanquam Hiſpaniarum Rex, tamen quòd & patria (Gandavi natus) & ortu paterno Germanus erat, antelatus eſt, & omnium electorum ſuffragijs Imperator declaratus, annos natus vndeviginti. Ea

præcipuè

Google

præcipuè res cauſam dediſſe creditur exitiali illi bello, quod inter eos breui poſteà exarſit: etſi non ſum neſcius alia prætendi, quæ per ſe leuiora ſunt, quàm ut tantum bellum excitare debuerint. Gallus igitur cum vindictam repulſæ animo decoqueret, ne conatibus eius à nobis impedimentum aliquod exoriretur, in id totus incubuit vt amicitiam cum Henrico noſtro nuper initam omnibus modis firmaret. Itaque per Bonivetum Amirallium cum Wolſæo agit, vt ipſi (2. inquam reges) conueniant, & omnia rata habeant coram, quæ à ſuis anteà tranſacta ſunt. Dies igitur conſtituitur quo Rex Guineas, Gallus Ardream veniret, locúſque in medio itinere ad colloquium deligitur. 1519. *Regis cùm Gallo colloquium.*

ANNO CHRISTI 1520. REG. 12.

OTEFORDAM à Grenvico 21. Maij Gallo occurſurus Rex proficiſcitur, & deinde modicis itineribus Cantuariam 25. eiuſdem menſis pervenit. Pentecoſtes dies feſtos ibi loci tranſigere decreuerat. Accidit verò intereà (die nimirum ſequenti) ut Carolus V. Imperator (tum nuper creatus) in reditu ex Hiſpania Doveriam fortè fortuna appelleret: Oppidum id eſt maritimum, cum arce totius regni firmiſſima, ad duodecimum à Cantuaria lapidem. Rex igitur, eo nuncio accepto, magna lætitia perfunditur, & quamvis intempeſta tum nox eſſet, equum protinus conſcendit, alteráque poſt mediam noctem horâ, multis funalibus prælucentibus in arcem Doverenſem (vbi Cæſar tunc erat) deductus eſt. Imperator ex initere laſſus, ſomnum in lectulo capiebat: At de appulſu Regis quamprimùm reſciuit, reſumptis veſtibus in occurſum eius feſtinabat, & illi ad ſummos gradus obuiam factus eſt. Poſt complexus & mutuam ſalutationem, diù colloquuti ſunt, & proximo manè (ipſo videlicet Pentecoſtes feſto) Cantuariam ſimul iter faciunt, Imperatore ſemper dextram tenente, & Comite Derbienſi gladium (pro more apud reges vſitato) vtrique præferente. Eſt Cantuaria ciuitas, antiquitate priſca, quàm magnitudine moderna nobilior. Siquidem ut de ſede taceam Archiepiſcopali ante annos 1000. ibidem inſtituta. fuit olim privatorum ædificiorum pulchritudine, & ſacrarum ædium magnifi-

Carolus V. Imp. in Angliа. *4. leucis, ſiue 13. mill. Italicis.* *Cantuaria Ciuitas.*

1520. ca ſtructura, quod annales noſtri abundè teſtantur, ſplendidiſſimis Angliæ civitatibus præferenda. Nunc verò talis eſt, ut quærere libeat, quomodo tantoperè imminuta ſit, & à tanta magnitudine in tam paucorum annorum curriculo exciderit. Ciuitas Londinenſis tanquam lien intumeſcens, cæteras regni vrbes omnes exangues & exuccas reddidit, incredibile quantum augeſcens quotidiè, tabeſcentibus illis & indies magis magiſque deſertis. Cantuaria verò multum etiam ſplendoris amiſit, euerſo Diui Auguſtini monaſterio, Caleto poſtmodum amiſſa & Becketti Archiepiſcopi ſepulchro diruto, quæ res magnam commeantium frequentiam eò attraxerant. Manet vnicum ciuitatis ornamentum, Baſilica Cathedralis & metropolitica, tanta maieſtate ſe in cœlum erigens, (inquit Eraſmus) ut procul etiam intuentibus religionem incutiat. Hæc Chriſti nomini antiquitùs dedicata, ante aliquot ſecula in S. Thomæ titulum degenerauerat. Is Thomas cognomento Beckettus à militibus in hoc templo trucidatus eſt, quòd ſe Regi Henrico II. pervicaciùs oppoſuiſſet: deinde ſepultus ibidem, & in catalogum Sanctorum aſcriptus, magnam loco claritatem conciliauit. Etenim iam inde ab eo tempore, ad noſtram ferè ætatem, ſuperſtitionis gratia, confluebant eo certatim cum ampliſſimis donarijs, ſummi, infimi, ex omni genere hominum per vniuerſam Europam. Hinc adeo ditatum eſt cœnobium, ut de eo & eccleſia, his temporibus ſic loquutus fuerit Eraſmus: gemmis (inquit ille) raris & prægrandibus collucebant, micabant & fulgurabant omnia, & templum vniverſum pluſquam regijs opibus abundavit. Ipſáque præcipuè Theca in qua conditæ fuerunt S. Thomæ reliquiæ, ita monilibus pretioſiſſimis fertur cooperta, ut auro nihil vilius circa eam ſpectaretur. Huc igitur venit, comitante Rege Henrico, Carolus quintus Auguſtus, vtrum religionis potiùs, an viſendi loci gratia, non habeo pronuntiare. Hoc verò certum eſt, primo ſtatim adventu, ad eccleſiam, deducente Cardinale cum vniuerſo clero, rectà perrectum, ibique in veneratione, & munerum ad Becketti tumulum oblatione, multum temporis abſumptum, non tantum ab Imperatore, ſed ab eo ipſo etiam, qui paulò poſt tumulum ipſum euertit, & multarum ætatum donaria immenſi pretij, gazam planè regiam, abripuit. Sed pergo. Ab eccleſia ad palatium Archiepiſcopale omnes proficiſcuntur,

ciſcuntur, vbi Regina Imperatoris amita, eos præſtolabatur, & 1520.
advenientem nepotem magna cum lætitia excepit. Totum eum triduum in convivijs & omni hilaritatis genere tranſegerunt: tumque Imperator Sandvicum ad claſſem ſuam contendit, Rex & Regina Doveriam, & inde Caletum traiecerunt, vt colloquium cum Gallo iam pridem deſtinatum, debitum tandem ſortiretur effectum. Dies conſtitutus erat ſeptimus Iunij, & locus (ut diximus) inter Ardream & Guineas. Tunc reges ambo equis *Sic Bellaius* Hiſpanicis invehentes, comitati vtrinque maxima nobilium *Com. l. 1.* multitudine, quanta ante 100. annos conſpecta ſimul non fuerat, florentes ætate, omnium totius orbis terrarum pulcherrimi & ad arma omnis generis tum equeſtri tum pedeſtri certamine aptiſſimi, ſeſe coram conſpexerunt. Quæ fuerit utriuſque regis ornatus magnificentia, dicere nihil attinet, cum tanta in ipſis comitibus eſſet copia, ut locus ille caſtra aurea dictus ſit. Vti ſeſe ex equo complexi ſunt, deſcendunt in tabernaculum ad eam rem comparatum, cum Rex ſecum duntaxat Cardinalem Eboracenſem, Duces Northfolcium & Suffolcium haberet, Gallus Ammirallium Bonivetum, Cancellarium Pratenſem, & alios aliquot conſiliarios. Illuc ingreſſi; & de priuatis rebus familiariter colloquuti iubent eo loci fieri theatra & hippodromum ad decurſorium certamen, ut ſeſe ſumma lætitia toto eo tempore oblectarent, quum vtrinque delecti grauioribus rebus decidēdis incumberent, qui ſingulis diebus de ijs quæ tranſacta erant, referebant. Quatuordecim dierum ſpatio duo principes concurrerūt, & adfuerunt magno numero viri bellica laude præſtantiſſimi. Poſteà Rex Gallum epulo excipit ad Guineas in ædibus ligneis quæ quatuor manſionibus cōſtabant. Has in Anglia, partim, partim in Hollandia ædificari, indeque apportari curauerat. Exterior domus circumtecta erat tela picta, quæ ſpeciem quadrati lapidis præferebat, interior aulæis pretioſiſſimis circūſtrata, vt nemo eſſet cui non videretur ædificium ſumma arte conſtructum: Fuit autem ad formam comitij mercatorum quod viſitur Caleti compoſita. Eam poſtea diſiunctam & in Angliam reportatam (dicit Bellaius) adeoq; nihil regi conſtitiſſe, Cum certum ſit & à noſtris memoriæ proditum, ex Anglia miſſos in Galliam cementarios 300. fabros 600. pictores, vitriarios aliosque opifices 200. (vt vniuerſi 1100. virorum numerum com-

 plerent,)

vi venti abripuit, ardentes ſupra mille cereos extinxit, ſedes ſumptuoſiſſimo apparatu principibus extructas deformauit, expectationem populi in theatro congregati eluſit, & aliò denique migrare conuiuium coëgit. Sex dierum quas Caleti Cæſar tranſegit, certamina ludicra, choreas perſonatas, epulas ſplendidiſſimas & pluſquam Sybariticas quid attinet dicere? Hoc vnicum ſerium inter principes in iſto duplici congreſſu actum eſt, quod pax vſque quaque firmata, fœdus perpetuum ſancitũ, & amicitia fida iniri viſa eſt. Neque enim quiſquam erat integro iudicio prædítus, qui ſuſpicaretur inter noſtrum & iſtos, inimicitias aliquando vllas exorituras, præſertim cum vterque tantum illi deferret, vt eum controuerſiarum ſuarum (ſi quæ fortè contingerent) arbitrum conſtituerent. Cæterum quàm parum fidendum ſit pactis & conuentis Regum, vbi alia quàm fidei datæ vincula non conſtringunt (religionis puta, affinitatis aut manifeſtæ vtilitatis) exemplo eſſe poſſunt fœda iſtorum diſſidia, & acerrima bella, quibus Europam vniuerſam poſtmodùm diuexarunt, & Chriſtiani nominis hoſti Turcæ occaſionem præbuerunt, ditiones noſtras paſſim occupandi. Cæſar poſt omnia humanitatis officia ipſi à rege exhibita, equum, quem dono ab eo acceperat generoſiſſimum, panno ſtratum aureo magni pretij gemmis diſtincto, conſcendit, & Gravelingam lætus reuertitur, amitam ſæpe prædicans fœlicem, quæ tanto principi matrimonio iungeretur. Rex deinde poſt Imperatoris diſceſſum, paucis diebus Caleti commoratus, Doveriam vento uſus ſecundo traiecit, & Londinum brevi poſteà incolumis peruenit, cum ingenti illo ſuo comitatu, quorum fœlicitati non poſſum non inuidere, quòd tam paruo temporis ſpatio, tres Monarchas totius Europæ potentiſſimos, coram contigiſſet conſpicere, quique propter res geſtas, & magnas ſub illis mutationes factas, nomen clariſſimum apud poſteros hauddubiè obtinebunt. 1520.

ANNO CHRISTI 1521. REGN. 13.

DVCEM Buckinghamiæ, Edwardum Staffordum, res nouas moliri ſub hoc tempus compertum eſt. Famili. is natus eſt neſcio dicam antiquiori an clariori: Siquidem à Roberto de *Buckinghamiæ Dux proditionis arceſſitur.*

mouiſſe, ducem, dum in veſtium ſplendore & conuiuiorum magnifico apparatu, cum ipſo certare non vereretur. Cardinalis verò faſtum & elationem apertè contempſit, quod neſcio an perniciem illi magis accelerarit, quàm ipſius Regis offenſio. Tutius enim ſæpè læduntur ipſi principes, quàm illi à quorum pendent conſilio & authoritate. Multis in ore eſt, cum manus aliquando lauaſſet Rex, in aquam quâ vſus is fuerat, Wolſæum protinus manus immiſiſſe, Ducémq; qui peluem interim tenebat, indignatum, ſe ſacerdotis factum eſſe miniſtrum, aquam effluere paſſum in calceos Gardinalis, eoque facto irritatum illũ minitatum poſteà Duci, ſe tunicæ eius lacinijs inſeſſurum: adagium id eſt apud Anglos, vindictæ occaſionem captantis. Dux igitur, vt ſimul minas hominis aſpernari videretur, & maleuolentiam eius principi oſtenderet: poſtridiè venit ad Regiam ſplendidè (vt ſolebat) veſtitus, niſi quòd omnes tunicæ lacinias abſciderat. Tam deformis habitus cauſam multis percontantibus, ac ipſo in primis Rege, reſpondit promptè, caui ſſe iam ſe diligenter, ne Cardinalis tunicæ ſuæ lacinijs inſideret: Eâ nempe facetiâ Cardinalem putabat irriſum, & obtrectationibus eius omnem in poſterum fidem apud Regem derogatam, tanquam ab inuidiâ & maleuolentiâ prouenientibus. Verum opinione adeò fallus eſt, vt Cardinalis inimicitiâ, quàm ſuo crimine, grauius preſſum, plurimi non imprudentes tunc temporis autumarent. Vt vt fuerit, Rex qui ἀναιμακτὶ hucuſque geſſerat imperium, ijs quas primum retuli cauſis inductus (ita ſaltem publicæ teſtantur tabulæ) ſummi iſtius viri ſanguine, cruentari manus ſuas non difficulter paſſus eſt: multis querentibus nobiliſſimam familiam, ob vnius hominis facinus, magis inconſultum quàm nefarium aut graue, euerſam penitus concidiſſe. Ego certe, ſi fas eſſet eò vſque in iudicia diuina inquirere, huius cladis cauſam non dubitarem ſceleri paterno imputandam pronuntiare, qui legitimum principem Edwardum quintum regno ſpoliandum curauit. Cuius facti cum eum poſtmodum pœnituiſſe conſtet (nam in oppugnando tyranno quem extulerat ipſe, perijt miſerè) huic eius reſipiſcentiæ aſcribendum duco, quod poſteri eius à procerum ordine haud omninò exciderunt, Baronum de Stafford honore hodie illuſtres. Primas videlicet partes habet non peccare, ſecundas deinde citò 1521.

1521. reſipiſcere. Sub eiuſdem anni curriculum, Rex contra Martini Lutheri dogmata conſcriptum à ſe libellum, Leoni Pontifici munus mittit acceptiſſimum. Hic Leo nondum annos 38. natus, iuniorum aliquot Cardinalium conſpiratione Papa renunciatus, in nouâ dignitate iuueniliter exultans, theſauros eccleſiæ in venationibus & aucupijs ac alijs voluptatibus (fortè non perinde honeſtis) prodegit. Egeſtate tùm cogente, ad corrogandam vndiq; per fas & nefas pecuniam animum intendit. Cumque alia ratio non occurreret; nullo temporis aut locorum habito delectu, indulgentias omnis generis habuit venales, quibus ſcilicet licebat pœnas purgatorij datis aliquot nummis, ad inſtaurandam (is enim erat prætextus) Sancti Petri eccleſieam, redimere. Quicquid verò in ſpeciem dicebatur, pecuniæ tantum à mortalibus extorquendæ gratiâ vt inopiam ſuam ſubleuaret, has indulgentias concedi, lippis & tonſoribus conſpicuum erat, omnibuſque notiſſimum. Ideóque cum negotium iſtud, ab ijs quibus demandatum erat, impudenter adminiſtraretur, magnam pleriſque in locis offenſionem indignationemque concitarunt, præſertim in Germaniâ, vbi facultas huiuſmodi, animas à pœnis infernalibus liberandi, paruo pretio vendi, vel in cauponum tabernis aleæ ſubijci cernebatur. Quid verò miniſtros loquor? Cum ipſe Pontifex (quâ fuit ſocordiâ) emolumentum omne ex iſtis condonationibus per magnam Germaniæ partem proueniens, mulierculæ donare veritus non fuerit, Magdalenæ videlicet ſorori ſuæ: idque adeò propalam, vt omnibus ea res innotuerit: & per totam Germaniam fama loqueretur, eam pecuniam quæ corraderetur, non ad Pontificem ſacrúmve ærarium (vnde fortaſſe, vt aliqua eius pars in bonos vſus conuerteretur, fieri potuiſſet) deferri, ſed ad mulieris cupiditatem explendam deſtinatam eſſe. Erat ea tempeſtate Martinus Lutherus Theologiæ Doctor & Auguſtiniani ordinis Monachus: qui non ideò cucullum induerat vt haberet vnde otioſus viueret, ſed quod cultui diuino, relictis mundi vanitatibus, ſe totum conſecrarat. A multis traditum repperi (quàm verè non dijudico) accidiſſe quandoque, vt dum per campos animi gratiâ obambularet, ſodalis quidam eius quocum tunc temporis ſermocinabatur, tactus fulmine, mortuus ſubitò concideret. Hoc amici caſu conſternatum & ſimul admonitum, quam

Rex Lutherum ſcripto libello oppugnat.

Lutherus ab Eccleſiâ Rom. diſceſſit.

quàm incertum ſit tempus quo nobis coram ſummo tribunali ratio reddenda eſt: relicto ſtudio iuris ciuilis, cui ad id locorum incubuerat, monaſticam vitam amplexum ferunt. In eâ ſic vixit, vt morum honeſtate paucos, literarum ſcientiâ (præſertim ſacrarum) inter homines ſui ordinis, vix quenquam reperire eſſet, eum qui exæquaret. Quamprimum igitur eccleſiaſticarum clauiũ tam horribilis innotuit abuſus: pio ſuccenſus zelo, ſe non cohibuit, quin hanc impietatẽ publicè & aſperrimè reprehenderet. Neque verò hic ſiſti potuit (quamuis indignantibus affatim pontificijs) quo minus progrederetur ad alias eccleſiæ Romanæ corruptelas redarguendum, quarum nonnullas ipſi reformare iamdudum coacti ſunt, alias pij principes, ab iſto tanquam ex veterno ſuperſtitionis excitati, paſſim (Deo habeantur gratiæ) quantumlibet inuitis pontificijs & repugnantibus, ſuſtulerunt. Rex noſter intereà, dogmatum commotus nouitate, quæ per ſe ſemper odioſa eſt (in ijs præcipuè quæ ad myſteria religionis ſpectare videntur) pulchrum ſimul & honorificum ſibi futurum exiſtimabat, ſi ſcripto aliquo eruditionem ſuam & cultus diuini piam curam omnibus faceret teſtatam. Hinc prodijt libellus ille, adeo prouectioris ætatis & exercitato aliquo Theologo dignior, quàm adoleſcente Rege (cui, quanquam maxime voluerit, non licuerit tamen in literarum ſtudio ætatem terere) vt alij Thomæ Mori, alij Fiſherij Roffenſis, plurimi verò alterius alicuius ſummi viri opus id fuiſſe haud ſine cauſâ ſuſpicarentur. Vt ut fuerit, edito libello ſic reſpõdit Lutherus, vt multi ſanèqui ſanctum hominis zelum laudarent, modeſtiã tamen ſpiritu ſancto dignam in eo haud immeritò deſiderarent, regiæque dignitatis magis reuerentem. Enim verò Papæ, hæc Regis opera nauata tam grata fuit, vt eum ſucceſſoréſque ſuos, honorifico titulo (Defenſores fidei) poſteà ſemper appellandos decreuerit, quemadmodum anteà Hiſpanus per Alexandrum ſextum Catholici, Gallus per alium neſcio quem Chriſtianiſſimi Regis nomine cohoneſtati ſunt, quæ omnia in hunc vſque diem ab eorum ſingulis vſurpantur. Cæterùm Leo ipſe ſub exitum iſtius anni, veneno (vt plerique putant) ſublatus interijt. Bellum interim exarſerat inter Cæſarem & Gallum, exulceratis nempe iamdudum vtriúſque animis, belli cauſas omnia ſuggerebant. Rex igitur Henricus, quem vterque

Rex Angliæ defenſor fidei à Papâ appellatus.

Leo X. moritur.

1521.

Wolſæus Card. & alij ad Gallum & Cæſarem.

arbitrum conſtituerat, ſi quæ forte lites inter eos exorirentur, legatos miſit ad vtrumque, Cardinalem Eboracenſem, Comitem item Wigornienſem & alios, vt pacem inter eos, ſi commodè id fieri poſſet, conciliarent. Hâc in re ſtrenua ab illis opera nauata eſt: ſed fruſtrà ſudatum. Nam cum eorum diligentiâ & ſtudio negotium compoſitum videretur, fama ſubito affertur, Fontarabiam (quod oppidum eſt in Cantabriâ Cæſarianæ ditionis) ab Amirallio Gallorum Boniveto vi captam eſſe. Quare Cæſar in pacis conditiones non prius iurare voluit, quàm ea redderetur: quod cum Gallus negaret ſe facturum, irrita fuere pacta & bellum redintegratum. Ab eo colloquio legati noſtri recta ad Imperatorem perguntꝫa quo perhonorificè habiti ſunt, per ſpatium 14. dierum, quibus Brugis apud eum moram fecerunt. Cardinalem præcipue ita coluit, vt ſatis conſtaret, eum non ignarum, quantâ eſſet apud Regem ſuum authoritate. Atque hîc lectori forſitan non ingratum facerem, vt nunc ſunt tempora, ſi quot nobiles habuerit Cardinalis ſibitum famulantes, holoſerico veſtitos & torquibus aureis exornatos perſcriberem, quot deinde alios, coccineas tunicas geſtantes, (ſcarletum eum colorem vocamus) quibus addita fertur lacinia ex holoſerico palmari latitudine. Sed ſatis erit perhibuiſſe eam fuiſſe comitatus eius magnificentiam, vt Chriſtiano Danorum Regi & alijs aliquot principibus, qui tunc temporis Brugis apud Cæſarem degebant, maximo fuerit miraculo. Inter cætera, flexis poplitibus Cardinali miniſtrari (quod apud Germanos inauditum) idque à primæ notæ nobilibus, vario rumore differebatur. Ingentem pecuniam in eâ legatione abſumpſit, idque (vt fertur) haud inuitus: quippe Imperatorem ſibi omnibus modis conciliare ſtudebat, ſperans fieri poſſe, vt Leo Papa, quanquam ſe multo iunior, tamen aut ſuorum ſcelere (quod euenit) aut ſuâ intemperantiâ, homo voluptuarius & valetudinis incurioſus, interiret, ipſeq; Cæſaris & Regis noſtri ſubnixus fauore, Papatum conſequeretur. Quamprimum igitur de morte Leonis auditum eſt: mittitur confeſtim Paceus Londinenſis Decanus in Italiam, cum mandatis ad certos Cardinales quos ſui ſtudioſos putabat, vt hoc ſibi negotium conficerent. Ille verò antequam Romam peruenire potuerit, Adrianum (qui Cæſaris olim præceptor fuerat, & tum Proregem in Hiſpania agebat)

agebat) Pontificem electum pro certo cognouit. 1521.

ANNO CHRISTI 1522. REG. 14.

VErum enimverò Wolſæus nihilo ſeciùs animum nondeſpondit, arbitratus (id quod res erat) Adrianum, decrepitum & infirmum ſenem, brevi moriturum, tempúſque interim ſibi datum ad cupitum faſtigium viam ſternendi. Cæſaris proinde res, ſtudioſius adhuc quàm antè promouet, & Regem inducit ad bellum Gallo denunciandum, quod Fontarabiam ſcilicet non reddidiſſet, & alia pacta per legatos ſuos conventa non ſervaſſet, cum ab eo & Cæſare arbitrium ſibi ex compromiſſo delatum eſſet, & ſimul decretum, ut ſi quid controverſiæ inter illos incideret, pro hoſte haberet, qui ſuo iudicio ſtare recuſaret. Gallus verò antequam bellum denuntiaretur, neſcio vndè præſentiens, quonam vergeret affectus Regis; nauibus Anglicanis per cunctos Galliæ portus manus injicit, negotiatores carceribus, merces fiſco addicit; omnem pecuniam vel Regi pro Tornaci deditione, vel ſorori Regis, Galliarum Reginæ pro dote debitam, apud ſe retinet. His Regi nunciatis, eo modo tractari iubet naues & mercatores Gallicos in Anglia vbicunque repertos, deinde obſides quos quaſi Vades dederat Gallus pro reliquatione pecuniæ Tornacenſis, in arctiſſimâ cuſtodiâ habendos mandat, & ipſi denique legato, ne domum ſuam egrediatur edicit. Tum verò ad conſcribendos milites & alia ad expeditionem neceſſaria ordinanda animum convertit, in eóque totus erat occupatus, cum adſunt ab Imperatore legati petentes, ut arma Cæſariana ſuis coniungat: idque ſi placeat, adfuturum eum dicunt propediem in Angliâ, ut de ſummâ rerum ipſi principes coram poſſint conſultare. Rediturus enim in Hiſpanias (mortuo nuper avo Ferdinando) hâc tranſire multas ob cauſas decreuerat: metuebat ne recentis ſimultatis ſcintilla, ſe procul abſente haud difficulter reſtingueretur: ipſius verò pectus cum odio in Gallum planè flagraret, incendium conſimile in noſtro à ſe præſente excitari poſſe confidebat. Multa deinde commodiùs ſimul & ſecretiùs tractari conſtituíque poſſe ab ipſis, quàm ab internuncijs, quibus in re magnâ nemo ſapiens vnquam vſus eſt, vbi ipſi licuit intereſſe. Sed præcipuam

Cæſar iterum in Angl.

Digitized by Google

ſibi gratius accidere potuiſſe quam Cæſaris optatiſſima conſuetudine tantillo tempore frui. Doveria poſt aliud biduum Cantuariam & inde Grenovicum (domum quandam Regiam) proficiſcuntur. Nepotis adventum deſideratiſſimum ibi loci matertera Regina opperiebatur & venientem cum maxima lætitiæ ſignificatione excepit. Londinum inde totius Regni emporium perrectum & Iunii ſexto idem honoris tanto hoſpiti ciuibus exhibentibus, quod nouo principi in coronationis ſolennibus ſolent præſtare. In feſto Pentecoſtes ad diui Pauli baſilicam ingentem illam & magnificam potiùs quam elegantem, vtrique Principes adfuerunt, Cardinale Eboracenſi ſacrum peragente. Venationes, Convivia, ludicra certamina, & alia huiuſmodi, quibus Cæſarem oblectare Rex, Cives, Nobiles ſatagebant, quid attinet dicere? Poſtquam de ratione fœderis renovanda conventum eſt, Windeſoram petere viſum, locum ad amœnitatem & omne genus voluptatis comparatum, ab vrbe Londinenſi 20. millia paſſuum diſtantem. In magnâ planitie arcem habet ſuper editum collem prope ripam Thameſis fluvij extructam. Arx ea Anglicarum omnium facile prima, munitionum firmitate vix Doverenſi ſecunda, ſtructuræ magnificentiâ & molis amplitudine illam longe anteit. Nam præter ipſam Regiam, templum habet auguſtiſſimum beatæ Mariæ Virgini & Georgio Cappadoci ab Edwardo tertio conſecratum, iuxta quod Collegium cernitur, Decani, Præbendariorum, & Cantorum aliquot habitaculum, prætereáque Prytaneum in quo aluntur honeſtiori loco nati 12. milites emeritis ſtipendiis, veſtiti ſplendidè, qui ſacris quotidiè intereſſe tenentur, vt precibus apud Deum intercedant pro equitibus illuſtriſſimi ordinis Garterij ſiue periſcelidis. Iſta ſiquidem arx quaſi ſedes cenſetur huius inclyti ordinis: quippe in quâ, ex veteri inſtituto, nuper cooptati inveſtituram capere & ſtatis temporibus oblationes facere, aliáque nonnulla officia præſtare tenentur. Hîc igitur in die Corpori Chriſti olim dicato, vterque princeps veſtibus induti ſolennibus & equitibus eius ordinis vſitatis, in ſuis ſtallis (ſic appellantur chori ſedilia) ſibique ab initio creationis aſſignatis, ſacrum audierunt, & Miſſæ myſteria participantes, iuramentum, de pactis nuper icti fœderis non violandis, ſibi mutuò præſtiterunt. Eius vero conventionis hæc præcipuè capita

1521.

Windeſora.

Digitized by Google

1522. capita feruntur: Vti vir ibus quam poſsint maximis vterque Gallum adoriretur: vt regi Cæſar aureorum 133000. quotannis penderet, quantum nimirum ipſi & ſorori ſuæ Mariæ à Gallo debebatur: Deinde vt Mariam vnicam Regis filiam (quæ nondum ſeptennis, regno poſtea potita, Philippo Cæſaris filio quadragenaria nupſit) eam inquam vt Cæſar conſobrinus ſuo tempore duceret vxorem: Denique vt qui ab eo pacto (matrimonij ſcilicet) diſcederet, alteri 500. millia aureorum dependeret, & Cæſar ad fidem faciendam Santaudomarum & Aream Regi noſtro oppignoraret. Quis non arbitraretur hanc coniunctionem indiſſolubilem & adamantinis vinculis conſtrictam fuiſſe, quæ tamen breui diſilijt nec vnquam poſtea firmiter coaluit. Poſtquam hîc loci (Windeſoræ dico) dies octo conſumpſiſſent, Wintoniam iter faciunt, ac inde Hantonam, vbi Cæſarem 180. nauium claſsis operiebatur. Primo die Iulij nauem ille conſcendit multis magniſque muneribus à Rege cumulatus, & quòd amicitiam cum eo inuiolabilem ſe firmaſſe conſideret lætus: deinde Hiſpaniam verſus vela fecit. Havartus interim Surreiæ Comes aliquot nauium claſſem nactus, prope Morleum Armoricæ ſiue Britanniæ minoris oppidum excenſionem fecit, oppidum ipſum vi cepit & incendit, ac poſtquam totam Regionem ferro igniqué vaſtaſſet, in Picardiam profectus eſt, vt ſe copijs Cæſarianis coniungeret. Ab ijs aliquot Caſtella capta & exciſa, deinde Heſdinum irrito conatu obſeſſum. Nam ingruente hyeme, dyſenteria noſtri laborare paſſim cœperunt, ex quo morbo indies augeſcente, poſtquam multi quotidie interiêrunt, ibi loci tempus nequicquam teri exiſtimantes, re infectâ in Angliam reuerſi ſunt. In fine iſtius anni magnâ clade perculſa eſt Reſp. Chriſtiana, Rhodo inſulâ amiſſâ & à Turcis capta, dum Principes noſtri circa res nihili contendentes, & ſeſe mutuis armis conterentes, crucis Chriſti inimicum crudeliſſimum impunè graſſari ſinunt. O vtinam expergiſcantur iam tandem, & coniunctis viribus hoſtem communem adoriantur, qui quanquam non omnibus proximus, omnium tamen ceruicibus imminet.

Fœderis cùm Caſ. initi capita.

Rhodus inſula amiſſa.

ANNO

Digitized by Google

1523.

ANNO CHRISTI 1523. REG. 15.

VXorem ſecum adducens, Caharinæ Reginæ neptem, vtpote Caroli Cæſaris ſororem, Chriſtiernus II. Danorum Rex, ſuorum rebellione pulſus, Doueriam profugus appulit Iunij menſis die 15. Londini paucos dies morati, & ea humanitate habiti quam decet erga ſe mutuo affines exhibere, Iulij quinto Caletum verſus iter ſumpſerunt. Summus interea regni ſenatus (quem Parliamentum vocamus) Londini conuocatur; in quo poſtquam ordinibus expoſitum fuiſſet quanta belli moles immineret, niſi occaſionem pulcherrimam regni Francici denuo recuperandi, vellent e manibus amittere: magna pecunia in eius belli ſumptus haud difficulter impetratur. Neque enim ſolent Principes noſtri ſine Parliamenti authoritate pecuniam extra ordinem imperare, (quod Gallorum Reges pro libitu factitare audio) neque aliquid eſt iam inde à quo Galliam noſtri primum occuparunt, quod liberalitatem popularem potentiùs eliciat, quàm Gallici belli mentio. Is enim vero fuit rerum Gallicarum per ea tempora ſtatus, extra, tot hoſtes, intus, ea perturbatio, vt nihil non ſperare noſtris hominibus licuiſſet, modo opportunitate oblatâ vti voluiſſent. Ab vnâ parte Mediolanenſe bellum regem exercebat, ab aliâ premebat Cæſar. Carolus deinde Borboniæ Dux à Principe ſuo deficiens, Henricum noſtrum ad bellum Galliæ inferendum literis ſuis euocabat, quibus nulli labori ſuo vel periculo parciturum demonſtrabat, vt eum in recuperanda eius regni poſſeſſione (quod hæreditario iure ad illum pertinere fatebatur) adiuuare poſſet. Neque vero ea pollicitatio vana videbatur: nam & in regem ſuum animo erat infenſiſſimo & præterquam quod clientelis præpotentibus per Gallias pollebat, quantùm & manu & conſilio valuerit, res ipſa paulo poſt indicauit, capto intra breue tempus Rege ſuo, Romanâ ciuitate ſuis auſpicijs direptâ, & obſeſſo in mole Hadriani Pontifice, donec ſe & Cardinales ſuos magno lytro redimere cogeretur.

Chriſtiernus Rex Danor.

Borboniæ Dux à Gallo deſciſcit

HAS tantas clariſſimarum rerum gerendarum occaſiones unius hominis ambitio inexhauſta & profunda malitia corrupit, ſed ita, vt viam aperuerit mutationi quæ mox ſequuta eſt

Digitized by Google

1523. in rebus eccleſiaſticis. Benedictus ſit Deus, qui prauis hominum cupiditatibus ad eccleſiæ ſuæ fructum & vtilitatem vti nouit. Conventu Parliamentario dimiſſo, ſub finem menſis Auguſti hominum millia circiter 13. in Galliam Imperatore Suffolciæ Duce emittuntur: Cataphracti videlicet 600. ſagittarij alij Equites, ad numerum 200. alij pedites, quorum 3000. Falciferi 5000. Præſidiarij Caletenſes 1700. & foſſores ac operarij 2600. Hij iunctis ſibi copijs Cæſarianis, in fines Gallorum irruperunt, & expugnatis aliquot oppidis ac Caſtellis, Roia, Mondiderio, Bohanio, Braya & Caſtro bello, eoúſque progreſſi ſunt, vt ad viceſimum ſecundum à Lutetia lapidem conſiſtentes, à Pariſianis magnopere trepidatum ſit, donec miſſus à Rege Brionius, qui Vindocinum mox affuturum nunciauit, cum quadringentis Caraphractis, conſternatos eorum animos vtcunque erexit. His rebus agendis intenti noſtri, domum à rege reuocantur ſub finem menſis Decembris. Hadrianus interea Pontifex 18. Cal. Octobr. mortem obierat, & Iulius Medices poſt duorum menſium interregnum Clementis ſeptimi aſſumpto nomine ſucceſſerat. Expectabat certe Wolſæus vt Cæſaris ac Henrici noſtri operâ, defuncto Hadriano ipſe ſufficeretur. Verùm neque Cæſari erat in votis vt Wolſæus eam dignitatem conſequeretur, (nam Mediceum ambientem omnibus neruis adiuvabat) neque vt maximè annifus pro eo fuiſſet, voti eum compotem facere potuerat, cum certo certius ſit, Cardinales omnes tædium cepiſſe Hadriani, vt Italicarum rerum imperiti: atque proinde omnino decreuiſſe, hominem aliquem Italum aut ſaltem in Italiâ educatum, ad culmen Pontificium euehere. Wolſæus tamen Cæſari vehementer iratus, quòd per eum ſtetiſſe crederet, quo minus Papa fuerit rehuntiatus, abiectâ quam diu aluerat Pontificatus ſpe, dies noctéſque hoc ſolum cogitabat, quomodo à Cæſare hanc ſibi factam (vt putabat) iniuriâ vlciſceretur. Gallo igitur vt gratificaretur & rebus Cæſarianis quouis modo incommodaret, copias noſtras (ſicut anteà retulimus) è Gallorum finibus educendas curauit, tempus anni cauſatus alienum, & iterum traducendas appetente vere pollicitus.

Hadrianus Papa moritur. Clem. 7. ſuccedit repulſam paſſo Wolſæo.

ANNO

IVſtam verò offenſionis cauſam cum Cæſar nullam dediſſet; auſus non eſt Cardinalis Gallicis rebus ſe fauere profiteri. Clandeſtina proinde colloquia cum Gallo inſtituit Ioannis cuiuſdam Ioachimi Genuenſis operâ, in quibus de totâ ratione noui fœderis ineundi (inconſulto adhuc rege) tranſactū eſt. Fuit eâ tempeſtate Cæſari cum Gallo bellum ingens, idque magnâ partium contentione gerebatur. Gallus ipſe validiſſimas trahens copias & optimè inſtructas, Mediolanenſi Ciuitate iam potitus, Papiam circumſederat, & à repulſæ dedecore toto animo abhorrens, voto temerario neſcio quomodo effuſo, ſe inde non diſceſſurum priúſquam ciuitatem in ſuam poteſtatem redegiſſet, addito iuramento confirmârat. Borbonio & Cæſarianis copiæ aderant Gallicis haud multo minores, neque aliarum rerum penuriâ laboratum eſt inter eos præterquam pecuniæ, quam contribuere debebant ex pacto, Pontifex, Veneti & Rex noſter. Clemens Pont. etſi operâ præcipuè Cæſaris Pontificatum adeptus, tamen promiſſam ab Hadriano in id bellum pecuniam nolebat pendere, Pontificem haud decere inquiens, ſe principum bellis immiſcere. Veneti Clementem ſequuti, cunctati aliquandiu, apertè tandem detrectabant, Galli potentiam veriti. Et Henricum noſtrum malitia Wolſæi ita circumegerat, vt ad diem condictum pecunia (quam menſtruam pollicitus fuerat) non numerata, in magnas anguſtias Cæſarianos conieceerit. Is nempe Wolſæus vt à Cæſaris amicitiâ Regem abſtraheret, hanc rationem commentus eſt. Haud bona fide Cæſarem cum Henrico agere ſe iam primùm ſubodorari dictitabat; ſiquidem cum de ducenda Maria vnica Regis filia ſponſionem feciſſet, ab Hiſpanis ſuis quotidiè rumuſculos paſſim emanare, inutile & parum honorificum futurum hoc coniugium: ſpuriam quippe cenſendam eſſe Mariam, vt ab inceſto, & legibus eccleſiaſticis damnato matrimonio procreatam: neque enim Catharinam Reginam regi legitimo connubio iunctam, quæ Arthuro regi fratri anteà denupſiſſet. Vetari id in ſacroſanctis noui ac veteris inſtrumenti legibus, vt quæ diuino iure eſſent conſtituta. Iulius Pontifex vel accepto multo auro reſcindere non potuerit. Hæc & huiuſmodi

Clades Gallorum capto Rege.

Wolſæus diuortium regi ſuadet à reginâ.

1524. di alia ab ipſo Cæſaris legato quandoque iactitata fuiſſe, negandum non eſt. Cæterùm ille, nullum alium in finem iſta memorabat, quàm vt Rex (quem vxorium haud nimis fuiſſe ſatis nouerat) occaſione inde arrepta, ad nouum aliquod matrimonium animum appelleret. Cúmque ſecundis auribus à Rege hæc excipi videret, & orbitatem ſuam libenter eum deflere, quod tantum imperium puellæ cogeretur relinquere, quæque tam dubijs eſſet orta natalibus, vt ſucceſſorem ſibi eam pro certo non liceret deſtinare: ad nouas eum nuptias non veritus eſt hortari, & ſimul Alanſoniam monſtrare Margaretam, regis Gallici ſororem, ſpectatæ formæ & venuſtatis fœminam: quam ſi duceret, repudiata Catharina, ſatis intelligebat, ab amicitia Cæſaris ex tam graui amitæ contumelia cum penitùs divulſum, Gallico nomini abſque vlla ſpe receptus arcto & neceſſario fœdere iungendum. Ac iſtud quidem repudij conſilium his artibus à Wolſæo tractatum, Cæſariani omnes tradiderunt, nec quiſquam noſtrorum inficias ivit, quod ego uſquam legerim. Vtut fuerit, hoc certè conſtat, vno eodémque tempore miſſos qui annuam pecuniam a Cæſare promiſſam nec numeratam hactenus depoſcerent; retentam deinde ſummam 50. millium aureorum, quam ſingulis menſibus Borbonio ſe depenſurum Rex fuerat pollicitus.

ANNO CHRISTI 1525. REG. 17.

Paceus inſaniâ corripitur.

Non ita pridem Venetia venerat legatus, vt res Italicas curaret, Richardus Paceus Decanus Londinenſis, homo eruditiſſimus, & meliore fato (Deo ſi viſum ita fuiſſet) dignus. Mutatam voluntatem Regis hic minimè gnarus, cum non adeſſet ad tempus conſtitutum pecunia, in eo perſuaſus verti honorem & exiſtimationem Principis ſui, ſi fidem datam non liberaret, animo quàm maximè angebatur. Conari proinde viſum eſt à mercatoribus alicunde tantum pecuniæ mutuari: Et aliquantulum (vt videtur) corraſit: verùm neque tantum vt Cæſarianorum inopiam poſſet ſubleuare, neque tam parum vt priuatis ſuis facultatibus ſe verſuram facere poſſe confideret.

Quam primum igitur de alienato Regis erga Cæſarem animo reſciuit, inſania ſubito correptus, nec vnquam poſtea mentis compos factus eſt. A Borbonio interim & Commilitonibus ſuis

Digitized by Google

ſuis, rerum omnium neceſſariarum penuriâ laboratum, adeò 1525.
vt, copias apud ſe retinere iam amplius non potuiſſet, niſi aſtu *Pugna Papienſis.*
quodam Gallum ad manus ſe cum conferendum & pugnæ copiam faciendum pellexiſſet. Solebant ſæpe Cæſariani, vt hoſtes inquietarent (idque noctu præcipuè) ad arma conclamando, buccinarum clangore, & eruptianum ſimulatione, falſum hoſtibus terrorem iniicere. Ea vero nocte quæ S. Matthiæ feſtum præceſſit (24. videlicet Februar.) aliquas turmas emiſerunt, vt Caſtra Gallorum, quamuis optimè munita, recta petentes adorirentur, non tam animo expugnandi, quam vt hoſtem ibi loci diſtinerent, dum ſuos ab alia parte ad rem gerendam ſine impedimento deducerent. Ij Gallos adeò imparatos offenderunt propter crebras Cæſarianorum ſimulationes, quæ vigiles iam effecerant negligentes, vt parùm abfuerit, quin vallum tranſcenderint, adeóque coacti fuerint tormenta in loco longe commodiori ſita (id quod vnicè Cæſariani expectabant) ad alium transferre, vbi diſploſa, ab ingreſſu iſtos poſſent prohibere. Adhuc feruebat pugna, cum paulo ante diluculum vniuerſæ Cæſarianorum copiæ ab auerſa caſtrorum parte progrediuntur, & occupatis hoſtibus longiùs proceſſerant, quam vt potuerint impediri, (amotis præſertim tormentis) niſi ſuos etiam Gallus è munimentis voluiſſet educere & aleam prælij tentare. Ille vero moriturum ſe potius ſæpe palámque profeſſus, quàm Papiam tam diu obſeſſam liberam relinquere: vt eos quaſi ſoluta obſidione liberos euagari fineret, in animum inducere non potuit. Congreſſi itaque cum vniuerſis vtriúſque exercitus viribus, atrox pugna committitur, in qua Gallorum Rex, dum verba rebus, & inanes vulgi rumuſculos certæ glorioſiſſimæque victoriæ adeóque ſaluti ſuæ anteponit, fuſus eſt captúſque, & præter magnum nobiliſſimorum iidémque fortiſſimorum virorum numerum, quibus ſtipatus (quique fere omnes aut occiſi in eo prælio aut capti ſunt) imperium Mediolanenſe, quod pene vniuerſum totamque Inſubriam ſuæ fecerat ditionis, hoc vno quaſi ictu amiſit. Clemens Papa qui iam totus in partes Gallorum, ſuo magno cum malo, (vt poſt docebitur) conceſſerat, ſæpe eum monuerat, extrema inopia Cæſarianos conflictari, & ſeditionibus perpetuis agitari, dum militbius ſtipendia flagitantibus non

haberent

Digitized by Google

1525. haberent Duces quod numerarent: ſatis verò cautum eſſe cum Anglorum Rege & alijs qui ſpes illorum fouebant, ne rem nummariâ vlla ratione poſſent expedire: Pugna proinde omnimodo abſtineret: dilapſis infra paucos dies militibus, incruentam victoriam citra ſudorem & ſanguinem in ſinum ſibi convolaturam. Verùm ille tanquam divino fato ad eam cladem comparatus, ne ab hoſtis conſpectu ſe videretur ſubduxiſſe, & obſidionis tam longæ labores nullo cum fructu toleraſſe, fretus ſuis viribus quas habuit ſanè permagnas, ſed opinione ſua minores (nam multi pedites di ceſſerant, ducibus hoc libenter reticentibus, vt cum ſtipendia quæ perſoluebantur militum numero non reſponderent, quod supereſſet nummorum ipſi interuerterent) conſilium tam ſalutare neglexit, ſéque in eas calamitates præcipitauit, quæ, niſi DEVS propitia manu, ruentem, vltra ſpem ſuſtinuiſſet, ipſi perniciem, patriæque ſuæ excidium attuliſſent. Hæc & alia huiuſmodi tam in priuata vita, quàm publicis negotijs reputanti mihi, ſubit admirari, quæ ſtolida ferocia hoc ſeculum noſtrum occuparit, vt potius quàm minima infamiæ (vel falſæ) macula exiſtimationem noſtram inuri patiamur, vitam fortunáſque noſtras, in extremum conijcere periculum non dubitemus. Quos viros (dij boni) quámque egregios videre eſt quotidiè in hoc ſtultitiæ genere mirificè ingenioſos, qui neſcio quos apices honoris (vt loquuntur) læſi in omni ſermone excutientes, ac inde vel minima offenſione capta in duellum proruentes, nihil aliud quam pereundi anſam ſedulò videntur quærere? Vbinam gentium hodie exulat Cunctatoris Fabij patientia, qui populi, militis, ſenatus, acerbiſſima cõuitia æquiſſimo tulit animo vt victoriam quamuis ſeram, ſecurã tamen ſuis tandẽ pareret? Erramus profectò, erramus, vmbras conſectamur & res negligimus. Si CHRISTVM conſulimus, hoc eſſe veræ fortitudinis admonebit, In patientia poſſidere animas noſtras: Si Philoſophos, docebit Ariſtoteles, ſolere magnanimos maledicta facile contemnere: Denique ſi Poetas, audi Horatium,

Mordear opprobrijs falſis mutémque colores?
Falſus honor iuuat, mendax infamia terret,
Quem niſi mendoſum & mendacem?

Sed pergo: In tentorio capti Regis dum ſarcinæ diriperentur

tur, inuentæ ſunt literæ tam Pontificis quam Regis noſtri, novum fœdus inter ipſos & Gallum occultè ictum demonſtrantes: vt mirari amplius Borbonius non debuerit, pecuniam promiſſam tam ſegniter ſubminiſtratam fuiſſe. Hoc Pratenſi Cæſaris Oratori quàm primùm innotuit; commeatu haud petito, ſe ab Aula regia ſubtraxit, & Aprilis nono clanculum aufugiens, ad ſuos vnde venerat, reuerſus eſt. Rex noſter ignarus interim has clandeſtinas pactiones ad Cæſaris notitiam perueniſſe, oratores ad eum deſtinauit ſub finem Martij menſis C. Tonſtallum Epiſcopum Londinenſem & Rich. Wingfeldium ordinis Garterij, (vt appellamus) militem, qui victoria nuper adeptâ ſcilicet gratularentur, eámque perſequendam admonerent, Regem dicentes pro eâ quæ inter ipſos intercederet neceſſitudine, officio ſuo non defuturum, ſi inſtare victis & viribus adhuc maioribus bellum gerere in animum induceret. Huic legationi quid Cæſar reſponderit pro comperto non poſſum affirmare: Cretizauit (quantum auguror) cum Cretenſibus, cognita diſſimulauit, comitérque habitos legatos benignè dimiſit. Cæterum non contentus Rex aduerſus Imp. hâc vti ſimulatione, apud ſuos etiam populares multis egit de bello contra Gallos inſtaurando, eiúſce rei mentione tanquam claue loculos ſubditorum aperiendos exiſtimans. Parliamento proinde non expectato, à ſingulis ciuibus peredictum publicum exegit, non minus quàm omnium bonorum mobilium ſextam partem in pecunijs numeratis fiſco pendendam. Atque iſta res quanquam in diuerſis regni partibus, vno eodemque tempore à magnis viris apud plebem propoſita ſumma arte tractaretur: tam procul tamen abfuit vt ſuccederet, vt ab omnibus vbique tanquam conſpiratione facta exploſa ſit, fremente populo, & male ſæpe mulctatis eius exactionis miniſtris, non ſine magno ſeditionis & tumultus grauioris periculo. His Regi nunciatis, proceres regni cunctos (qui intereſſe poterant) Londini conuocauit: apud quos ſe tanti tamque intolerandi oneris ſubditis ſuis imponendi, ignarum omnino fuiſſe profeſſus eſt. Cumque eius facti culpam omnes à ſe reijcere conarentur; poſt multam altercationem eo demùm res recidit, vt Cardinalis hoc offenſi populi crimen in ſe vnum ſuſcipere cogeretur, teſtatus interim DEOS & homines, ſe vt fidelem

1525.

Pecunia per edictum imperata non penditur.

1525. fidelem ſeruum deceret, Regis Domini ſui emolumentum vnicum ſpectaſſe, remque non ſolum cum conſiliarijs regijs, (quod ipſi fatebantur) ſed etiam cum legum tam diuinarum quam humanarum peritis conſuluiſſe, omnibus aſſerentibus idem licere Regi, quod olim Pharaoni, qui, Ioſephi miniſterio certam partem opum cuiuſque priuatarum ad neceſſitates publicas ſepoſuit. Illa vero excuſatio efficere non potuit, quo minus magnam populi inuidiam hic conatus (vtcumque irritus) contra ipſum excitaret. Quanquam neque irritus omnino dicendus erat, cum ſubſidij pecuniarij inopia, prætextum iam exhiberet ſatis ſpecioſum bellum Gallicum in proximum annum differendi. Neque enim Regi erat in animo (quicquid diceretur) Gallum quamvis deiectum & iniuriæ opportunum laceſſere, vtpote cuius amicitiam irritato & offenſo Cæſare propter amitæ repudium, maxime ſibi neceſſariam futuram prouidebat.

Rex Boleniā deperit. Siquidem vxoris pertæſus, fœminæ ſanctiſſimæ itidem nobiliſſimæque, ad puellam quandam nobilem animum adiecerat, Annam Thomæ Bolenij equitis aurati & Regiæ familiæ quæſtoris filiam. Hanc ducere, illam quouis modo amoliri prorſus decreuerat: Abhorrere animum dicens ab inceſta coniunctione, neque è repub. eſſe vt cœlibem vitam ageret, præſertim cum de natalibus filiæ dubitatio oborta eſſet: Imperij in propria ſobole firmandi gratia, non libidinis explendæ, nouas nuptias appetere. Hoc ſolum expectare, vt publico iudicio decernatur (quod omnium doctorũ quibuſcum hac de re ſermonem habuiſſet conſenſu veriſſimũ eſſe comperiſſet) vitioſum fuiſſe prius initum matrimonium, ſibique liberam eſſe poteſtatem relictam nouum contrahendi. Hucuſq; eum Wolſæus & libenter perduxerat, conatus porro in amorem Gallicæ cuiuſdam puellæ (ſicut antea retulimus) pellicere: verum ille ſuo iudicio vſus, aliam deperire iam cœperat. Vtque amaſiæ ſuum vendi-

Nouis honoribus ornati. taret amorem, & futurum ſocerum meliori aliqua dignitate cohoneſtaret, patrem eius Thomam Bolenium Iunij 18. vicecomitē creauit Rupefortenſē; Simul eodemque tempore alijs honorum titulis hi ornati ſunt, Henricus cognominatus Fitz-Roy Regis (ex Elizabetha Ioannis Blunti equitis aurati filia) filius naturalis, Notthinghamiæ Comes, Richmundiæ Sumerſettique Dux factus eſt: Henricus Courtney Deuoniæ Comes

Regis

1525.

Regis Conſobrinus, Marchio Exonienſis: Henricus Brandon Ducis Suffolciæ Primogenitus ex Maria Regis ſorore, Lincolniæ Comes: Thomas Mannerius Baro de Roſſa, Rutlandiæ Comes: Henricus Clifford eques auratus, Cumbriæ Comes:& Robertus Ratcliff Baro de Fitz-walter, vicecomes de Fitzwalter renunciati. Wolſæus Cardinalis hoc anno duorum ſimul collegiorum fundamenta iecit, vnius quidem apud Ipſewicum vbi natus eſt, alterius Oxoniæ, quod hodie CHRISTI nomini dicatum noſcitur. At iſtud quidem quanquam ad vmbilicum non perduxerit, (opus magnificum & plane regium) doctorum tamen mater fertiliſſima, innumeros quotidie eruditos eccleſiæ reipublicæque progignit, meque inter alios ipſum (qualis qualis ſum) agnoſcit alumnum. Alterum illud cum fundatore concidit, & maxima ex parte dirutum, in neſcio quorum priuatos vſus iam olim ceſſit. His enimuerò Collegijs cum de fundis & prouentibus pro ſtructuræ amplitudine proſpectum cuperet Cardinalis, neque priuatis ſuis opibus (quanquam ingentes ea erant) efficere illud potuiſſet, Clemente Papa annuente, 40. minoris notæ monaſteria demolienda curat,& omnia quæ illorum fuiſſent, nuper à ſe extructis Collegijs addici. Negotium hoc (vt nonnulli animaduerterunt) tanquam aurum Tholoſanum, omnibus qui illud attigiſſent, aut perniciem aut ſaltem maximas calamitates attuliſſe creditur. De Papâ & Cardinali poſt dicetur. Ex miniſtris autem quinque quorum opera hîc vſus eſt in tot piorum hominum donarijs interuertendis, euenit poſteà, vt duobus duello decertantibus alter alterum occideret, & homicida ſuſpendio plecteretur, tertius in puteum ſe dederit præcipitem, ac ſpontanea morte ſubmerſus perierit: quartus, homo opulentus, ad eam egeſtatem devenerit, vt victum oſtiatim emendicare antè obitum cogeretur: alius denique Doctor quidā Alanus qui authoritate inter cæteros præcipuè pollebat, quo tempore Archiepiſcopus Dublinenſis in Hibernia agebat, ab inimicis crudeliter confoſſus perijt. Vtinam his & ſimilibus exemplis edocti, diſcant homines, res DEO ſemel conſecratas timidè attrectare. Si iſtos iuſtitia diuina tam ſeuerè punijt, qui bona eccleſiæ dicata, ſed parum ſanctè adminiſtrata, ad vſus haud dubie meliores conuerterunt, hoc tamen non ſpectantes, ſed

Card. Wolſæus 2. extruit collegia.

Monaſteria 40. diruit.

Sacrilegij puniti exemplum.

1525. ſed prauis ducti cupiditatibus; quid illis putabimus imminere, qui res eccleſiaſticas, quacunque data occaſione, ſine delectu diripiunt & expilant, ſemet tantum locupletandi gratia?

Lutheri ad Regem litera. SVB exitum iſtius anni videtur nonnihil ſubodoratus Lutherus de propoſito Regis in vxore Catharina repudianda & alia ducenda, idque per Chriſtiernum profugum Danorum Regem, qui illum coram & per literas non deſijt rogare vt amanter ad eum ſcriberet, & illius prædicata humanitate, ſpem fecerat fore, vt leniter tractatus, puriorem doctrinam reciperet. Et ille quidem animo præuidens quod huius diuortij ratione mox ſequutum eſt, haud difficulter acquievit. Scripſit itaque ad eum, idque demiſſe admodum, & in hanc (vt habet Sleydanus) ſententiam. Non ſe dubitare quin grauiter ipſum offenderit edito libello, ſed id factum eſſe non tam ſuâ ſponte quàm aliorum impulſu. Quòd vero nunc auſit his literis interpellare, ſummâ ipſius humanitate fieri, quæ valdè prædicetur à multis, deinde quod libelli cõntra ſe ſcripti non ipſum eſſe authorem, & à ſophiſtis hoc inſidioſè fuiſſe captatum intelligat. Hic autem per occaſionem de Eboracenſi Cardinale locutus, Angliæ peſtem nominat: Audire etiam ſe cum magnâ voluptate, ipſum & faſtidire genus illud perditorum hominum, & ad veri cognitionem animum adijcere. Quapropter orat, vt ſibi factum illud condonet, vtque meminiſſe velit, cum ſit mortalis, non oportere inimicitias eſſe immortales. Quod ſi iubeat, velle ſe peccatum hoc ſuum profiteri palàm, & ipſius virtutem alio celebrare ſcripto. Poſt hortatur vt calumniatorum voces defugiat, qui ſe vocent hæreticum: nam doctrinæ ſuæ caput hoc eſſe, quemadmodum fide per CHRISTVM nos oporteat fieri ſaluos, qui noſtrorum ſcelerum pœnam collo, ceruicibus & corpore toto ſuſtinuit, qui pro nobis mortuus ac reſuſcitatus, cum patre in ſempiternum regnat. Hanc eſſe Prophetarum & Apoſtolorum Doctrinam, eo poſito fundamento, docere ſe, quæ ſint charitatis officia, quid inuicem nos oporteat alterum alteri præſtare, quomodo ſit obediendum magiſtratui, & Euangelij profeſſioni omnis accommodanda vita. Si quid in eâ Doctrinâ ſit impietatis & erroris, cur eum nõn demonſtrent aduerſarij? cur ſe nec auditum neque conuictum damnent atque proſcribant? Quòd ſi Pontificatum & ipſius omnem

clientelam reprehendat, eo facere, quod illi diuerſum à CHRISTO & ab Apoſtolis doceant quæſtus & emolumenti cauſâ, quo videlicet reliquis omnibus imperent & in ſummis delicijs heluentur: hunc enim in ſcopum cogitationes illorum omnes atque facta dirigi: hoc etiam vulgo notum eſſe atque teſtatum, vt nec ipſi quiduis negare poſſint. Quod ſi mores emendarent, nec alieno cum diſpendio & iniuriâ vitam hanc ignavam ducerent atque turpem, facilè poſſe diſſidium ſedari: Germaniæ principibus ac ciuitatibus non paucis dogmata ſua probari, qui beneficium hoc DEI reuerenter agnoſcant: cupere ſe plurimum, vt & ipſe in eo numero cenſeatur. Quòd vero Cæſar & quidam alij contra ſe moliantur, non eſſe novum: Dauidem multis ante ſeculis prænunciaſſe futurum, vt reges atque populi contra Dominum & CHRISTVM varia meditentur & imperium eius proijciant. Sibi quidem ad eiuſmodi Scripturæ loca reſpicienti, mirum etiam videri, vllum eſſe Principem qui faueat Euangelij Doctrinæ. Poſtremo loco, reſponderi ſibi benignè, petit. Accepta hac Lutheri Epiſtola, acerbè Rex reſpondet, inconſtantiam & levitatem illi obijciens. Libellum quopue ſuum defendit, & multis viris bonis atque doctis pergratum eſſe dicit. Quòd Cardinali Eboracenſi (reverendo patri) convicium fecerit, non in eo ſe mirari, qui nec à divorum nec ab hominum abſtineat contumelia. Sibi, totíque regno perquam vtilem eſſe ac ſalutarem Cardinalis operam, & cum antehac illum valde ſemper dilexerit, nunc demum eſſe maiori beneuolentiâ complexurum, poſtquam eum ipſe criminetur: nam illum inter alia hoc etiam vtiliter & magnâ cum fide atque diligentiâ præſtare, ne quid ipſius lepræ, contagionis & hæreſis in ſuo Regno diſſeminetur & adhæreſcat. Poſt exprobrat, quòd inceſtum matrimonium cum ſanctimoniali Virgine contraxerit, quo vix vllum poſſit deſignari turpius flagitium. Hanc ſuam reſponſionem Rex publicè typis evulgandam curauit, magnopere dolente Luthero, & amicos incuſante qui eius rei ſibi authores extitiſſent: ijs gratificatum adeò demiſſè ſcripſiſſe ſe dicens, nunc autem intelligere quantum errauerit. Idem ſibi accidiſſe in Cardinale Cajetano, Georgio Saxoniæ Duce & Eraſmo Roterodamo, quibus omnibus aliorum hortatu amanter ſcripſerit, nec aliud ſit conſecutū, quam quod eos

Reſponſio Regis.

1525.

1525. ferociores reddiderit. Stultè factum ab ſe, qui pietatem in aulis principum invenire ſe poſſe putet, qui CHRISTVM quærit vbi principatum Sathanas obtineat, qui Ioannem Baptiſtam inter purpuratos inveſtiget. Cum igitur placido & amico ſcribendi genere nihil proficiat, aliam rationem initurum eſſe deinceps. Hæc Sleidanus. Hoc etiam anno (aut fortè priori) Eraſmus (quod recens nominis eius mentio ſubmonuit) libellum ſcripſit de libero arbitrio, Regis & Wolſæi hortatu, ſicut in epiſtolâ quâdam quæ extat ipſe fatetur. Huic confeſtim Lutherus contrario ſcripto reſpondit, De ſervo arbitrio.

ANNO CHRISTI 1526. REG. 18.

A Cæſaris amicitiâ diſceditur.

VT Cæſar in cœpto amicitiæ cum noſtro Rege curriculo perſiſteret, multa hercle admonebant; Galli ad vindictam nuper acceptæ cladis (etſi id ſedulò tegebant) nondum liberato Rege ſuo, anhelantes; Turca imminens Vngariæ, cuius Regi Ludovico, Anna Caroli ſoror nupta erat. Italia penè Vniverſa Duce Pontifice, parata ad percutiendum fœdus, quo omnes populi ad oppugnandam Cæſaris iam formidabilem potentiam tenerentur; ac deinde ipſa Germania vix dum pacata à tumultibus quos Ruſtici excitarant, ac ſeditionem reſque novas vbique ſpirans. Et in his rebus omnibus quoquo ſe verteret, magnum cœptis ſuis impedimentum allaturam Regis noſtri inimicitiam luce clarius apparebat. Multa verò in contrariam partem ſtimulabant: materteræ illerenda contumelia, (nam hanc iamdudum ſuboluerat) Fœdus cum Gallo clandeſtinum nuper ictum, & ſuper omnia pactæ affinitatis pœnitentia. Siquidem de Reginæ cum marito reconciliatione poterat utcunque ſperare, & eâdem levitate quâ fœdus ictum eſt, dirimendum (præſertim tam adverſis Gallorum rebus) non deſperabat. At de matrimonio contrahendo, iam animus alio propendebat, amore ductus, an commodi ſui ratione, non habeo pronuntiare. Ioannes Luſitaniæ Rex ſororem habebat Iſabellam, puellam pulchram, nobilem & ingenti pecuniâ dotatam; (900. videlicet aureorum millibus) Mariam Regis noſtri filiam impuberem adhuc, & formâ haudquaquam fœliciſſimâ, indotatam tamen ducere oportuit, eâ ſcilicet pecunia doti adnumerata (400. aureorum millibus

millibus) quam Cæſarem à Rege mutuo accepiſſe memoravimus. Ærario verò continuis bellis exhauſto, Hiſpani quum de ſubſidio princip's ſui neceſſitatibus ferendo compellarentur; apertè renuere auſi ſunt,(initium fortè facientibus qui ad id ſubornati fuerunt) niſi Iſabellam prædictam, gentilē quodammodo ſuam,eiuſdem ſecum & linguæ & gentis,& ætatis eius quæ liberis gignendis apta eſſet, matrimonio ſibi iungendam curaret. Tum verò præter 400. millia, quæ (conſuetudine iam in legem abeunte) ſervitij nomine vxorem ducenti principi tenebantur pendere, alia inſuper 400. pollicebantur, modo hac in re ipſorum deſiderio vellet ſatisfacere. Hæc in cauſa fuere, cum de fœdere renovando, & de ducenda Maria, de bello item communibus auſpicijs in Gallia gerendo, per oratores ſuos Rex iam iterum agitaret (ſimulatè aut ſeriò, id vero neſcio) cunctantiùs reſponderit Cæſar, ac demùm in ipſo nuptiarum apparatu, miſſo legato, factum ſuum Regi excuſaret, populorum ſuorum voluntati ſe non poſſe dicens repugnare. Rationibus prædictis addunt nonnulli, Regis noſtri poſtulata (cum de bello Gallico mentio facta eſt) talia fuiſſe, ut à Wolſæo conſulto excogitata videantur ad Cæſarem à paciſcendo abſterrendum. Victoriæ præmia Picardiam, Normanniam, Guienniam & Vaſconiam, cum Galliæ Regis titulo ſibi depoſcebat : & ut Cæſar periculorum æquè ac ſumptuum particeps,ipſemet bello in Gallia gerendo intereſſet, flagitabat. Ille verò pecunijs exinanitus, & multis ſeſſus periculis, ſi vel ſecuritati & quieti, vel commodo ſuo, conſultum vellet, iſtis non debebat aſſentiri, cum Galliæ Rex captivus, vna cum pace, longe maiora offerret,ultro quàm, ea quæ bellum(cuius eventus ſemper anceps exiſtit & minimè certus) ſibi vel victori poſſet pro certo ſpondere pariturum. Et certè non dubitatum quin Cæſar conditiones illas oblatas aſpernaturus eſſet, vel hinc conſtare poteſt, quod illis ipſis diebus quando profectus eſt Orator prædictus, miſit Rex in Galliam, qui Rectricem (Regis captivi matrem) hortarentur, ut hominem aliquem fidum in Angliam mitteret, quocum de ſumma rerum conſultaret,quod illa quàm libentiſſimè & primo quoque tempore præſtitit, amandato Brionio præſide Rothomagenſi, vnà cum Ioanne Ioachimo Genuenſi,(cuius ante mentio facta eſt) quos ampliſſimis mandatis inſtruxit, & ut omni ſubmiſſio-

1526.

Rex Gallum iacentem erigere conatur.

1526. ne blanditijſque Regem ad perſeuerandum in fœdere inchoato pertraherent, ſedulò diligentérque admonuit. Siquidem in tantis Gallorum anguſtijs, nihil erat quod magis formidarent, ne Rex noſter à pactis vix dum firmatis reſiliret. Tum verò ſi ille ab vna parte, & Cæſar ab altera, arma moverent, cum Borbonium & tot occaſiones ſecum haberent ; quanto in periculo res Gallica verſaretur nemo erat tam hebes, qui ſatis non perſpiceret. Iſti igitur poſtquam in Angliam peruenerunt, humaniſſimè accepti à Rege & bene ſpectare iuſſi, Cardinalem Wolſæum (à cuius conſilijs Rex adhuc non recedebat) conſectantur. Ille iam olim non optimè in Cæſarem animatus, nunc planè palamque odiſſe eum cœpit, poſtquam Cæſar alienati à ſe animi indicia haud dubia dediſſet, inter quæ vel præcipuum reor, quod ille, qui ante pugnam Papienſem, nunquam literas ad Cardinalem dare ſoleret, niſi totas manu ſua conſcriptas, & cum huiuſmodi ſubſcriptione, *Tuus filius & propinquus Carolus*; poſt eam victoriam, vnas aut alteras miſiſſet, quæ ipſius manu tantum erant ſubſcriptæ, idque nudo nomine appoſito, ſine aliquâ ſolenni & viſitatâ formâ, aut benevolentiæ, multóque minus obſervantiæ ſignificatione. Sed neque cum Rege ipſo ita egit, ut Wolſæo difficile fuerit illi perſuadere, contemptum ſe à Cæſare poſt inſignem illam victoriam, cui adipiſcendæ, ipſe quidem Rex ſtipendia (etſi forte non quanta promiſerat) ſuppeditaſſet. Quis iam non videt eo in loco res Regias conſtitutas, ut arctiſſimam illam tot vinculis conſtrictam cum Cæſare neceſſitudinem, dirimere cogeretur, ſéque ad Gallicas partes traducere? Vocatur proinde ad conſilium Brionius, qui dicendi poteſtate factâ, principis ſui calamitatem & patriæ tantum vulnus in nuper accepta clade inflictum deplorat. Quantas deinde & quam præclaras victorias, florentibus Gallorum rebus noſtri olim retulerint, commemorat, ut dubium non eſſe fateretur, occaſionem nunc Regi oblatam, qualem maiores ſui nunquam habuiſſent, clariſſimi trophæi reportandi. Verum neque decere hoc (inquiens) Regem tam magnanimum, neque è re futurum publica gentis Anglorum, bellum hoc tempore Gallis inferre. Iacenti inſultare non eſſe generoſæ mentis, victoriamque (ut communis martis aleam taceat) periculo non vacaturam, quippe cum alio communicandam, cuius potentiam eouſque

fortuna

1526.

fortuna extulerit, ut communibus Europæ armis oppugnanda fuerit, niſi ſervitutis Hiſpanicæ iugum, cervicibus imminens, quieti & non repugnantes ſuſcipere in animum inducant. Orare proinde, ut relicto Cæſare (qui parta victoria elatus, amiciſſimos iam cœperit contemnere) cum Rege ſuo fœdus ineat, quem, ſi deiectûm, tempore tàm neceſſario iam ſublevare conetur, fidiſſimum oportet eum habeat amicum (tanto beneficio obſtrictum) & ad omnes caſus paratum, niſi turpiſſimæ ingratitudinis, totius Chriſtiani orbis teſtimonio convinci malit. Hæc pluribus latinè peroranti, latinè itidem reſpondet Tho. Morus Angliæ mox Cancellarius, Regi pergratum eſſe, quòd agnoſcant Galli, non deeſſe ſibi vires, iniurias veteres ulciſcendi, iámque poſtquam potentiam ſuam ſatis expertos intelligat, operam daturam ut bonitatem etiam habeant perſpectam; anniſurum ſedulò, omnibúſque neruis elaboraturum, ut è captivitate Rex illorum emittatur. Idq; ſi fecerit, ſperare eum, beneficij, tempore tam opportuno collati immemorem non futurum, ſi quando opem operámque eius implorare contingat. Interim haud ſe abnuere, quin ſocietatis & perpetuæ pacis iura inter ipſos intercedant. De Cæſare quid ſibi ſit ſtatuendum, adhibitis in conſilium amicis, deliberaturum. Fœdus ita cum Gallo firmiſſimum percuſſum eſt (ſpondente pro filio matre Rectrice) & à Cæſaris amicitià tam apertè diſceſſum, ut nihil prius in eo fœdere cautum ſit, quàm ut non licuerit Gallo regni ſui parte vel minima Cæſari pro redemptione ſua cedere. Huius fœderis nuncius magna cum lætitia à Gallis auditus eſt, qui iam demum ſalutis aliquam ſpem conceperunt, poſtquam ab Anglia nihil metuendum eſſe intellexerunt. Regi ipſi in primis adeo cordi fuit, ut rerum noſtrarum poſteà multos per annos ſtudioſiſſimus, tanti beneficij memoriam nunquam depoſuiſſe viſus fuerit. Hyeme nondum tranſacta, hæc geſta ſunt. Paulo deinde poſtea Rex Gallorum cum per annum integrum captivus in Hiſpania remanſiſſet, domum remeandi facultatem nactus eſt, idque his ferè legibus: uti Rex ſimul atque in Galliam redijſſet, Cæſari Ducatum Burgundiæ traderet. Flandriæ & Arteſiæ clientelare imperium remitteret: Ditioni Mediolanenſi & regno Neapolitano (in quæ ſibi ius eſſe anteà contenderat) renunciaret, Borbonium & ſocios omnes qui ſecum deſciverant, in inte-

Fœdus cum Gallo captivo.

Rex Gall. liberatur à captivitate.

H grum

1526. grum reſtitueret. Eleonoram item Cæſaris ſororem, Luſitaniæ Reginam in matrimonium duceret: & pecuniam Regi noſtro ſororíque ſuæ Mariæ, Wolſæo item Cardinali iam olim debitam, (ſed quam Cæſar in ſe pendendam receperat, ne iacturam noſtri facerent ex fœdere cum Cæſare inito) ipſe nunc totam perſolveret. Iſta omnia & alia nonnulla minoris momenti, ut Rex iam liberatus præſtaret, non ſolùm iuramento ſuo fides data eſt, ſed traditi etiam duo Regis filij Franciſcus Delphinus & Henricus Dux Aurelianenſis, ut obſides in Hiſpania manerent, donec iſta fierent. Ac de cæteris quidem pactis ſtatim ut regnum ſuum attigit rata omnia Rex habuit. De Burgundia verò, cauſatus eſt averſam ſubditorum voluntatem, quos invitos à ſe non poſſe alienare dicebat. Convocata itaque omnium ducatus ordinum panegyri dum res ſedulò tractentur; coram ipſis Cæſaris legatis recitatur derepente publico præconio fœdus initum inter Regem noſtrum, Gallum, Pontificem, Venetos, Heluetios & Florentinos, quod ſacrum fœdus appellatum eſt, in quo præcipuè cautum, ut Italia in libertatem, exteris omnibus expulſis, vindicaretur. Hac re illi vehementer perculſi, vbi de Burgundiæ poſſeſſione adeunda (quem in finem venerant) parùm ſpei ſupereſſe vident, in Hiſpaniam reverſi, Cæſari renuntiant, ſi redemptionis pretium pecunia numerata velit accipere, & obſides liberos Regios reddere, à Rege perſolutum iri, alias conditiones non accepturum. Siquidem quod ad fidem datam attinet, à iuramenti religione per Pontificem Regem abſolutum eſſe. Principibus Chriſtianis his rebus intentis, Solymannus interim Turca, Hungariam cum ingentibus copijs ingreſſus, Ludovicum Regem, Cæſaris ſororium, fudit cecidítque, & multo maximam Regni partem in ſuam poteſtatem redegit. Hanc victoriam non minus noſtrorum temeritate quam ſuis viribus adeptus eſt. Hungari namque etſi hoſtibus comparati exercitum ſane quam exiguum haberent: tamen victorijs freti quas ſæpe antea ex Turcis reportarant, Regi ætate iuveni perſuaſerunt, ut ne populorum ſuorum famam & militaris rei antiquam gloriam obſcuraret: auxilijs quæ ex Tranſylvania veniebant non expectatis, hoſtibus obviam iret, & prælium etiam in patentibus campis non detrectaret, in quibus Turcæ ob ingentem equitum multitudinem inſuperabiles poterant videri. Conſilij proinde temeritatem

Hungariæ Rex à Turcâ ceditur.

tatem

tatem atque imprudentiam exitus declaravit. Fuſus exercitus ex univerſa Hungariæ totius nobilitate & robore collectus: ingens illorum ſtrages facta, Rex ipſe multíque Regni proceres & ſummi Antiſtites interfecti, ac inter eos Tomoræus Colocenſis Archiepiſcopus conſilij tam temerarij præcipuus ſuaſor. Hoc etiam tempore ridiculum quiddam accidit per Wolſæi ambitionem, quod non putavi omittendum. De morte Clementis Papæ (incertum vnde) fama increbuerat, ſed falſa. Cardinalis autem prædictus Pontificalis culminis adipiſcendi cupiditate flagrantiſſima iamdudum incenſus: Regi qui coniugij negotijs conſtituendis deſiderio non minori laborabat, omni ratione perſuadere nititur, non aliam viam eſſe commodiorem, id quod tantopere cuperet efficiendi, quàm ſi ipſum ad Papatum iam vacantem provehendum curaret. Id autem, annitente ſimul Gallorum Rege (de cuius voluntate non dubitabat) factu haud fore difficile, autumabat. Stephanus quidam Gardinerus, homo impiger, eruditione magna & mentis vi incredibili præditus, legatum Regium tunc Romæ agebat, vt matrimonium Principis ſui cum Catharina Hiſpana initum dirimendum curaret. Qua in re quanquam ſummæ diligentiæ nihil reliquum faceret, & Clemens Imperatori iniquior haberetur: tamen haud æquis auribus eius rei mentio accepta eſt. Neque adduci Pontifex aliqua ratione potuit, vt certi quippiam in eo negotio ſtatueret: ſiue quòd receptum ſibi ad gratiam Cæſaris (ſi quando res poſceret) nollet omnino præcludi: ſiue quòd homo lentus maioris momenti nihil temerè expediebat, aut forte (cui etiam euentus aſtipulatur) quia è re ſua putabat in longum trahi negotium illud: quanquam non deſunt qui aliam adhuc cauſam afferunt, quod matrimonium illud legitime contractum exiſtimarit, vt in alterutram partem iudicium ferre non poſſet, niſi aut iniuſte facere, aut amicum offendere vellet. Rex igitur qui has procraſtinationes moleſtiſſimè ferebat, ſummopere veritus, ne ſi aliquis Cæſari addictior Papa crearetur, voti nunquam compos redderetur, cum ſub Clemente homine ſibi (vt putabat) amiciſſimo tam lentè res ſuæ procederent: omnibus neruis in id incumbere decrevit, vt hunc (de quo nihil ſibi non pollicebatur) Clementi defuncto ſufficiendum curaret. Mandata proinde

1526.

Papatum ambit Wolſæus nondum vacantem.

Digitized by Google

1527. inde ampliſſima per Veredarios ad Oratorem ſuum Gardinerum miſit, quibus præcepit ei, vt Cardinalium, alios pollicitationibus, alios largitionibus, alios minis, alios denique verbis & rationibus in ſuam ſententiam pertrahere conaretur, nullúmque non moueret lapidem vt huic rei effectum daret. At iſta tam accurata ſtructura dicto citius collapſa eſt; vtpote infirmo niſa fundamento: vix dum viam ingreſſo nuncio, viuere Clementem cognitum eſt & optimâ frui valetudine.

ANNO CHRISTI 1527. REG. 19.

Roma capitur à Borbonio.

SEXTO die menſis Maij Ciuitas Romana à copijs Cæſarianis capta per vim & direpta eſt, Duce Borbonio in ipſâ oppugnatione occiſo. Pontifex, Cardinales, Principum legati, & alij proceres, cum in Hadriani mole vix ægrè profugiſſent, obſidionem aliquandiu tolerabant. Deſperato tandem auxilio, & deficientibus cibarijs, Papa veritus ne in Germanorum manus incideret, quibus ſe inuiſum ſciebat, cum Principe Auraggio (qui Borbonio defuncto ſuffectus fuerat) paciſcitur, vti ipſe & Cardinales in eius fidem & poteſtatem venirent, qui in arce prædictâ, firmâ ſepti cuſtodiâ, captiui retenti ſunt. Quantâ crudelitate ac inſolentiâ in captam ciuitatem graſſati fuerint milites, verbis vix poteſt explicari. Nam præter horrendas lanienas, direptiones, libidines & devaſtationes, contumeliæ ac ludibrij genus nullum in Pontificem & Cardinales prætermiſſum fuit. Huiuſce rei nuncius ad Regem cum perveniſſet, dolorem is magnum præ ſe ferebat, animo tamen ſuo intus lætabatur, occaſionem ſibi oblatam, quâ Pontificem, tantâ clade & contumeliâ in Cæſarem irritatum, demereri, totúmque ſuum facere ſe poſſe ſperabat. Cardinalem proinde Eboracenſem ad Gallorum Regem amicum iam coniunctiſſimum miſit, qui quanto offendiculo toti eccleſiæ Chriſtianæ eſſet, quòd illius caput captiuitate premeretur, edoceret, rémque ſibi multis de cauſis nullo modo negligendam demonſtraret. Circa initium Iulij Londino profectus eſt, habens in Comitatu ſuo 900. equites, intérque eos nobiles permultos, Archiepiſcopum Dublinenſem, Epiſcopum Londinenſem, Comitem Derbienſem, Barones, Sandium, Montaquilam & Harendonium, Equites autem

autem auratos & primarios viros magno numero. Gallorum Regem Ambiani offendit, habitiſque ibidem multis colloquijs, conſtituunt exercitum in Italiam communibus impenſis mittere, quo Papa in libertatem vindicetur, & ſacri patrimonij regiones illi reſtituantur. Ad huius expeditionis ſumptus Rex noſter 100. aureorum millia menſtrua pollicetur. Gallus, poſtquam Cardinalis redijſſet, miſit in Angliam Annam Mommorentium præfectum prætorio, & Mareſchallum qui pacta apud Regem noſtrum firmaret, & cochleatum torquem aureum, equeſtris Gallicanæ dignitatis inſigne, perferret. Venit is in Angliam circiter medium menſis Octobris, multis primæ nobilitatis viris comitatus, Ioanne nempe Bellaio Epiſcopo Baionenſi, (poſtea Cardinali) Humerio Brionio, interque alios Martino Bellaio hiſtoriæ Gallicæ authore, qui hanc legationem his fere verbis deſcribit. Doueriam appellentem plurimi Epiſcopi & nobiles à Rege miſſi honorificè excipiunt & Londinum deducunt, quâ ex ciuitate obuiam illi prodeunt mille ducenti equites, qui eum ad ædes illi paratas proſequuntur, quæ ſunt in Epiſcopali palatio Londinenſi. Poſt biduum, ſecundo flumine Tamili, lenunculis Grenvicum deportatur, qui locus eſt 4. paſſuum millia infra Londinum, vbi rex crebro domum habet. Illic à Rege & Cardinale Eboracenſi maximo apparatu excipitur. Expoſitis apud Regem mandatis, dies plurimos tùm Londini tùm Grenvici prolixè acceptus ab Eboracenſi, in domum quandam ducitur, quam paucis ante diebus is ædificarat, 10. millia paſſuum ſupra Londinum ad Tamiſim fluvium, cui nomen indiderat Hampton curiæ. (Eam paulò poſt Regi dono dedit, & hodie inter Regiarum præcipuas habetur) Legatum ibi cum toto Comitatu per dies 4. aut 5. quibuſcunque rationibus fieri potuit ſplendidiſſimè & lautiſſimè tractat: Aulæis ingentis pretij conclauia ornabatur, & aureis argenteiſque vaſis penè innumerabilibus omnia collucebant. Lecti in quibus hoſpites ſoli decumberent ſtrati feruntur 280. ijque ſericis plerunque ſtragulis contecti. Londinum reuerſis, Rex Martinaliorum die in ſuâ Grenvicanâ domo epulum præbet, omnium quæ vnquam vidi (inquit Bellaius) ſumptuoſiſſimum, ſiue fercula, ſiue perſonatorum hominum ludicra ſpectacula & comœdias ſpectes: In

1527

Monetæ Anglicæ 30000.

Mommorentius in Angliam ad fœdus firmandum.

Digitized by Google

1527. In ipſis comœdijs Maria Regis filia aderat, quæ & ipſa perſonam agebat. Denique vbi Miſſæ myſteria ſimul participantes, Rex ſuo, Mommorentius Regis ſui nomine, in verba nuper ſanciti fœderis iuraſſent, muneribus ampliſſimè ſingulos Rex donauit; & Memmorentium à ſe dimiſit, qui Baionenſem Epiſcopum apud eum, Regis ſui Oratorem ad tuendam ſocietatem & amicitiam initam reliquit. Miſſi tum paulò poſtea in Galliam T. Bolenius Vicecomes Rupefortenſis (ſocer mox Regi futurus) & Ant. Brounius eques auratus, vt illi vna cùm Epiſcopo Bathonienſi Io. Clerco (qui Regium tum Oratorem agebat ibidem) iuramentum à Gallo depoſcerent de pactis nuper icti fœderis non violandis, & ſummi apud nos equeſtris ordinis (Gartetij dicimus) ſocium eum declararent. His rebus perfectis, & firmiſſimâ cum Gallo pace vſquequaque conſtabilita: Oratorem placet mittere ad Cæſarem, Franciſcum Pointzium Militem & cum eo Clarentium fœcialem, vt manubiorum in prælio Papienſi Collectorum partem dimidiam & Aurelianum Ducem Galliæ Regis filiolum (alterumnempe obſidum qui patris loco in Hiſpania relicti erant) Regi ſuo in manus tradi poſtularent: (quia cõmunibus vtriúſque auſpicijs id bellum gerebatur) exercitum porro iuberent vt ex Italiâ deduceret, neve CHRISTI Vicariò moleſtiam exhibendo Europæ pacem ſolus turbaret, atque detrectanti (neque enim imperata facturum autumabant) bellum protinùs denuntiarent. Mandata illi ſedulò exequuntur, cumque nihil obtineri poſſe intelligerent: ingreſſus ad Cæſarem Clarentius vna cum Caduceatore quodam Gallo, vtriúſque Regis nomine bellum indicunt: quo nuntio hilari fronte in ſpeciem accepto, Galli, Venetorum item & Florentinorum oratores abeundi facultatem petentes in cuſtodiam duci imperauit, donec quomodo cum ſuis legatis ageretur certior poſſet fieri. Harum rerum fama cum ad Regem noſtrum permanaret, ſimul nuntiatum eſt (ſed falsò) Pointzium & Clarentium cum cæteris detineri, quod in cauſâ fuit, vt legatus Cæſarianus neſcio cui traderetur aſſeruandus, donec intellectâ tandem veritate, dimiſſus eſt. Pointzius autem domum incolumis reuerſus, ſub initium æſtatis anni proximi, ſudore peſtifero (quo de morbo anteà nonnihil dictum

Bellum Cæſari indicitur.

Digitized by Google

dictum eſt) correptus, in ipſa Regia paucarum poſteà horarum ſpatio expirauit. Id cum alijs etiam aulicis nonnullis contigiſſet. & Londini lues illa multum graſſaretur, iuſtitium ibidem indictũ eſt,& Rex cum paruo Comitatu nunc has, nunc illas regiones obequitans contagionis metu,habitationis loca ſubinde mutare coactus eſt. Sed hæc annò ſequenti. 1527.

ANNO CHRISTI 1528. REGN.20.

LENTVM ſuâpte naturâ Clementem Pontificem, rerum porrò ſuarum ratio, ad nectendas moras perſuaſit, quo minus aliquid in vtramuis partem de matrimonio regio hucuſque definiret. Dum medium ſe inter Cæſarem & Gallum tenere, inque neutram partem vult videri inclinare, vtrique fit ſuſpectus, & bello inter eos in Italiâ redintegrato, victori ſe rurſus prædam futurum verebatur, niſi Regis noſtri patrocinio inniti liceret, quem promptiſſimè ſibi affuturum quamdiu lis hæc incerta penderet, multis iam experimentis pro certo didicerat. Atqui vtrùm, pro animi ſui ſententiâ re compoſitâ, eoſdem fructus gratitudo eſſet exhibitura, quas ſpes (ne dicam offenſionis metus) expreſſerat, id verò plurimùm nec ſine cauſâ dubitabat. His cogitationibus Pontifice diſtracto, vergere paulatim cœperunt in Italiâ res Cæſaris, nutante regno Neapolitano, cuius populares tædere cœperat inſolentiæ Hiſpanorum, vt Gallorum potius imperio ſe malle regi palàm profiterentur, & præſidia Gallica in vrbes ſuas paſſim reciperent. Cæſaris proinde offenſionem iam minus metuens, exorari ſe paſſus eſt, vt legatum mitteret in Angliam Laurentium Campegium Cardinalem Epiſcopum Sariſburienſem,(multum renitente Cæſare) qui cauſam hanc tam diu agitatam, adiuncto ſibi Cardinale Eboracenſi, coram cognoſceret & dijudicaret. Deinde, vt ſtudium ſuum erga Regem ampliùs declararet, decretali (vt vocant) bullâ, quam fieri potuit occultè confectâ, matrimonium Regium cum Catharinâ irritum pronuntiauit, eiúſque rei tabulas legato cum huiuſmodi mandato dedit, vt ijs Regi atque Eboracenſi oſtenſis, ſe illarum promulgandarum facultatem habere diceret: tempus verò quantùm poſſet protraheret, neque ſententiam ferret, priúſquam nouum mandatum à ſe accepiſſet: Placere quidem dicens vt Regi tandem

Fluctuatio Pontificis.

traderetur

1528. traderetur ea bulla, (& veriſimile eſt eo animo tunc temporis ipſum fuiſſe) verùm ſua intereſſe negotium trahi, donec ſe contrà Cæſaris iram ſatis munijſſet. Hæc in ſpeciem legato, veterator egregius & ad ſimulationem vnicè comparatus; cum ille nihil aliud ſpectaret, quàm vt occaſiones integras ſibi reſeruaret, quibus pro ratione temporis vteretur. Londinum igitur venit Campeius 9. die menſis Octobris, multùm ſatagente Rege, vt à ciuibus magnificè exciperetur: ſed eum omnem conatum illuſit ſenis infirmitas, qui podagra grauiſſimè laborans, in domum ſibi præparatam clanculum inferri voluit. Paucos ibi dies poſtquam quieuiſſet, ad præſentiam Regis, baiulis deportantibus adductus eſt. à quo humaniſſimè acceptus, per amanuenſem quendam ſuum, ſiue (vt nunc vulgò loquimur) ſecretarium, orationem latinè habuit, in qua quanta crudelitate Cæſariani milites in dirptione vrbis Romæ graſſati fuerint, prolixe conqueſtus; piam Regis noſtri benignitatem, quòd rebus eorum afflictis tanta liberalitate voluerit ſuccurrere, Papæ & vniuerſo Cardinalium cœtui acceptiſſimam fuiſſe pluribus diſſeruit. Huic orationi Edwardus Foxius (Herefordenſis poſteà Epiſcopus) latinè itidem reſpondens, eam Pontificis calamitatem, magno Regem dolore affeciſſe pronuntiauit, humanum quippe eſſe humanis caſibus ingemiſcere. Cæterùm ſibi curæ fuiſſe, vt non ſolùm illud præſtaret, quod homo ab homine iure poſſet expectare, ſed quod amicum amico & Chriſtianum principem CHRISTI in teris Vicario æquum eſſet exhibere. Optare proinde ſeſe, (nec non ſperare) poſtquam erga ſanctam ſedem, obſequentiſſimi filij officio ipſe non defuiſſet, ſi quando vſu veniat, vt eius operâ & authoritate indigeat, ea non illibenter largiatur, quæ filium à communi matre, haud difficulter impetrare debere, exiſtimarint. Hæc publice. Priuatim deinde collocuti Rex & legati, de Papæ in Regem voluntate nihil non pollicetur Campeius, homo minime malus, quique non aliter ea de re loquebatur, quàm ſentiret. Nam Papa haud ignarus, quàm difficile ſit hominem non ſtupidum fallere, per nuntium conſcium doli, quique ipſe priùs perductus in errorem non fuerit: nihil ſibi fecerat reliquum, vt ſe Regis cauſa omnia facturum propenſiſſimè quæ peterentur, legato eſſet perſuaſiſſimum.

Card. Campegius Londinum.

HIS

Digitized by Google

1528.

His rebus ita perfectis, de ratione cognoſcendi, iudiciúmque in cauſa diuortij regij inſtituendi, ſex totos menſes à legatis conſultatum eſt; nec aliud quicquam geſtum, niſi quod Rex, ſe aduerſa fama laborare intelligens apud ſubditos, præſertim verò mulieres propter hanc actionem,(quaſi inſano percitus amore haud perinde conſcientiæ pacandæ gratia, ac libidinis explendæ cupidine iſta moliretur) vt rumoribus iret obuiam, omnes regni proceres, iudices etiam & iuriſconſultos & de ingenua plebe quotquot adeſſe poterant iuſſit conuocari, eóſque 8. die Nouembr. huiuſmodi vſus oratione, allocutus eſt. Anni iam effluxerunt plus minus 20. chariſſimi fidiſſimíque populares, à quo inter vos regnare cœpi: In eóque toto temporis ſpatio per Dei bonitatem ita me geſſi, vt neque vos habere quod queri, nec hoſtium quenquam quod glorietur, exiſtimem. Neque enim exterorũ quiſquam vim vobis inferre conatus eſt, niſi fruſtra, ſuóque magno cum malo; nec illorum cuiquam à nobis bellum illatum eſt, quod victoria clariſſimíſque trophæis non ſit terminatum. Adeò vt, ſiue pacis opulentiam ſpectetis, ſiue rerum bellicarum gloriam, cum nemine maiorum noſtrorũ (dicto abſit inuidia) fœlicius actum fuiſſe, auſim equidem idque fidenter pronuntiare. Quoties verò ad mortalitatis huius exitum conuerto oculos, quàm malè metuo ne ſequentium temporũ clades, præſentis fœlicitais ſplendorem & memoriam eoúſque obliterent, vt ſicut Romani ſublato tam nuper Auguſto; ſic vos me quandoque aut nunquam natum, aut ſemper inter vos victurum cum lachrymis optare cogamini. Præſentes hic video complurimos quorum ea eſt ætas, vt bellorum potuerint eſſe ſpectatores ciuilium, quibus per annos circiter 80. hæc noſtra Anglia exercita & diuexata eſt, incertis omnibus quem pro legitimo principe agnoſcerent donec per fœliciſſimum parentum meorum connubium hæc omnis dubitatio ſublata eſt. Cogitetis enim verò apud vos, ſi quid mihi nunc humanitùs acciderit, ecquid meliori loco res veſtræ ſint futuræ, quam quo tempore Eboracenſium & Lancaſtrenſium factiones plurimum vigerent. Eſt mihi quidem filia, quam eo arctiori paternæ charitatis affectu complector, quod aliam ſobolem non habeo. Sed nolim quenquam

Oratio Regis ad populũ de diuortio ſuo.

1528. veſtrum latere, agitatum nuper eſſe inter me, chariſſimumque fratrem Franciſcum Gallorum Regem, de matrimonio inter filiolam illam meam, & Henricum Ducem Aurelianum (filium eius minorem natu) celebrando; eámque affinitatem utriſque noſtrûm placuiſſe, donec per Gallum quendam Regi ab intimis conſilijs ſcrupulus inijceretur de filiæ meæ natalibus, vehementer quippe dubitare ſe aſſerebat, ne ſpuria cenſenda eſſet, vtpote me patre genita, ex illâ matre, quæ fratri meo germano antea denupſiſſet: Apertis ſacræ paginæ verbis prohiberi dictitans, ne quis fratris relictam ducat; vereri proinde ſeſe, ne inceſta coniunctio cenſenda ſit mei cum coniuge illâ meâ certe perquàm dilectiſſimâ. Hæc mihi cum eſſent nunciata, nouit DEVS cordium inſpector, quàm graui dolore animum meum perculerint. Siquidem eis verbis, videbar mihi quaſi in ius vocari, non ſolum de vxore, & filiâ, ſed etiam de animâ, cui poſt mortem ſempiterni & ineuitabiles cruciatus debebuntur, ſi de tam horrendo inceſtu admonitus, emendationis viam non ingrediar; vt de vobis interim taceam amicis, & liberis veſtris, quibus quantum creatur periculum ex huiuſmodi dubitatione, nemo veſtrum opinor tam hebes eſt qui non intelligat. Ego igitur iſtius ſcrupuli eximendi (ſicut res flagitabat) cupidiſſimus, cum amicis primum rem contuli, deinde cum vtriuſque iuris (diuini ſcilicet & humani) peritiſſimis; qui me poſtquam incertiorem reddidiſſent quàm anteà: aliud mihi reliquum non putabam, quàm vt ſanctæ ſedis Apoſtolicæ iudicium implorarem, cui me cæteróſque omnes æquum cenſeo acquieſcere. Hunc ipſum, neque alium in finem (DEVM teſtor immortalem) venerabilem iſtum legatum accerſendum curaui. Nam ad Reginam conſortem meam longè chariſſimam quod attinet: Quicquid domi garriant mulierculæ, aut muſſitent in angulis maleuoli, libenter ingenuéque profiteor, ſicut nobiliſſimis eam parentibus ortam, ſic multò nobilioribus animi virtutibus præditam, adeò vt, ſi hodiè vxor eſſet ducenda, inter totius mundi fœminas (ita DEVM habeam propitium) non aliam mihi dari magis exoptarem, (modo iure id fieri poſſet) quàm hanc ipſam, cui, pietate erga DEVM, in maritum amore, cæteris omnibus comitate, prudentiâ denique, humilitate,

humilitate, animi morumque ſanctitate, parem nuſquam inueniri poſſe, mihi equidem habeo perſuaſiſſimum. 1528.
Verùm cum nobis ſolum nati non ſimus, ut noſtris cupiditatibus obſequamur: æquius eſſe putavi, hæc omnia iudicij aleæ ſubijcere, quam DEO videri impius cunctorum bonorum largitori, patriæque ingratus, cuius incolumitatem vitæ quilibet bonus, omnibúſque fortunis anteponit. Hæc me ipſo nunciante, poſtquam audiviſtis, ſpero futurum, ut ſeditioſorum obtrectationibus & ſuſurris, aut inanibus vulgi rumuſculis aurem poſthac non adhibeatis.

Vario animorum affectu hæc oratio excepta eſt: Regis vicem alijs miſerantibus, ſed multò pluribus reginæ, anxijs omnibus & metuentibus, quò demum hæc res eſſet evaſura. Pauci erant rerum novarum cupidi, quibus præſentia diſplicebant, quæ mutari malebant vel in deterius, quam in quo eſſent ſtatu permanere. Hi conatū Regis (vulgo parum favorabilem) ut pium, ſibíque reíque publicæ neceſſarium, ad cœlum laudibus tollere.

ANNO CHRISTI 1529. REGN. 21.

APRILIS tandem menſis ſub initium, cœptum eſt de cauſâ matrimonij Regij publicè cognoſci. In Cœnobio Dominicanorum Londini, tribunal ad id ipſum extructum eſt, Rege interim, in ædibus vicinis quæ à Brigidæ fonte nomen habent, moram trahente. Viſebatur ibi, quod nullibi vnquam gentium factum comperi. Monarcham potentiſſimum imperijque ſui compotem, die ſibi dicta, intra ditionis ſuæ limites, præconis voce citatum, coram iudicibus iuſſum comparuiſſe. Res tam inuſitata & alioqui maximi momenti, accuratius paulò enarrari poſtulat, quam pro ea quam inſtitueram breuitate. Regi in ſublimi, ſolium collocatum erat, ita ut gradibus aliquot ad id aſcenderetur, & iuxta id, (ſed paulò humilius) aliud item Reginæ. Coram Rege ſedebant legati quaſi ad quartum gradum, ſed ita, ut vnus dextram, alius ſiniſtram tenere videretur. Iuxta eos ſtabant apparitores & alij curiæ miniſtri, intérque eos Gardinerus (paulò poſteà Wintonienſis Epiſcopus) actorum in eo nogotio ſcriba. Ante Iudices, & intra curiæ cancellos, ſedebat Archiepiſcopus Cantuarienſis, cum cæteris totius regni Epiſcopis. Ad extremos deinde angulos erant vtriúſque partis

Diuortij regij actio.

Digitized by Google

ut magis metuam ne iram DEI in me concitarim nimia tibi complacendi cupiditate, quam quod officio meo in ea parte vel minimum defuerim. Per hanc talem meam in te obſeruantiam ſi vnquam ea grata fuit, per communem filiam, perque memoriam parentis mei tibi olim chariſſimi te oro & obteſtor, vt cauſæ huius cognitionem tam diu ſiſtere non graueris, donec miſſo in Hiſpaniam nuntio ad propinquos meos, de ſententia amicorum facta certior, in hac re quid mihi ſit ſtatuendum intelligam. Si tum poſteà iuſtis iudicibus æquum videbitur, vt matrimonio exigar in quo tantum temporis tranſegi; quanquam morte hoc mihi grauius futurum eſt, parere tamen non recuſabo. Sed quoties ſapientiam recordor parentum noſtrorum, quibus authoribus hoc coniugium coaluit, non poſſum non optimè de cauſa mea ſperare. Pater ille tuus alter Salomon habitus eſt ob mentis perſpicaciam admirabilem, nec quiſquam per Hiſpanias iam multis ſeculis rerum fertur potitus prudentiæ laude cum Ferdinando genitore meo conferendus: & quoſnam conſiliarios hos tales viros ſibi aſciuiſſe putabimus, vt quaſi conſpiratione facta in nuptias inceſtas nos vno conſenſu præcipitarent? Neq; enim vel minimum tunc temporis ſcrupulum iniecit quiſquam, cui minus ritè confectum hoc matrimonium videretur; habuerunt tamen & illa tempora viros doctrina præſtantes; Vitæ porro ſanctitate & veritatis amore noſtratibus (quod ego miſera meo malo edocta didici) multis gradibus anteponendos. (Hoc ideo dixit quod omnes totius regni epiſcopos communi decreto matrimonium ſuum cum Rege initum damnaſſe inaudierat. Et huiuſmodi reuera decretum ſingulorum ſigillis ac ſubſcriptionibus munitum in ipſa Curia publicè poſtea recitatum eſt, ipſo rege præſente, quamuis refragante Fishero Roffenſi, qui nunquam illud à ſe probatum contendebat, & Cantuarienſem falſi inſimulabat, quaſi iſſe inuito & repugnante ſigillum neſcio quod pro ſuo appoſuiſſet, aſcripto etiam aliena manu nomine.) Iſta vero totidem fere verbis Regina cum dixiſſet, exurgens, flexu corporis regem pro more venerata eſt, cumque ad priſtinum locum redituram præſentes expectarent, exire properat è curia, & dum omnes attoniti mirarentur quid pararet,

1529.

Regina diſcedit è curiâ.

raret,

1529. raret, aliquantum iam proceſſerat, cum præconem Rex iubet abeuntem denuo arceſſere: quod cum ille ſublata voce faceret, Reginæ nomen inclamando, & nobilis, cuius humero illa nitebatur, vocatam ſe admoneret: Audio (inquit illa) tu nihilominus pergas: non habeo cur ſperem in hac curia mecum iuſtè actum iri: faciant ipſi quod videbitur, ego verò non manebo. Ita diſceſſit illa, neque vnquam poſtea adduci potuit, vt in ea Curia, vel ipſa, vel alius quiſquam ſuo nomine compareret. Rex poſtquam abijſſe videt, abſentem ad cœlum laudibus ſuſtulit, de cupiditate ſua in eo coniugio permanendi multa profeſſus, modo ſine animæ iactura Reipublicæque damno id fieri poſſit. Loquentem Wolſæus Cardinalis interpellauit, multis eſſe in ore conquerens, ipſius conſilium ſequutum Regem, de repudianda vxore primum cogitaſſe. Quod quatenus verum eſſet, vt populo tunc præſenti ſuo teſtimonio fidem facere dignaretur magnopere obteſtatus eſt. Et rex quamquam optimè gnarus haud falſa eſſe quæ ea de re vulgo iactarentur; tamen quo ab homine amico tantam inuidiæ molem vtçumque auerteret, ei gratificatus eſt eouſque, vt Epiſcopum Baiocenſem talis conſilij primum authorem teſtaretur, ac poſt illum Lincolnienſem confeſſorem ſuum, deinde alios Epiſcopos, quos ea de re conſuluiſſet. Hæc ferè primo actionis die facta comperi. Menſem deinde vnum aut alterum hæc lis agitata eſt, contendentibus Regijs, non eſſe in poteſtate Papæ illud coniugium ratum facere, quod ſacra ſcriptura tanquam iure naturæ prohibitum vitioſum pronuntiaſſet: Inter Catharinam Reginam & Arthurum principem Regis fratrem natu maiorem matrimonium legitimè contractum, publiceque celebratum fuiſſe neminem negare, conſummatum porro per copulam carnalem multis argumentis probare nitebantur. At qui reginæ cauſam propugnabant, iudicialem eam eſſe legem non moralem aſſerebant, qua fratis vxorem ducere Iudæi prohibebantur, & idcirco per CHRISTVM abrogatam; quatenus vero ab eccleſia retenta fuerit, eiuſdem eccleſiæ authoritate diſpenſabilem eſſe, præſertim cum vltimam matrimonij conſummationem nullo modo poſſe probari confiderent. His altercationibus poſtquam aliquandiu certatum eſt, ad promiſſam

miſſam & tam diu expectatam ſententiam ferendam, ſolito frigidius, Campeium properare Rex animaduertit. Nam potentia Cæſaris in Italia iam multum aucta, cum eum Papa non modo non offendere deinceps vellet, ſed potius offenſionem illatam abolere cuperet; Franciſcum quendam Campanam in Angliam miſerat, alio quidem prætextu, ſed hoc præcipue habentem in mandatis, vt Cardinalem iuberet, decretum illud iudiciale, quo irritum matrimonium regium iam olim pronuntiarat, igne protinus corrumpere, & reditum quantum poſſet maturare. Cum vero ſimul cum hoc mandato ægrotare Pontificem nuntiatum eſſet, rem exequi diſtulit aliquandiu Campeius, vt ſi forte moriente illo, facultatem vllam poſſet nanciſci, Regi gratificaretur, à quo cum Epiſcopatum Sariſburienſem accepiſſet, ipſique ſpem certam feciſſet omnia pro voluntate ſucceſſura; verebatur ne non ſolum ingratus, ſed etiam perfidus videretur, ſi regem ita ludificari permitteret. Poſtquam verò conualuiſſe Clementem audiuit, non auſus reniti, mandato obtemperauit, ac bullam in focum coniecit. Rex interim, qui Boleniæ ſuæ potiundæ cupidine flagrabat, & moram omnem vel minimam moleſtiſſimam habuit, mutationem cito perſentiens, inquirere non deſtitit, donec rem prout geſta eſt totam ordine reſciuit. Ac tum primum omnem iracundiæ vim in Wolſæum effudit, cuius ingenio cum nihil non effeciſſet huc uſque: per illum ſolum ſtetiſſe voluit credere, quo minus pro animi ſuiſententia hoc negotium iamdudum fuiſſet confectum. Non poſſum hîc mihi temperare quin exclamem cum Comœdo,

1529.

Papa inconſtantia.

Wolſæus ruit.

Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστὶν ὦ Ζεῦ καὶ θεοί.
Δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου;

Totos viginti annos in obſequio Regis hic Cardinalis abſumpſerat, in eoque ita ſe geſſerat, vt ſibi magnam ſane potentiam & ingentes opes, Regi vero optimi principis famam comparaverit. Quoties enim quanta cum laude Rempublicam hucuſquè adminiſtrarit Henricus octauus, apud animum meum perpendo, ac deinde in ſequentium temporum calamitates oculos conijcio, equidem facile inducor vt illis aſſentiar,

taque accerſens conſilium aperit novi matrimonij, pontifice *1529
quantumvis invito & refragante incundi, ſimulq; petit, ut rationem aliquam inveniat, quomodo Campeius collega ijs non obſtantibus quæ nuper accepiſſet in mandatis, ad ſententiam pro ſe ferendam poſſit adduci. In eius facti excuſationem multa dicens obtendi poſſe, ac in primis, metum iracundiæ regiæ cuius fortaſsis cauſam habiturus eſſet noninanem, niſi Regi tam iuſta petenti obſecundaret. Quid his Wolſæus reſponderit parum habeo compertum. Illud conſtat, hominem, ſive quod primam eiuſce rei mentionem averſaretur, ut cœpti temerarij nimiſque audacis ſive quod de collega in eam ſententiam pertrahendo nullam ſpem facere vellet: ſive (quod Sleydanus neſcio quo authore tradit) comperiſſet Rex, monuiſſe eum Papam ne divortium cum Catharina approbaret, quòd ſucceſſuram videret aliam Lutherana hæreſi infectam: minis certè & convitijs adeo exagitatum à Rege, ut animi valdè conſternati plurima mox dederit indicia. Nam cum à Regia revertenti Epiſcopus Carleolenſis (qui ſecundo fluvio iter facienti in cymbâ vna aderat) de æſtu (qui tum forte plus ſolito feruebat) conquereretur: tu (inquit) Cardinalis, ſi meum locum modo obtinuiſſes, revera eſtuares. Domum deinde quamprimum reverſus eſt exutis veſtibus, æger cubitum diſceſsit. Ibi vix ſeſquihoram quieverat quando accurrens Bolenius (Wiltonienſis mox Comes creatus) hoc velle regem nuntiat, ut ipſe & collega, Reginam extemplo adeuntes, hortentur eam ne lite amplius contendere velit, rei ſuæ & vtriúſque honori melius conſultum *Legati ad* fore admonentes, ſi regiæ voluntati ſe permittat, neque ad dam- *Reginam.* nationis ignominiam inferendam, ipſum adigat. Eo ſiquidem peruentum, ut differre amplius iudicium non poſſit. Cognita regis voluntate, ſurrexit è ſtrato Cardinalis, & vocato collegâ, ſimul cum eo Reginam petijt, quæ de adventu legatorum certior facta, prodijt illis obviam. Poſt mutuam ſalutationem, ſecretum petunt Cardinales, abnuente illâ colloquium cuius plurimi teſtes eſſe non poſſent. Exorſus tum orationem latinè Wolſæus, ſed vernaculâ eum Anglicanâ uti iubet Regina, illam ſatis probè ſe callere dictitans, quanquam etiam latinæ non ignaram, Anglicè igitur ſermonem inſtitutus, utriúſque nomine, de obſervantiâ erga eam ſuâ, multa comminiſcitur, & ut con-

Digitized by Google

1529. ſilium daturi fidele, nec aliam ob cauſam ad eam tunc temporis acceſſerint. His illa ad hunc fermè modum reſpondit, Benevolentiam ego veſtram æqui boníque facio, & conſulentibus aurem adhibebo: ſed (quantum auguror) res magna eſt quam tractabitis, quæque priuſquam de eâ ſtatuatur, non ſolum ſpatium deliberandi, ſed etiam ingenij vires vltra captum muliebrem requirat. Meas ecce occupationes (faſciculum ſimul monſtrabat fili candidi a collo dependentem) his rebus intentam me offendiſtis inter ancillas, quæ conſiliariæ mecaſtor haud ſunt optimæ: neque verò in Angliâ alias habeo, & Hiſpania (vbi ſunt ij quibus fidere auſim) procul abeſt: Audiamus attamen quod dicturi eſtis, reſponſuræ quando erit commodum. His dictis, manum Cardinalis prehendit & in conclave quoddam eos deduxit, vbi verba facientes ſecundum mandata regia attentè audivit & ad poſtulata eorum ſic reſpondit. Quod iam tandem poſt 20. annos in hoc coniugio tranſactos, an ritè illud confectum fuerit quæratur, ſatis equidem mirari non poſſum: præſertim cum eos viros cogito quibus authoribus id coaluit. Eorum multi adhuc vivunt tam in Angliâ quam Hiſpaniâ, & cæteri quales fuerint qui iam mortem obierunt omnibus ſatis notum eſt: Henricus & Ferdinandus parentes noſtri (principes ætatis ſuæ prudentiſſimi) cum ijs qui ſibi erant à ſecretis, ut nihil de Pontifice dicam Rom. cuius diploma diſpenſatorium penes me eſt plumbo ſignatum, & magnis ſumptibus à patre meo comparatum. Quid verò tam firmum quod invidia non auſit oppugnare? De his tantis ærumnis & moleſtijs non habeo alium quàm te, te, Eboracenſis, quem incuſem. Quoniam ſuperbiam tuam portentoſam, luxuriam fœdam, ſcortationes & tyrannidem intolerandam odio me habere nunquam diſſimulavi, his ideò me telis petijſti, quanquam huius tuæ in me invidiæ partem nonnullam Cæſari nepoti acceptam ferre debes, quem cane peius & angue odiſti, non aliam verò ob cauſam, quam quod ambitioni tuæ inexhauſtæ non ſatisfecerit, per vim & nefas Papatum tibi comparando. Hanc ſcilicet iniuriam ulciſci & tam de amicis eius quam de ipſo vindictam ſumere non ſemel interminatus es: nec verò fidem feſelliſti, nam omnium bellorum contra eum his proximis annis geſtorum, tu ſolus fax & incentor extitiſti. Et mihi amitæ eius quantas exhibueris moleſtias,

Regina cum Cardinalibus colloquium.

Reſponſio Reginæ.

Digitized by Google

leſtias, hunc novum ſcrupulum injiciendo, novit DEVS, cui ſoli, nec alteri cuiquam cauſam meam dijudicandam commendo. Hæc magno animi fervore, Gallicè diſſeruit, & excuſantem ſe Wolſæum, audire vix ſuſtinuit, Campeium ſatis humaniter dimiſit. Erat iam menſis Iunius, & inſtante meſſe, legati ut ad huius cognitionis Cataſtrophen properarent, tempus eſſe cenſebant. Die itaque præſtituto, aulicorum procerum multi, & de plebe numerus ingens, in Curia adfuerunt, ſententiam pro Rege ferendam ſibi certò perſuadentes. Rex etiam ipſe (qui de legatis neſcio vnde ſpem bonam conceperat) ſolium ſibi conſtitui fecerat ponè aulæum, vbi audire cuncta quæ dicerentur, ipſe autem videri poſſet à nemine. Poſtquam conſederant Cardinales, & advocati regij pro ſua parte ferri ſententiam inſtanter (ut mos eſt) poſtulaſſent: Campeius legatus, oratione fertur vſus quæ conſtantiam deceret viri tanto munere non indigni, in hanc videlicet ſententiam. Quæ, à vobis in cauſa regia allegata ſunt audivi omnia, diligentérque mecum perpendi: & ſunt ea profecto talia, ut ſecundum regem pronuntiare & potuerim & debuerim, niſi duo eſſent quæ me in rem regiam meâpte ſponte propenſiſſimum, impedirent. Regina (vt videtis) ſe Curiæ noſtræ iudicio ſubtrahit omnino, de loci iniquitate coram nobis multum conqueſta, quippe vbi nihil ſtatui poſſe dicit præter actoris voluntatem. Deinde Papa (qui authoritatis noſtræ fons eſt & vita) miſſo nuntio, cauſæ cognitionem ad ſe vnum retraxit: vt progredi vlterius etſi maximè velimus, tamen fortaſſis non poſſimus, debeamus certè nequaquam. Quocirca (quod vnũ reſtat) ab vlteriori huius cauſæ cognitione deinceps ſuperſedendum denuntio. Aliter (ut res ſe habet) à me ſtatui non poteſt: & opto ut ij ad quos ſpectat hoc negotium æqui bonique conſulant quod facio. Id ſi pro voto non ſuccedat, etſi futurũ eſt, ut iniquo animo feram, haud tamen certè tam moleſtè, ut cuiuſquam minis multum commoveri poſſim. Seni mihi imbecillo & invalido mortem video propinquiorem, quàm ut in tanti momenti negotio, ſive ſpe, ſive metu me duci ſinam, aut alio quovis reſpectu, præterquam ſummi illius iudicis, cuius tribunali me propediem ſiſtendum cognoſco. Ferunt in eo cœtu tunc interfuiſſe Suffolciæ Ducem eúmque gnarum, & adeſſe Regem & ægerrime ferre quod liti tam diuturnæ iam tandem finis non fuiſſet impoſitus, tanquam furentem è ſede ſua exilijſſe, omnia

1529.

Oratio Campeij Cardinalis.

1529. dira legatis imprecantem, cum Anglia nunquam bene actum eſſe teſtantem poſtquam cum Cardinalibus rem habuiſſet. Ad ea paucis Cardinalis noſter (Wolſæus inquam) in poteſtate ſuâ non eſſe ſine Papæ authoritate ulteriùs progredi, nec debere quenquam eos incuſare quod illa non præſtiterint quæ facerent nécne, in alienâ manu ſitum eſſet. Multum enimverò abfuit ut hæc reſponſio iracundiam regis leniret, quæ in tantum exarſit, ut nunquam placari is potuerit donec Wolſæum evertiſſet. Quod ad Campeium attinet, commeatu petito non irremuneratus diſceſſit. At Caletum vſque progreſſum, miſſi ſunt qui perſequerentur, & loculos eius ſcrutarentur. Huic rei cauſa prætexebatur, quòd Wolſæus Cardinalis fugam adornans, ingentem pecuniam Romam præmiſiſſe diceretur Campeio aſportante. Hæc utcúmque in ſpeciem, non aliud credo hoc conatu petitum, quàm ut diploma Pontificium, quo (uti dictum eſt) matrimonium regiũ irritum fuerat pronuntiatum, in ſcrinijs legati repertum (neque enim exuſtum credere voluerunt) novo coniugio, ad quod tantâ cupiditate Rex anhelabat, authoritatem dare videretur. Fruſtra ſudatum eſt: neque enim diploma vſquam apparuit, & pecuniæ vix tantum inter impedimenta legati inuentum eſt, quantum à rege pro munere honorario is accepiſſet. Ruere iam poſthac cœpit Wolſæus, honoratiſſimo Cancellarij munere exactus paulò poſt quàm Collega diſceſſit. Octobris die decimo octavo venerunt ad eum Norffolciæ & Suffolciæ Duces magnum Angliæ ſigillum Regis nomine depoſcentes, quibus ille diplomate regio, eius ſibi cuſtodiam conceſſam reſpondit, ut Cancellarij dignitate quam diù viveret frueretur, abdicaturum nihilominus haud grauatè ſi Rex ipſe iuberet. Neque verò par eſſe, ut ſigillum quod à rege acceperat, cuiquam alteri traderet, niſi cognitâ prius & perſpectâ regis voluntate. Windeſoram ita reverſi (vbi tunc temporis Rex agebat) rediêrunt poſtridiè literas à Rege afferentes, quibus perlectis, mandato protinus obtemperavit. Eiuranti ſucceſſit Octobris 26. Thomas Morus, cuius in omni fere bonarum literarum genere excellens eruditio notior eſt quam ut à me opus ſit enarrari. Wolſæo verò à Cancellariatus munere amoto, accuſatio paulò poſt intenditur Maieſtatis læſæ, ídque (quod raro fit) in ipſo Parliamento, vt legê latâ inauditus damnetur. Cæterum ille

Wolſæus Cancellarij munere exigitur.

Morus fit Cancellar.

Wolſæus proditionis accuſatus.

1529.

ille conatum hunc inimicorum neſcio vnde præſentiens, famulum quendam ſuum Thomam Cromwellum (virum mox magni nominis & potentiæ) in album eorum curauerat legendum, quibus ius erat ſuffragium inter ordines ferendi. Ab eo edoctus quotidiè Cardinalis quid obijceretur, monuit viciſſim per literas quid eſſet reſpondendum: quod ille (homo diſertus quanquam indoctus fere) eâ & fide & facundiâ retulit ad conſilium, vt herum curarit abſoluendum, & ingentem ſibi gloriam comparauerit, aditumq; ſimul patefecerit ſibi ad magnos illos honores quos deinde paucorum annorum curriculo adeptus eſt. Nemo enim erat Cardinali tam infenſus, qui ſagacitatem & induſtriam, præcipuè verò fidelitatem Cromwelli laudibus magnopere non extolleret, quòd Dominum deiectum non tantùm non deſereret, ſed defendere à maleuolorum iniurijs tam probè ſciuerit, tam nauiter diligenterque voluerit. Hâc igitur non ſuccedente, aliâ aggreſſi ſunt viâ. Pœnam cuiuſdam legis incurriſſe Cardinalem contendunt, vnde omnibus fortunis exciderit. Huius legis prætextu hominem quaſi nudum è domo ſuâ eijciunt, & opibus ingentibus per miniſtros regios expoliant, vt ab amicis non tantum ſuppellectilem ſed pecuniam etiam vnde alteretur mutuo ſumere neceſſum habuerit. Tum miſſi iudices qui præſentes quærerent in domo vbi iuſſus eſt manere de delicto cuius eum fecerant reum, nempe quod legati poteſtate fungi tot annos auſus fuerit regiâ non impetratâ licentiâ. Ad hanc aduerſariorum criminationem ſeu mauis calumniam (neque enim quiſquam erat tam hebes cui aut vera viſa fuerit aut veriſimilis) in hanc ille fertur ſententiam reſpondiſſe. Hoccine verò illud tàm atrox crimen eſt ob quod omnibus derepent fortunis eijcerer, & victum quaſi oſtiatim emendicare cogerer, homo iam ſexagenarius, qui totam ætatem in obſequio Regis conſumpſi, nullis parcens laboribus, neque aliud ſpectans poſt DEVM, quàm vt illi vſui eſſe poſſem? Expectabam equidem vt perduellionis aut Maieſtatis læſæ arceſſerer: non quod talis mihi delicti conſcius eſſem, ſed quod regem noram tàm ſapientem, vt ſatis intelligeret, non decere conſtantiam & magnanimitatem regiam ob leuius aliquod delictum veterem amicum & ſummæ apud illum tot per annos authoritatis, inauditum damnare, & pœnâ

Wolſei ad Iudices Oratio.

 morte

Digitized by Google

1529. morte longe grauiori plectere. Quis enim animi tam puſilli eſt & abiecti, vt millies non malit perire, quàm mille homines (tot mea alit familia) quorum opera fideli (de pleríſque loquor) iam diu vſus fuerit, quaſi ante oculos pereuntes videre? Iam vero poſtquam nihil aliud video afferri quàm quod à vobis obijcitur, in ſummam ſpem erigor, nihilóq; melius ceſſurum hunc inuidorum conatum confido, quàm de perduellione in Cœtu Parliamentario nuper intentata accuſatio. Ipſi ſiquidem Regi (de cuius æquitate non poſſum non optimè ſperare) notiſſimum eſt, legati munus me non auſum attingere, priuſquam diplomate ſuo eius rei facultatem is mihi dediſſet. Iſtud vero diploma ſi vt proferam iubetis, non poſſum fateor, & hoc & alia quæ poſſidebam omnia mihi erepta, probe noſtis. Cæterùm neque proferrem certe ſi haberem. Ego enim cum Rege quorſum iure contendam? Agite proinde ac Regi nuntiate me omnia quæ habeo (quid dico habeo, cum nihil mihi relictum videam?) quæque vnquam habui, ipſius liberalitati vnicè ferre accepta, & non iniquum cenſere vt repoſcat, qui contulerit, ſi is me indignum illis exiſtimet. Quidni igitur ipſi Regi hanc cauſam dijudicandam relinquo, vt ille pro voluntate me aut damnatum aut abſolutum pronuntiet? huic ſi placet vt obiectum crimen fatear: en fateor, nec vobis vltra negotium faceſſo. Cum Regi ſatis conſtet de innocentiâ meâ, vt neque propria confeſſio, neque aduerſariorum calumnia in errorem poſſit eum perducere, equidem non abnuo quo minus confitentem reum habeatis. Is qui peccantibus pro inſitâ clementiâ non raro ſolet ignoſcere, innocentem (ſat ſcio) vel nolentem abſolvet. Hâc editâ confeſſione, pœna legis protinus irrogata eſt, hoc vno dempto, quod carceribus perpetuis mancipando libertas non eſt imminuta. Supellectilem pretioſiſſimam immenſi pretij, auri & argenti cœlati copiam incredibilem, pecuniæ etiam numeratæ quantum potuit vſquam reperiri, miniſtri regij iam pridem eripuerant. Reſtabant ſolum prædia collegijs à ſe extructis deſtinata & ſuâ pecuniâ magnâ ex parte coempta, quamvis multa etiam erant quæ monaſterijs aliquot à ſe demolitis abſtulerat, prout antea retulimus. Ex his prædijs colligebantur in ſingulos annos (quantum coniectura aſſequi poſſum) circiter 4000. librarum

Digitized by Google

brarum noſtratium, quæ faciunt Aureorum Gallicorum 12200. 1529.
hæc porro omnia fiſco regio adiudicata. Noluit tamen DEVS opus tam egregium omnino perire: Ex ſuo poſtea Rex contulit, vnde Decanus, 8. præbendarij, ſtudioſi centum, pauperes 24. & miniſtri ſacrorum XII. in eo collegio alerentur, quod nunc ædis CHRISTI nomen habet, in Celeberrimâ Oxonienſi Academiâ, & Regem prædictum agnoſcit patronum, ſive (vt vulgò loquimur) fundatorem. Quod ad Cardinalem attinet tanti beneficij Academiæ noſtræ verum authorem, non potuit Rex, etſi id maximè cuperet, ita omnes amoris quo illum haud dubie amplectebatur, iàm ſynceri quàm magni, ſcintillas extinguere, vt non paulo mitius eum tractauerit quàm murem deuorandum famelica felis. Nam annum integrum permiſit viuere, de cujus pernicie certiſſime ſtatuerat, ſed ita viuere, vt nunquam poſſet vel euadere, vel de euadendo deſperare. Quamuis enim vix vlla dies prætérierit per aliquot illos menſes, in quâ non aliquid pertulerit miſer, quod animum quantumuis ferreũ ad iracundiam extimularet: homo tamen ſuâpte naturâ ad perferendũ aduerſa parùm fortis, nunquam deſperatione fractus eſt, quod triſtibus læti ſemper aliquid admixtũ fuerit, crebris à Rege nuntijs (ſed fere noctu ſemper & clanculum) aduentãtibus, qui de beneuolo eius affectu fidem facerent, monile nonnunquam (aut tale quippiam) amoris ſymbolum afferentes, animũ ne deſpõderet monentes, futurumq; breui aſſeverantes, vt priſtinum gratiæ & potentiæ locum rurſus obtineret. Præualentibus tandem adverſis, incidit in morbum quo omnes periturum exiſtimabant. Ad laborantem vocatus eſt Medicus quidam regius, à quo memorant Principem quæſijſſe poſtea, quid morbi haberet Cardinalis. Cui ille; Quicquid id eſt morbi quod habet, ſi mortuum cupis, tu quieſcas, & haud totum triduum ſupervicturum ſpondeo. Ad ea Rex menſam percutiens, malim vero inquit 20. millium librarum iacturam facere, quàm vt ille moriatur: Abire igitur ociùs tu & quotquot alij medici in Regiâ poſſunt reperiri, hominémque quàm poteſtis diligentiſſimè curate. Deinde cum animo eum laborare non còrpore is retuliſſet: amandauit ad eum nobilem quendam cum annulo quo Regem ipſe Cardinalis olim donauerat, & nuntiare iuſſit, deferbuiſſe iam iracundiam ſuam

Collegium Chriſti Oxonij.

Wolſæus ægrotat.

Digitized by Google

1529. ſuam, pœnitere quod obtrectatoribus invidis tàm diù aures accommodaverit, perſpecturum brevi, haud minori ſe illum beneuolentia amplecti, quam quo tempore gratia apud eum plurimum pollere noſceretur. Iſta cum rurſus ab alio atque itidem alio afferrentur; recreatus ille, paucorum herclè dierum ſpatio priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt. Aulici igitur proceres qui ſinguli proximum ſibi potentiæ locum euerſo Wolſæo, ſpondebant, metuentes vehementer ne reuera Regi reconciliatus ſpem eorum eluderet, & iam læſus eorum ceruices multo quàm ante premeret grauiùs: omnibus ingenij neruis in hoc incubuêrunt, vt Londini adhuc hærentem, aut alibi infra pauca milliaria, procul amandandum curarent. Neque vero Wintoniæ (cuius Epiſcopatum Adminiſtratoris titulo tenebat) degere eum permiſerunt (Londino ea Ciuitas 40. circiter milliaria diſtat) Eboracum ad Archiepiſcopatum ſuum regendum, quidni abeat dictitantes, poſtquam Cancellarij munus Londini eum amplius non diſtineret? Itaque conceſſo viatico, eóque longè copioſiori quàm conſiliarij regij aſſignarant, videlicet pro mille Marcis, totidem libris, tertiam partem Rege vltrò adijciente, iter cœpit Eboracum verſus (vrbem à Londino 150. milliaribus in boreali regni parte ſitam,) ſub finem menſis Martij anni proximè ſequentis. Ex tot vero ſacerdotijs, nihil illi relinquunt ad victum quotidianum præter fructus prædicti Archiepiſcopatus: Valebant ij fortaſſis ad 4000. librarum in ſingulos annos. Quod de Apicio Romano Seneca, cur non etiàm hîc nos de Wolſæo? Quanta luxuria erat cui cenſus aureorum 13000. egeſtas fuit? Tempus iam poſtulat vt ad annum 1530. tranſeamus. Sed abſoluamus ſemel magni iſtius Cardinalis hiſtoriam. Hic igitur non Eboraci, ſed Cawodiæ (vbi domum habet Archiepiſcopus & in limite Diœceſis Londino proxima ſita eſt) per totam illam æſtatem moram traxit, ea comitate, iuſtitia, liberalitatéque erga diœceſanos vſus, vt ingentem ſibi amorem apud omnes hominum ordines conciliarit, videbaturque ea quaſi ſeceſſione magnopere delectari, nunc demum dicens tempeſtatibus aulicis diu iactatum non tanquam in ſcopulum è naufragio euaſiſſe, ſed portum exoptatum nactum eſſe, vbi tandem quieſceret. Si qua nihilominus vel minima ſpes vſpiam

Eboracum Card. ablegatur.

am affulgeret veterem potentiam recuperandi (homo qui mundi vanitatibus valedixiſſe videri voluit, ab Anachoreta quodam Richmundenſi, vt dixit, nuper conuerſus) celare tamen non potuit quanta voluptate perfunderetur. Quod ea ſpe (cuius non leues aut inanes cauſas habebat) falſus demum fuerit, multi inuidorum potentiæ & importunitati aſcribunt, quod apud me neutiquam habet fidem. Quorſum enim tam crebræ miſſitationes gratiam & reconciliationem oſtentantes, ſed grauiſſimis indies contumelijs intermixtæ vltimam indignationem minitantibus, niſi vt hominem Rex aut blanditijs pelliceret, aut terroribus ac minis propelleret, ad ferendam pro diuortio ſententiam, eo ſaltem modo quo poſteà Cranmerus Cantuarienſis Archiepiſcopus? Qua de re efficienda poſtquam cœpit Rex deſperare, initum videtur conſilium de grauiſsimo perduellionis crimine intentando, quod mortis pœna iuxta leges luendum erat. Miſſus ergo Northumbriæ Comes qui comprehenderet, & eo caſu vehementer conſternatum Londinum verſus captiuum ad cauſam ibi dicendam deduceret. In ipſo vero itinere incidit in morbum, quo indies ingraueſcente, in cœnobio tandem Leiceſtrenſi extinctus eſt. Ferunt Kingſtonum quendam (qui illuc tum nuper venerat ſatellitibus aliquot Regijs comitatus) morti vicinum Cardinalem hortatum, ne animum deſponderet, Regem (cuius nomine multam illi dixit ſalutem) non aliam ob cauſam arceſſendum curaſſe aſſerens, quam vt à criminum labe ſe purgaret ab inuidis & maleuolis obiectorum: neque igitur dubitare ſeſe, futurum breui, vt multo ſit quam vnquam hactenus in gratia principis validior, niſi propter animi mollitiem mærori interim ſeſe conficiendum permittat. Ad ea Cardinalis vltimam hanc vocem edens ſic dicitur reſpondiſſe: De ſalute Regis tam audio libenter, quam meam ipſius pro certo deploratam cognoſco. Nam quod ad me attinet, octauus iam agitur dies a quo primum dyſenteria laboraui, cui ſemper febris adiuncta fuit, quod genus morbi, ſi infra octo dies nihil remittat, aut mortem aut morte grauius incommodum (mentis videlicet alienationem) adferre medici omnes vno conſenſu aſſeverant. Sed viribus iam deſtitutus, & morbo magis magiſque ſæuiente, expecto ad ſingula momenta quando DEVS

1529.

Wolſæus comprehenditur.

Morientis verba.

Digitized by Google

1529. hanc peccarricem animulam ex corporis ergaſtulo ad ſe evocet. Quòd ſi futurum eſſet vt pauliſper adhuc viuerem, anne me tam parùm naſutum exiſtimas, vt oculos fugiant intentatæ mihi calles? Tu niſi fallor, Kingſtone, Turris Londinenſis es Conneſtabilis, nec igitur dubito ad quid veneris. At hoc meritò præmium fero, quòd officij erga DEVM parùm memor, Regi placendi vnicè ſtudioſus, ad hunc ſcopum omnes meas cogitationes direxi. O me miſerum & inſenſatum, qui DEO ſummo Regi adeo extiterim ingratus, quem ſi pro officio ſic vt Chriſtianum decuerat debitâ obſeruantiâ coluiſſem, ille, ille, me canis aſperſum iam tandem non deſeruiſſet. Vtinam ex me cæteri omnes (atque adeo in primis Rex ipſe) exemplum capiant, quàm lubrico in loco ſtetur in hoc mundo ab ijs, qui DEI ſuper omnia fauori & prouidentiæ tanquam baculo firmiſſimo non innituntur. Maieſtatem proinde regiam meo nomine ſalutes plurimùm, & hoc vnicum ab illo me rogare nuncia, vt examinis coram ſummo tribunali olim ſubeundi, cui iam iam me ſiſtendum video, non immemor viuat: Ita futurum eſt, vt noxæ quam mihi impingunt aduerſarij, ſecreto conſcientiæ ſuæ teſtimonio me eximat. Plura dicturum vox defecit, & mors continuo inſequuta eſt. Defuncti cadauer Pontificalibus ornamentis indutum, poſtquam totum eum diem

Sepultura. (nam primâ luce expiravit) iacuiſſet in propatulo omnibus qui id vellent conſpiciendum, ſine pompâ funebri, nocte intempeſtâ tumulatū eſt in eccleſia dicti mōaſterij, videlicet in medio Capellæ Beatæ Mariæ. Vitam ita diù actam fœliciter ſatis in-

Potentia. fœlici clauſula terminauit Wolſæus Cardinalis: quo Clericum potentiorem nunquam vidit Anglia, imò ne vniuerſa Europa, (quantum auguror) demptis ſolum Pontificibus Romanis. Aluit ſemper in familia ſua plus minus mille homines, inter quos numerantur, Comes vnus, Barones plerunque. 9. Equites aurati & ſpectatæ nobilitatis permulti, ac aliorum, quorum vnicuique ſuum munus aſſignatum fuerat plus quam 400. præter iſtorum famulos, qui eum numerum longè ſuperabant. Miniſtros deinde ſacrorum ſemper habuit ad 63. videlicet Capellæ ſuæ Decanum, Subdecanum item, Symphoniacum & Cantores 35. clericos nimirum 13. laicos 12. & pueros 10. æditos porro 4. præter ſacellanos (viros eruditione per totam

tam

Digitized by Google

tam Angliam præſtantiſſimos) 16. atque crucigeros 2. Columniferoſque totidem. Sed nihil eſt quod magnitudinem opum & potentiæ eius perinde oſtendat, ac ſtructuræ, quas reliquit magnificentiſſimas & plus quam regias. Vt collegia taceam (de quibus antea) Palatium Weſtmonaſterij (tunc Eboracenſe dictum, quod ad Archiepiſcopum ſpectaret, & nunc præcipua Regum noſtrorum ſedes exiſtit) illius ſumptu fere totum extructum eſt. Hantoni vero Curiam inter regias noſtras omnium longe elegantiſſimam, à fundamentis ipſe excitauit, & opulentiſſimâ ſupellectile inſtructam Regi (munus vere regium) donauit. Hæc enimverò omnia imperitorum quorundam iudicio ſuperauit vnius ſtructurâ Mauſolei, Regi munus deſtinatum. Ex ære ſolido imperfectum adhuc id monumentum viſitur in Capella quadam eccleſiæ Windeſorienſis Henrici octaui nomen præferens. Quòd liberorum eius ex tribus qui poſt eum regnauerunt, nemo id perficiendum curauit, patre adhuc quaſi inſepulto iacente, quid aliud putemus, quàm ſumptus magnitudine deterritos? niſi fortè dicamus iuſto DEI iudicio & ſpeciali prouidentia euenire, vt qui eccleſiam tàm horribiliter deuaſtarit, hunc honorem ſingulis fere prædeceſſorum in eccleſia exhibitum ſolus ipſe non conſequatur. Sed Wolſæum iam tandem relinquamus, qui obijt Nouembr. 30. 1530. Interim vero menſe Iunio, huius anni 1529. per interceſſionem Aloyſiæ Gallicæ Regis matris, & Margaretæ Cæſaris amitæ, poſt multam diſceptationem pax inter eos principes firmata eſt, quæ à loco vbi conuentum eſt Cameracenſis pax plerunque appellatur, ſed à noſtris pax mulierum, quòd ijs mediatricibus conciliata fuerit. Eius conditiones omnes recenſere longum eſſet: præcipuæ & nos aliqua ratione ſpectantes, hæ fuerunt: Cæſar vt liberos Gallo reſtitueret obſides in Hiſpania pro patre ante 3. annos relictos, & Gallus Cæſari Lytri nomine vicies centena aureorum millia dependeret, quibus 400000. regi noſtro ſororique ſuæ Mariæ à Cæſare debita ex fœdere anno 1522. facto exolueret, cautum eſt. Præterquam tam grandem pecuniam, alia etiam 550000. Henrico noſtro ab eodem Cæſare debita Gallus tenebatur numerare, 500. videlicet millia quod Mariam Regis filiam ſibi olim deſponſatam non duxiſſet vxorem:

1529 — *Structura eius.* — *Pax Cameracenſis.*

1529. rem: & 50. itidem millia, quæ Philippus Cæſaris pater ab Henrico ſeptimo mutua ſumpſerat, quo tempore à ventis adverſis in Angliam delatus,pignori reliquit lilium aureum gemmis inſignitum, cui fruſtrum Dominicæ Crucis incluſum credebant. Hoc lilium à Philippo (tam re quam cognomento Bono) Burgundiæ Duce per manus tranſmiſſum, ut iam Gallus repignoraret & Cæſari reſtitueret, conſtitutum eſt. Summa itaque pecuniæ Regi à Gallo perſolvenda, erat aureorum 950000. præter alia 1600. millia Cæſari eo ipſo articulo repræſentâda,quo liberos regios tradidiſſet. Totius vero lytri ſumma 2550000. Coronatorum, noſtræque pecuniæ 765000. librarum, numeratis videlicet in ſingulas libras noſtrates 10. Gallicis. Hanc tam immanem pecuniâ quomodo conficeret Gallus in primis anxius cum noſtro cœpit per legatos agere, ut opperiri pauliſper non gravaretur, tantámque pecuniam confeſtim pendi ne poſtularet. Rex autem qui ſe inconſulto hæc pacta inita moleſtiſſimè ferebat, æquis auribus huiuſmodi petitionem non accipiebat, donec admonitus, operam Galli ad id ſibi futuram vtilem quod parabat: plus etiam quam petebatur incredibili liberalitate largitus eſt. Nam quingenta illa millia pro ſponſalibus filiæ debita condonavit; lilium oppignoratum pro 50. millibus Henrico Galli filio (cui ipſe fuerat in baptiſmo ſuſceptor) dono dedit; ac 400. millia reliqua, ſi æquis penſionibus in 5. annis ſolverentur, ſatis habuit. Tantæ verò Regis noſtri erga Gallum benignitatis hæc quidem cauſa ferebatur. A Papa ſe deluſum per Cardinales tum nuper ſenſerat, vehementérque ob id animo angebatur, neſcius omnino quo ſe verteret, quódve caperet conſilium. Accidit tum forte ut Rege Waltoniæ venationibus indulgente, Gardinerus Amanuenſium regiorum princeps, & Foxius ab eleemoſynis, (quorum iſte Herefordenſis, ille Wintonienſis poſtea fuerunt Epiſcopi) in domo hoſpitarentur nobilis cuiuſdam nomine Creſſei, qui filios duos iam adultos non ita pridem ad Cantabrigienſem Academiam miſerat in bonis literis erudiendos, ídque ſub cura & tutela Thomæ Cranmeri ſacræ Theologiæ Doctoris viri docti cum primis, & vitæ morúmque gravitate laudatiſſimi. Hic forte quadam fortuna tum nuper diſcipulos ſuos ab Academia ad domum paternam deduxerat, propter metum peſtis ibi graſſari

Quomodo Cranmerus regi primo innotuit.

Digitized by Google

graſſari incipientis. Et in convivio facta ab hoſpitibus mentione actionis regiæ in cauſa divortij, quæ tot annos in Curia Romana pependerat indeciſa: Ego vero miror (inquit Cranmerus) Regem potius doctiſſimos, qui uſquam reperiri poſſunt, Theologos de hac re non conſuluiſſe, & illorum iudicia (quorum multos habeat mundus quam Papa multis gradibus doctiores) non ſequutum. Hoc Cranmeri dictum (quod fortè quaſi fortunâ effutierat) illi confeſtim detulerunt ad Regem, qui amplexus illicò, hic vero (inquit) quiſquis eſt, rem acu tetigit, & nomen authoris percontatus, iubet hominem accerſi, laudatóque quod conſilium dediſſet vtiliſſimum, quodquè ſi ante annos 5. ſequutus fuiſſet, iam (ſic enim aiebat) 100. millia librarum haberet in loculis, quas in hac lite Romæ inutiliter expenderat: dat ipſi in mandatis, ut ſcripto libello, hoc ſuum conſilium rationibus undique conquiſitis confirmet, ſententiam interim ſuam de cauſa controverſa interponens. Id ille cum feciſſet promptè, legatum eum Romam deſtinat cum Bolenio Annæ patre (Wiltoniæ Comite nuper creato) Carno, Stokeſleio, Benetto, legum Doctoribus & alijs. Hic liber ad Pontificem deferendus traditus eſt, & ſimul imperatum, ut ad diſputationem Pontificios provocarent, in qua libri argumentum tuerentur, quo nimirum, ſacræ ſcripturæ, antiquorum item patrum & conſiliorum authoritate probatum dicerent, non licere cuiquam fratris relictam ducere, neque fas eſſe Pontifici per quamlibet diſpenſationem huiuſmodi matrimonij copiam facere. Quod poſtquam ij feciſſent, conſilium Regis tum erat, omnium per Europam Academiarum ſententias exquirere de hac re: atque ſi ab illis ſuum matrimonium priùs initum damnatum comperiſſet, ad ſecundas nuptias (Papa quantumvis invito & refragante) protinùs convolare. Cum vero ad hoc quod parabatur magnopere conducere videretur Galli amicicitia, liberalitate prædicta hominem demereri decrevit. Legati igitur Romam prout conſtitutum erat profecti ſunt; vbi poſtquam auditi, promiſſam diſceptationem, de die in diem prolatatam, tam diu expectarunt, ut tandem tempus ibi loci fruſtra teri animadverterent; domum omnes diſceſſerunt, præter vnum Cranmerum, qui Cæſarem petere iuſſus eſt in Germania degentem, cum iiſdem mandatis quæ ad Pontificem 1529.

1529. antea detulerat. Ibi homo & bonus & eruditus, ſed in cauſam
Lutheri huc vſque iniquior, dum apud doctiſſimos tam Pro-
teſtantium quam Pontificiorum cauſam regiam probare niti-
tur, ſemina putatur hauſiſſe illius doctrinæ, quam poſtea aper-
tis (quod aiunt) vlnis amplexus, cum annos 20. Cantuari-
enſis fuiſſet Archiepiſcopus morte luit crudeliſſima impoſitus
rogo & vivus crematus. Hic ita provinciam demandatam
dum obit ſtrenuè, cum Langæo Galli legato Rex agit ſedulò:
ut pro ea qua gratia & authoritate valeret apud eruditos in
ſcholis Galliæ, Germaniæ & Italiæ, ſententias eorum eliceret de
coniugio ſuo: id quod ab eo affatim præſtitum eſt, impetratis
(non ſine Angelorum ut quidam loquitur Anglicorum mini-
ſterio) diplomatis, à Lutetiana & alijs Galliæ Academijs, Pa-
pienſi item, Patavienſi, Bononienſi, & nonnullis alijs, in qui-
bus ſingulis pronuntiatum eſt, Papæ (cui in leges divinas ni-
hil iuris ſit) nefas eſſe concedere, ut frater fratris defuncti vx-
orem ducat, cùm apertis ſacræ paginæ verbis id prohibeatur.
Sub finem iſtius anni, Decembr. videlicet 8. tres nobiles & e-
gregios viros, novis honorum titulis Rex inſignivit: Thomas
Bolenius Vicecomes Rupefortius & Regis mox ſocer futurus
Bolenius Comes creatus eſt Wiltonienſis: Rob. etiam Ratlivius Viceco-
Wiltoniæ mes Fitz-Walterus, ex nobiliſſima Fitz-Walterorum familia o-
Comes. riundus, Suſſexiæ Comes renuntiatus, cui in eo honore ſuc-
Ratlivius ceſſerunt, filius Thomas, nepotes primo Thomas, (nuper E-
Suſſexiæ. lizabethæ Reginæ à cubiculis) deinde Henricus frater eius, ac
tandem Robertus qui nunc vivit prædicti Henrici filius. Ge-
Haſtingius orgius porrò Baro Haſtingius Huntingdoniæ comitatu auctus
Huntingdo- eſt, quem filio reliquit Franciſco patri Henrici ac Georgij,
niæ. quorum ille ἄπαις deceſſit, iſte honoris fraterni hæres cum
ad Henricum tranſmiſit ex filio Franciſco (ante patrem de-
functo) nepotem.

ANNO CHRISTI 1530. REGN. 22.

Biblia in vernaculum Angl. convertitur.

NOVVM CHRISTI Domini Teſtamentum Gulielmus quidam Tindallus nuper in vernaculum Anglicum converterat, & Antuerpiæ typis excuſa exemplaria, in Anglia clanculum evulganda curaverat, id quod Epiſcopos & cæte-

ros

ros è clero (Pontificiæ præſertim doctrinæ addictiores) peſſimè habuit, mendis quippe dicebant & erroribus infinitis ſcatere eam tranſlationem, & in prologis alibíque multa ſacræ Doctrinæ contraria contineri. Rex vero qui Papæ infenſiſſimus iugum Romanum iam primo quoquo tempore excutiendum decreuerat, hâc de re conquerentes admonuit, vt mendas repurgarent, neque ſupprimere conarentur opus vtiliſſimum, & ad detegendas fraudes Pontificis Romani (cuius onus tyrannidis principibus cunctis iam cœperat eſſe intolerandum) apprimè neceſſarium. Convocatis igitur epiſcopis, & aliquot alijs è doctiſſimis regni ſui viris, negotium illis dat nouam tranſlationem edendi, quam & tuto & cum emolumento ſubditi ſui legere valerent. Hoc etiam anno, cum iterùm adhuc placuiſſet pertentare, ſi forte miſſis legatis & adiutante Gallo, aliquid æqui poſſet à Pontifice impetrare, Wiltonienſem Comitem, Stokeſleium electum Londinenſem, & Edwardum Leum Eboracenſem (poſt ſublatum Wolſæum) Archiepiſcopum, in Italiam amandauit. Papam ij Bononiæ cum offendiſſent congreſſurum modo ibidem cum Carolo Cæſare, mandata expoſuerunt, quibus nihil aliud reſponſum à Pontifice, quam Romam ſe reuerſum daturum operam, vt ſecundum iuſtitiæ normam cum Rege agatur. Aliud interim non habere quod ſtatuat. Rex itaque qui blanditijs nihil apud eum profici ſatis cernebat, ad vim conuerſus, publicâ præconis voce per vniuerſum regnum edici curavit ſub magnâ pœnâ, ne quis ſubditorum ſuorum aliquid omnino commercij haberet cum Pontifice Romano; néve aliquid acciperent ab eo aut ad illum mitterent, præſertim pecuniarum, ſiue per Collybum ceu alia quauis ratione, tyrannum eum vocans & prædonem orbis terrarum, bellorum incentorem, & quovis potiùs alio nomine dignum quàm Vicarij CHRISTI, quem titulum ſibi haud bono iure & perperam arrogauit. Menſe hæc Septembri. Paulo deinde poſt, vt potentiam cleri iam valde opulenti retunderet, à quibus non nihil ſibi metuebat propter Pontificis authoritatem hoc modo conculcatam: vires eorum diminuere decreuit pecunia, eos quanta potuit emungendo, vniuerſos itaque ad tribunal citatos eiuſdem noxæ reos faciendos curauit, cuius paulo ante Wolſæum;

1529.

Legatus ad Papam.

Omne cum Pont. Rom. commercium interdicitur.

Clerus 118. millibus lib. mulctatus.

1531. Wolſæum, nempè, quòd Pontificiæ authoritati paruiſſent legatum Wolſæum agnoſcentes, non expectato prius mandato regio. Clerus itaque Cantuarienſis prouinciæ in ſynodo congregatus, pœnam iuxta leges irrogandam pecuniâ redimendam arbitrantes, centum librarum millia Regi pendenda decreuerunt, modo pœnæ prædictæ eximerentur. Ille vero hoc non contentus, eo ampliùs popoſcit, vt Eccleſiæ Anglicanæ ſe caput (ſub CHRISTO) ſupremum declararent authoritati cuicumque exoticæ renuntiantes. Huic etiam poſtulationi (quamuis ægre) conſenſum eſt, ab vtriúſque prouinciæ Clero, & Eboracenſibus imperatum ſuper 840. vt ij 18. librarum millia conficerent. Ita vniuerſo Clero Anglicano minis 118840. (quod facit aureorum Gallicorum millia ferè 400.) hoc vnum peccatum conſtitit, ſi peccatum id dicendum eſt, cum certo ſit certius, diplomate regio poteſtatem Wolſæo factam authoritatem legatinam exercendi.

Rex eccleſiæ Ang. caput declaratur.

ANNO CHRISTI 1531. REG. 23.

DE publicis rebus hoc vnicum habet hic annus memorabile, quod conuocato ſummo regni conſilio (Parlamentum appellamus) lata lege, venia data eſt laicis, quorum plerique omnes, crimini ob quod tam grauiter nuper mulctati ſunt Clerici, obnoxij cenſebantur aut affines. Multis porro diſſeruerunt in eodem cœtu Morus Cancellarius & alij homines facundi, de diplomatis Academiarum in quibus Matrimonium Regis cum Catharina Regina damnatum eſt, prout antea retulimus. Hoc etiam fortaſſis memoratu non eſt indignum, Quod coquus quidam nomine Richardus Roſus, ollam in qua pulmentum coquebatur veneno inficiens, vniuerſam ferè familiam Epiſcopi Roffenſis enecauit, ad numerum nempe 16. virorum. Epiſcopus ipſe (cuius præcipuè caput petebatur) eo forte die præter conſuetudinem pulmento abſtinuit, & ſeruatus eſt. Veneficus lebeti feruentis aquæ impoſitus (ſecundùm pœnam in lege quadam nuper ſancita conſtitutam) pro atrocitate ſceleris haudquaquam punitus videtur.

Veneficus punitur.

ANNO

Digitized by Google

1532

ANNO CHRISTI 1532. REG. 24.

AVGVSTI 23. Gulielmus Warramus Archiepiſcopus Cantuarienſis mortem obijt: Cui defuncto ſubſtitui placuit Thomam Cranmerum in Germania tunc temporis negotia regia procurantem. Eum vero quo minùs clariſſimæ dignitatis faſtigium avidus lætuſque conſcenderet, res duæ retardare videbantur: Iuramentum Romano Pontifici præſtandum nouerat antequam Epiſcopalibus ſacris poſſet initiari, ídque tale, vt ſaluaconſcientia ſuſcipi non poſſe intelligeret. Deinde metuebat valdè iſtud tam abruptum ab authoritate Papali diuortium, quonam eſſet euaſurum, Haud ignarus Regis ingenium violentum, mutationem tàm repentinam periculoſam, aulámque (cui nondum aſſueuerat) fraudibus ac ſimulationibus plenam eſſe: Regiæ voluntati ſibi neceſſario per omnia obſecundandum, & ſicubi titubaret, tantæ fœlicitati nunquam non adeſſe inuidiam, quæ cadentem per prærupta præcipitem agat. His quidni adijciamus quòd vxore iam dudum orbatus, quam adoleſcens duxerat, puellæ cuiuſdam amore irretitus tenebatur, (hæc erat neptis vxoris Oſiandri) quam etiam ſecundo ſibi connubio iungere omnimodo decreuerat, quamvis legibus eccleſiaſticis vetitum non ignoraret, aut ſacerdotem maritum fieri, aut ſacris quenquam initiari qui uxori quamuis defunctæ aliam ſuperduxiſſet. Hæc itaque perpendens ſecum, cum accerſeretur à rege, vt primo quoque tempore domum rediret ad tantam dignitatem ſibi iam paratam capeſſendam nectebat moras; vltra præſtitutum tempus ſex integros menſes in Germania deſidens; euenturum ſperans, vt alius quiſpiam interea eum præſulatum in abſentia ſua præriperet. Sed ea fuerunt tunc tempora, vt nemo eſſet tanti muneris capax, qui lubricitatem loci non horreret: multi in alto collocati ad humiliora deſcendendi copiam ac facultatem vehementer exoptarent. Inter alios namque Thomas Morus Cancellarius Regem precibus aſſiduis obtundere non deſijt, donec abdicandi veniam impetraſſet: quod cum Maij 15. feciſſet, Tho. Audleius eques id munus ſub alio nomine aſſequutus eſt, magni ſigilli cuſtos renuntiatus

G. Warramus Archiepiſcopus Cant. moritur.

Cranmerus non libenter Archiepiſcopatum Cant. ſuſcipit.

Morus ſe Cancellarij munere abdicat.

1532. nuntiatus Iunij 4. ſequenti. Cranmerus vero poſtquam Norimbergæ ducta clanculùm vxore domum reuertiſſet, Regis importunitate omnes difficultates peruincente, Archiepiſcopus Cantuarienſis quantumuis inuitus & renitens factus eſt: Papa etiam per diploma ſuum electionem ratam habente. Nam cum ideo ſe dignitatem oblatam recuſare diceret, quod Pontifici contra ius fáſque Sacramento erat obſtringendus, diploma Pontificium Regi tradidit in manus, nunquam futurum aſſerens, vt ab alio quam ipſo, qui caput eſſet eccleſiæ Anglicanæ, Epiſcopatum Anglicanum acciperet, aut iuſiurandum aliquod authoritati regiæ derogatorium præſtaret. Huic tandem malo iuriſperitórum ingenio remedium hoc inuentum eſt, vt proteſtantione neſcio quâ prævià caueret, ne iuſiurandum huiuſmodi (quod pro more ſuſcipi oportebat) ſibi iuranti quoviſmodo fraudi eſſet. Faſtigium ita Archiepiſcopale Cranmerus conſcendit, tenuítque fœliciter annos plus minus 20. donec rerum potita Maria Regina Catharinæ modo repudiatæ filia ſede illa deturbatum virum innocentiſſimum, grauiſſimum, doctiſſimum, crudelitate inaudita flammis tradidit vſtulandum, quod poſteà DEO volente pluribus narrabitur. Inter regem intereà & Gallum de fœdere adhuc arctiori percutiendo actum eſt, de quo vt tranſigeretur, colloquium placuit haberi. Octobris igitur vndecimo Caletum Rex transfretauit nobilium ingenti turba comitatus. Inde decimo poſt die Boloniam profectus, a Gallo & filijs eius medio in itinere exceptus, & poſt amiciſsimos complexus in Cœnobium Bolonienſe deductus eſt, cuius partem dimidiam vterque tenuit. Totum ibi quatriduum Rex manſit, & diſcedens Gallum (in cuius comitatu præter Regem Nauarrenum aliquot erant Duces & Cardinales, procerum magnus numerus, & cæterorum haud pauciores 1200.) Caletum deduxit, excipiente eos ad Sanioquebertum Duce Richmondano notho Regio, qui Boloniæ cum patre non affuerat. Nullo deinde humanitatis officio prætermiſſo, poſt multos congreſſus, Epulas vtrobíque lautiſsimas ſplendidiſſimáſque & periſcelidis noſtri honorem Nauarreno impertitum (aut vt Gallici ſcriptores tradunt Duci Mommorentio & Chaboto Admirallo) cochleati itidem torquis Norfolcio

Cum Gallo colloquium.

&.

Digitized by Google

& Suthfolco ducibus: ita diſceſſum eſt, vt amicitiam, quam Cæſareæ potentiæ metus iunxerat, & morum vtriúſque principis mira congruentia firmauerat, ſinceri amoris qui aculeos non facilè extrahendos ſacilè infigit indicia plurima ab vtróque prodita indiſſolubilem & cæterorum omnium & ſuâmet ipſorum opinione præſtiterint, prout reuera præſtitiſſent, ſi priuati ij fuiſſent, non Reges, in quorum amicitijs vel conciliandis vel conglutinandis non tàm propriorum affectuum, quàm publicæ vtilitatis ratio pondus habere debet. 1532.
In eo congreſſu decretum eſt in primis de excercitu 80. millium bellatorum communi vtriúſque ſumptu conſcribendo, qui rem gereret aduerſus Turcam (Vngariam tunc temporis devaſtantem) donec mutuo conſenſu eæ copiæ dimitterentur. Hæc palam: ſpecioſo ſcilicet prætextu, cum copias Turcicas domum reuerſas pro certo cognouiſſent. Illud enim verò vnicè reuera petitum eſt à Rege noſtro, vt Gallum erga Pontificem non optimè animatum omnino ab eo alienaret. Grauiſſimam igitur querimoniam primum inſtituit, de iniuria quam ſibi fieri in negotio diuortij contendebat, totos ſex annos dicens in cognitione illius cauſæ abſumptos, & iam tandem poſt varias ludificationes, eo adigere conari, vt aut ipſe relicta regni adminiſtratione, Romam proficiſcatur, aut in re tanti momenti procuratorem conſtituat, qui ſuo nomine (ipſo tàm procul abſente) litem perſequatur iniquiſſima planè ratione, & ſine exemplo iniuriâ, quæque ad ipſum Gallum alioſque adeo omnes principes Chriſtianos pertineret. Conſueuiſſe quippe ſemper alios pontifices in ſimilibus negotijs ad Regum & Magnatum cauſas cognoſcendas Iudices ad ipſorum ditiones mittere. Exactiones deinde intolerandas cōminiſcebatur, quibus Clerum & populum Anglicanum Papa indies expilabat, quibuſque iugum ſemper graue, nemini iam amplius ferendum reddiderat: haud dubitare ſeſe inquiens, quin eadem avaritia etiam in Gallia graſſetur. Quidni igitur expergiſcantur iam tandem principes Chriſtiani & viam ingrediantur à Germanis pulchre commonſtratam, qua tyrannidem hanc excutiant? optare proinde ſeſe vt legatos ambo mitterent ad Papam, qui eum ad totius eccleſiæ concilium quaſi vadimonio denuntiato vocarent, vbi

Digitized by Google

1532. quæ præter ius & ſas per ſummam iniquitatem ipſe miniſtrique ſui perpetrarent, concilij authoritate & iudicio, emendari atque reformari poſſent: vix vllam eſſe gentem Chriſtianam aſſerens, quæ rapinis & expilationibus Romanenſium obuiam itum non cupiat vehementer. His ita Gallus reſpondit, vt & veriſſima dici fateretur, & ſibi tamen haud integrum eſſe oſtenderet quæ peterentur facere, quamuis pro fraterno in Regem amore, & ea qua patriam ſuam complecteretur charitate ad difficillima quæque ſubeunda promptiſſimum ſe profiteretur. Sibi herclè non deeſſe de priuatis ſuis iniurijs conquerendi cauſam, cum & de ſede Apoſtolica ſe ſemper optime meritum recordetur, & de iſto priuatim Papa, multis tamen indicijs exploratum habere, eum parum beneuolo erga ſe animo eſſe: Nam & exiſtimationem ſuam ipſo coram grauiter læſam nuperrime eo conniuente, & miſſo non ita pridem Epiſcopo Verulano ad Heluetios necesſarios ſuos, occultis coitionibus, tum alijs rationibus, nihil non tentaſſe quo fœdus, quod illis ſecum interceſſerat, ſolveretur. Rapinas deinde & extorſiones Pontificiorum in ſua Gallia ſigillatim commemorabat, indeque hæc mala conſequi ſe haud latere dicebat, regnum ſuum pecunia exhauriri, ſubditorum opes (ac Cleri inprimis) extenuari; ſacra ædificia non inſtaurari; egenos, vt æquum eſſet, non ali; & ſibi, ſi quando vſu venerit vt pecuniâ paulo grandiori opus ſit, tributa imperanda multo quidem ſegnius penſitanda eſſe. Sibi nihilominus videri conſultius, antequam ad vim aut minas deſcendatur, leniore aliâ viâ rem aggredi, ad quam occaſionem nuper oblatam habuiſſet: Petijſſe namque non ita pridem Papam per Grammontium Cardinalem, vt Niceæ vel Auenione ſecum congrederetur: vbi ſi quod æquum eſſet vtriúſque nomine non poſſet impetrare, daturum poſteà operam, vt inuitus & nolens adigatur ad ea præſtanda, quæ iuſtis precibus non conceſſiſſet: de Colloquio inter ipſos decretum, neque igitur aliud habere quod in hoc negotio poſſit ſtatuere, donec Pontificem coram, prout conſtitutum erat, conveniſſet. Hæc ille congreſſus huius veram cauſam omnino reticens, quod vereretur, ne eâ regi non probatâ, ab inſtituto curſu is eum reuocare conaretur. Animo cum eſſet erga Cæſarem infenſiſſimo, vt ſibi ſubſidia

dia contra eum vndique conquireret, Papam ſibi conciliare decrevit per affinitatem Catharinæ Vrbini Ducillæ, ipſius Pontificis neptis, quam plus quàm ſemel in matrimonium dari petierat Henrico Aureliano filio ſuo iuniori, qui poſteà regnavit. Papa vero cui ægrè perſuaſum eſt tantum honorem ſibi habitum iri à rege potentiſsimo, conditionem vero libentiſſime acciperet, ut primo quoque tempore res conficeretur inſtitit, & locum tempúſque deſignari, vbi de hâc re inter ipſos coram tranſigeretur, id quod Avenione paulò poſt factum eſt, nuptijs in præſentiâ Galli celebratis, & ipſo Pontifice nuptialia verba nuncupante. 1532. *Cath. Medicis nubit Hen. Aureliano poſtea Galliæ Regi.*

ANNO CHRISTI 1533. REG. 25.

VLTERIORIS moræ pertæſus Rex, Boleniam ſuam iam tandem Ianuarij 25. duxit vxorem, ſed clanculum, & pauciſſimis teſtibus adhibitis. Paulò deinde poſteà publica Regni Comitia ad Weſtmonaſterium habita ſunt, in quibus matrimonium Regis & Catharinæ irritum & inceſtum pronuntiatum eſt, lata lege, ne quis ſub gravi mulcta Romam deinceps quacunque de cauſa provocaret, néve Catharinam aliquis Reginam dicere aut alio nomine quam Walliæ principis compellaret, & Arthuri Relictæ, aut (ut loquimur) Dotariæ. Huiuſce porrò legis vi & authoritate Archiepiſcopus Cantuarienſis Epiſcopis aliquot comitatus Dunſtabliam veniens ſex millia paſſuum ab Antilla diſtantem, vbi Catharina tunc temporis manebat, citandam eam curavit, vt coram ſe (ſummo iam cauſarum eccleſiaſticarum in provincia Cantuarienſi Iudice proximè poſt Regem) compareret, ad reddendam rationem quare coniugium inter Regem & ipſam haud ritè initum non divelleretur protinus & lata ſententia nefarium, impium, inceſtum, adeóque invalidum dijudicaretur. Quibus illa pertinax in propoſito per miniſtrum quendam ſuum reſpondit, coram ſummo Pontifice CHRISTI in terris vicario hanc cauſam indeciſam adhuc pendere, neque Archiepiſcopum decere in alienam meſſem falcem immittere: decretum ſibi Papæ ſolius iudicio ſtare, neque alium Iudicem quemcúmque ſe agnituram. Quindecim propterea dies continuos

Rex Boleniam ducit.

Catharina regina in ordinem redigitur.

1533. nuos vocata, cum non veniret, contumax pronunciata, & in pœnam contumaciæ à Regis thoro conſuetudinéque amovenda decernitur. His ita peractis, Anna, iubente Rege, Regina præconis voce per vniverſum Regnum declarata in Vigilia Paſchatis proceſſit in publicum regijs ornamentis induta: ac in feſto Pentecoſtes ſequenti coronata eſt, pompa qua nulla vnquam Reginarum ſplendidiori. Eius ſingula ut ne recenſeam, hoc nullo modo tacendum puto, quod inter arcus triumphales, qui per vicos Civitatis Londinenſis vbi tranſitura erat magnifice paſſim extructi ſunt, eorum vni (quod mirum videri poſſit) inſcripti traduntur hi verſiculi, à vate hercle haudquaquam vano editi,

Regina Anna, paris Regis de ſanguine natam,
Et paries populis aurea ſecla tuis.

Placentæ quoque i idem loci ſparſæ feruntur inter promiſcuam plebem eodem carmine impreſſæ. Sic Stous antiquitatum noſtrarum ſedulus indagator; ego verò potiùs crediderim poſt partum Reginæ hæc carmina edita. Quandocúnque vero id fuerit, qui mente perpenderit, ſecula illa vere aurea quibus Angliam noſtram beavit huius Reginæ filia per 44. annos reipublicæ Anglicanæ gubernacula tenens, non aliunde quam ex ipſius Apollinis tripode hoc oraculum emanaſſe crediderit. Siquidem eo ipſo tempore gravida quando coronata eſt regina prædicta, vtero geſtavit infantem, quam paucis poſtea menſibus enixa eſt (Septembris videlicet die ſeptimo) Grenovici & ſecundum nomen aviæ paternæ Elizabetham nuncupavit. Hæc fuit Elizabetha illa, quæ extinctis poſtea fratre & ſorore, ſucceſſit in regno, quod ita moderata eſt, vt fieri non poſſit, quin nomen & gloria eius apud omnes poſteros futura ſit multo celeberrima.

Elizabetha Regina naſcitur.

PONTIFEX verò Rom. de his rebus omnibus certior factus, authoritatem lata lege in Anglia ſibi abrogatam, Catharinam modo Reginam in ordinem redactam, Boleniam in Thorum locúmque eius admiſſam pro Regina ſe ferre, Supremi Capitis in eccleſia Anglicana titulum Regem vſurpare, & Archiepiſcopum Cantuarienſem Pontificiã munia cuncta obire, non ut legatum Pontificium, ſed Angliæ primatem, cui ſummam authoritatem eccleſiaſticam per totam ſuam provinciam

ciam competere, proxime poſt Regem contenderet: Etſi prout par erat vehementer commotus, minas & vindictam totus ſpirare videretur: tamen haud ignarus ſua maxime culpa hæc omnia eveniſſe, & metuens vehementer quonam tandem res eſſet evaſura, à Rege Gallorum haud difficulter ſibi perſuaderi paſſus eſt, ut ab excommunicationis fulmine vibrando tantiſper abſtineret, donec cum Rege noſtro re deliberata mitioris fortaſſis remedij via & ratio poſſit excogitari. Miſſo igitur in Angliam Epiſcopo Pariſienſi Bellaio, regem iterum iterúmque monet, hortatur, rogat Gallus, ne ab obſequio ſedis Rom. ſe temere penitúſque divellat; plenum periculo fore dicens huiuſmodi divortium; conſulere proinde ſeſe, ut Romam legatos mittat, qui ſe à reconciliatione haud plane alienum demonſtrent; hoc ſi fecerit, haud eſſe dubium, quin omnia brevi ex animi ſententia tranſigantur. Rex amaſia ſua iam potitus, & de retinendo certus, quanquam tot ludificationibus graviter commotus, eò tamen ab Epiſcopo adductus eſt, ut iugum Rom. denuo recipere non recuſaret, ſi rationem aliquam Pontifex inire non gravaretur, vnde ſibi conſtare poſſit, futurum, ut quod æquum eſſet ab eo poſtea impetraret. Bonam hinc ſpem Pariſienſis concipiens de pace inter eos componenda, Romam protinus proficiſcitur (quanquam tempore Brumali) & quid effecerit Pontifici exponens, arceſſere iubetur legatos, de quorum adventu oportebat regem ad tempus præſtitum miſſo nuntio fidem facere. Id Pariſienſis magna cum diligentia fecit. Cum vero conſtituta dies effluxiſſet, nec tamen veniſſet nuntius prout convenerat: Cardinales in Conſiſtorio coacti ad pœnæ intentatæ irrogationem progredi cœperunt. Properantes rogavit impenſe Pariſienſis, ut ſex adhuc dies præſtolarentur, fieri poſſe dicens, ut adverſis tempeſtatibus vel alio aliquo caſu præter ſpem nuntius impeditus tam citò venire non potuerit: neque vero iniquum eſſe ſex dies Regi prorogari, qui totos ſex annos Curiæ iudicium opperiri non recuſaſſet. His Epiſcopi verbis Cardinalium prudentiſſimi non illibenter aſſentiebantur: Plures vero amplius non expectandum contendebant: tantáque præcipitantia ad ſtringendum terribile excommunicationis telum ferebantur, (Cæſari gratificari cupientes) ut quod tertio Conſiſtorio iure non 1533.

poterat

1533. *Rex excommunicatur à Papâ.*

poterat abſolui, primo ſtatim perficeretur. Vix biduum deinde præterijt, à quo decretũ emanavit, quando aduolauit nuncius, ampliſſima adferens mandata, qualia nimirum poſtulata fuerunt. Qui authores præcipitandi iudicij extiterunt grauiter ea re turbati ſunt, vt habito aliquoties conſiſtorio, reſarcire malum conati fuerint: Verum remedij afferendi nullam unquam rationem inuenire potuerunt. Ita Regi & regno vniuerſo authoritate Pontificia ſacris interdictum eſt, & eius rei diploma Dunkerkam vſque allatum, cum propius ad fines noſtros accedere nuntius non auderet. Eiuſce rei fama cum ad Regem perueniſſet, ille culpam omnem in Catharinam conijciens, miſit illico ad eam Suffolciæ Ducem, qui familiam ipſi diminueret, amandatis procul omnibus de quibus aliqua eſſet ſuſpicio, quaſi eorum opera in prædicto negotio vſa fuiſſet. Reliquis imperatum, vt iuramento confirment, ipſi velut Walliæ Principi, non vt Anglorum Reginæ inſeruituros. Iuramentum hoc recuſantes faceſſere iuſſi, ſuſcipientes deinde cum ipſa repudiaret, miniſtris ferè omnibus orbata & deſtituta aliquandiu remanſit. Hæc ſub finem iſtius anni. Iunij interim die 23. obijt Maria Franciæ Regina Regis ſoror, & in cœnobio quod fuit ad burgum Sancti Edmundi tumulata eſt.

Maria Regis ſoror moritur.

ANNO DOMINI 1534. REGN. 26.

Impoſtura,

ELIZABETHAE cuiuſdam Bartonæ nefaria fraus & impoſtura inaudita ſub hoc tẽpus detecta eſt, & authori brevi poſtea attulit perniciem. In morbum ea forte incidit aliquando, quo non ſolum internè corpus varijs cruciatibus affligebatur, ſed os etiam & alia membra externa adeo mirum in modum diſtorquebantur quoties accederet paroxyſmus, vt ex nulla naturali cauſa id euenire poſſe plurimi arbitrarentur. Accidit verò, conſuetudine iam in naturam (vt dicitur) abeunte, vt ſanitati etiamnum reſtituta, membra prout ægra vi morbi coacta fuerat, ſimiliter diſtorquere docente morbo didicerit. Quo animaduerſo, communicato cum parocho ſuo conſilio, de emolumento hinc ſibi parando ſecum cœpit cogitare, & re inter eos diu multúmque deliberata, placet tandem ex ſacerdotis

Digitized by Google

cerdotis ſententia, ecſtaticam ſe crebro fingere: cumque ſenſibus orbata huc vſque quaſi mortua ſolita fuiſſet iacere, paroxyſmo eam occupante: nunc ſanctas neſcio quas voces interdum emittere, in nequitiam eorum temporum inuehi, in hæreticos præſertim & nouorum dogmatum authores neſcio quas eiaculari inſtitit, & mirabiles poſtea viſiones enarrare, ſibi, quo tempore ecſtatica iaceret, à Deo ipſo reuelatas. His artibus non ſolum apud imperitum vulgus (qui ſanctam virginem Cantianam appellabat) ſed apud prudentiores nonnullos, vti Warramum Cantuarienſem Archiepiſcopum, & Fiſherum Roffenſem, alioſque ob ſanctitatis opinionem magnam celebritatem conſequuta eſt. Vt ſucceſſibus facta audacior, diem edixerit in quo ſanitati perfectæ ſe reſtituendam declarauit, modo ad ſtatuam quandam Virginis matris in certo loco ſitam, peregrinationem tunc temporis ſuſciperet. Die igitur prædicto adueniente, eò adducta, ſolitis præſtigijs magnam vim mortalium ibi congregatam ludificauit, ac tandem, velut tum primum morbo excuſſo, ſe ſanam omnibus derepente exhibuit: mandatum à Deo ſe accepiſſe dicens, vt monialis fieret, & Bockingum quendam Monachum Cantuarienſem Theologiæque Doctorem tum præſentem ſibi aſciſceret in confeſſorem, quod munus ille perlibenter ſuſcepit; eoque prætextu cum illa Monialis Cantuariæ degeret, ſæpe ad eam poſtea commeabat, non ſine ſtupri ſuſpicione. Iam vero cum ſacerdotalis ordinis multos metus inceſſeret, ne ſi repudiata Catharina & Bolenia ducta, Regi à Papa neceſſario deſciſcendum eſſet, magno eccleſiæ & eccleſiaſticorum periculo: conſilium cepit ſatis ſtultum Bockingus iſte, fecitque eiuſdem participes aliquot alios, Bartonæ perſuadens, vt minis illa Regem perterrefaceret, ne in cœpto curriculo perſeuerare vellet. Mulier proinde (prout edocta fuerat) apud omnes edicit futurum, vt Rex, ſi non peſſima morte interiret, at regno haud dubie excideret, ante vnum menſem, poſtquam Catharinæ viuenti aliam ſuperduxiſſet. Quibus regi enuntiatis, comprehendi iuſſit præſtigiatricem, & cum habita quæſtione, de ſocijs reſciuiſſet qui participes fuiſſent conſilij; ergaſtulis omnes concludi iuſſit, donec in comitijs vicinis ex ordinum ſententia, de illis poſſet ſtatuere. 1534

1534. Ij autem in Parliamento congregati, ad mortem omnes damnaverunt, Bartonam videlicet & Bockingum, Maſterum,(parochum de quo diximus) Deringum & Riſbæum monachos, ac Goldum ſacerdotem. Roffenſis deinde ac Adeſonus ſacellanus eius, Ablius ſacerdos quidam, Laurentius Archidiaconi Cantuarienſis ſcriba, & Thomas Goldus laicus nobilis, quòd multa inaudiviſſent, vnde ſuſpicari poterant quorſum hæc coniuratorum conſilia tenderent, nec tamen detuliſſent ad Magiſtratum, affines delicti iudicantur, bonis omnibus mulctantur, & perpetuis carceribus mancipantur. Bartona autem & ſocij, cum totius impoſturæ ordinem ad crucem Paulinam coram populo ad concionem ſacram congregato confeſſione ſua ſinguli iam antea declaraſſent, 20. die Aprilis in patibulo ſuſpenſi & ſtrangulati, capita verò cadaueribus amputata, ad portas Ciuitatis(pro more apud nos in grauioribus criminibus vſitato) ſuſpenſa ſunt. In prædicto porro Parliamento decretum eſt, de abroganda ſynodi authoritate in Canonibus eccleſiaſticis condendis, niſi quatenus Rex eos ratos habuiſſet. Sancitum etiam vt Epiſcopatibus vacantibus ipſe nouos Epiſcopos præficeret, neve quenquam aut eligi per capitulum, aut conſecrari per Archiepiſcopum iam poſtea fas eſſet, quem Rex ſuis literis ad id muneris anteà non deſignaſſet. Cumque multi quererentur ſublatum nunc omne remedium leniendi rigorem iuris eccleſiaſtici per diſpenſationes, poſtquam omne cum Papa commercium interdictum eſt: Archiepiſcopo Cantuarienſi conceſſa eſt facultas ea perficiendi, quæ Papa iure olim potuiſſet, modo in grauioribus cauſis regius accederet conſenſus: Conſtitutum etiam vt provocationes ab Archiepiſcopo ad Papam fieri conſuetæ, iam ad Regem transferrentur, cui liceret, per iudices à ſe delegatos, omnes huiuſcemodi lites ac controuerſias terminare. Poſtremo lex adijcitur, qua matrimonium Regis cum Catharina initum inceſtum denuò pronuntiatur, regni ſucceſsio ſoboli ex Anna natæ aut naſcituræ adiudicatur, & ſimul imperatum, vt omnes adulti per vniuerſum regnum ſacramento confirment, ſe huiuſce legis decreto obtemperatûros: qui aliter feciſſent, cunctarum rerum ſuarum iactura & perpetui carceris pœna delictum luere eos oportebat. In vniuerſo regno duo duntaxat inventi

Canones non condendi niſi aſſentiente Rege.

Epiſcopi à rege ſolo legendi.

Archiepiſcopo Cant. authoritas Papalis ſub rege.

inventi ſunt qui legi prædictæ auderent refragari: Fiſherus Roffenſis Epiſcopus, & Morus regni modo Cancellarius, viri herclè egregiè docti, ſed ſectæ Pontificiæ peruicaciſsimi defenſores. Qui cum nullâ ratione ſibi perſuaderi ſinerent, vt huiuſmodi ſanctioni conſentirent, acti ſunt in carcerem, vbi integrum annum permanſerunt, donec tandem vltimo ſupplicio affecti ſunt. Ac iſta poſtquam ita ordinata fuêre, veritus Rex, ne religionis potiùs quam tyrannidis Pontificiæ pertæſus, à Papa deſciuiſſe videretur, vt ſe ab omni ſuſpicione vindicaret, Luthero aut nouorum dogmatum authoribus fauendi, ſæuire cœpit in id genus hominum quod hæreticos vulgus appellabat, & ignibus cremandos dedit, non ſolum Batavos quoſdam Anabaptiſtas, ſed etiam vera pietate inſignes aliquot viros, ac inter reliquos Iohannem Frithum iuvenem doctiſſimum pariter & innocentiſſimum, qui vna cum adoleſcente quodam (Hewetto nomen erat) ignis cruciatus conſtantiſſimè pertulerunt, Londini exuſti Iulij 22. Sub finem iſtius anni Septembris nempe 25. exceſſit è viuis Clemens VII. Pont. Rom. cui poſt paucos dies ſucceſſit Alexander Farneſius, Paulus tertius nuncupatus, qui nihil prius habuit aut antiquius, quam Henricum Regem, coacto Cardinalium cœtu, regio titulo & omni dignitate privatum in ordinem redigendum pronuntiare, geminato etiam excommunicationis fulmine, quod antea Clemens inclementer ſatis vibraverat. Verum id fortaſſis anno inſequenti poſt Fiſheri nimirum & Mori ſupplicium. Menſe interim Novembri Comitia Parliamentaria iterum habita ſunt, in quibus (quod nuper in ſynodo decretum fuerat) lata lege ſancitum, eccleſiæ Anglicanæ caput ſupremum Regem dicendum, & omnium criminum coercitio ad ipſum delata quæ ad fori eccleſiaſtici cognitionem ſpectare ſolebant, ſic vt, qui dimidiatus princeps huc vſque extiterat, diuiſa inter ipſum & Pont. Rom. authoritate, legitimum imperium, & ſolidam integramque poteſtatem iam primùm nactus, nunc demum regnare videretur. Regi etiam tunc temporis conceſſæ cunctarum promotionum eccleſiaſticarum primitiæ: hoc eſt, vt epiſcopatus vel ſacerdotij nuper adepti fructus omnes qui toto inſequenti anno colligerentur, fiſco regio addicerentur: aut ſaltem

1534.

Fiſherus & Morus in carcerem. Perſecutio.

Clemens Papa moritur.

Primitiæ regi à clero conceſſæ.

1534. (quod eodem recidit) annui fructus dimidium per totum deinde biennium. Denique cum Walli veterum Britannorum vera progenies, à nobis (qui partim à Normannis, plerique vero à Saxonibus genus ducimus) vt lingua, ſic etiam politia plurimum diſcreparent: horum Comitiorum authoritate, in Reipub. noſtræ gremium recepti ſunt, vt iam inde ab eo tempore, in vnum idemque corpus coaluerimus, vtriuſque gentis, ac illorum præcipue magno bono. Poſt multa diuturna grauiſſimaque bella, ab Edw. primo primùm ſubacti (gens libertatis retinentiſſima) in officio difficillimè contineri potuerunt. Inde euenit, vt vel aſperè habiti, propter noſtras ſuſpiciones, vel bella ſeditionéſque moliti (ad libertatem quippe aſpirantes) per annos totos ducentos, aut miſera preſsi ſeruitute, aut militiæ laboribus exerciti, vera ſolidaque pace nunquam quieverint. Ad regni tandem gubernacula poſtquam acceſsit Henricus VII. qui & in Wallia natus, & ortu paterno Wallus erat; illi, (quaſi iam libertatem adepti) legitimo principi libentiſsime paruerunt, & à nobis, (abiectis ſuſpicionibus) eodem iure cum cæteris ciuibus habiti ſunt, vt hac coniunctione nihil vtrique genti aut gratius aut vtilius potuerit excogitari. De Scotia in vnam eandemque compagem nobiſcum vnita, vnam aliquando ſimiliter liceat gratulari, vt ſicuti in vna degimus Inſula, ſub vno eodemque principe eandem fidem profeſsi, eadem lingua, eodem idiomate vtimur: ita in vnam plane gentem vnumque corpus coaleſcentes, Britannos nos tandem æque hos ac illos agnoſcamus, & veram patriam Britanniam, vnde per noſtra diſsidia eiecti ſumus omnes, Angliam alij, alij Scotiam, Walliam itidem alij incolentes, iam tandem poſt tot annorum centenarios tanquam poſtliminio repetamus.

Wallia Anglia vnita.

ANNO CHRISTI 1535. REG. 27.

NOVVM nupérque initum cum Bolenia coniugium immenſa pecunia Regi conſtitiſſe, nemini dubium eſſe poteſt, qui quæ ſupra ſcripta ſunt perpenderit. Fiſco igitur penitùs exhauſto, & frementibus circumquaque hinc Pontifice, inde

Cœnobia minora euertuntur.

Digitized by Google

inde Cæſare, nec vero domi rebus ita pacatis, ut metus non eſſet à Papiſticarum fæcium defenſoribus, turbas & ſeditionem vbíque cientibus: Cepit conſilium Rex, periculoſum fortè, ſed (ut tunc fuerunt tempora) neceſſarium, vniverſa per totam Angliam cœnobia demoliendi: ut eorum opibus præſentem prementémque inopiam ſublevaret, ac partem prædæ ex ijs collectæ proceribus ſuis dividendo, à ſecta Pontificia penitùs eos diuelleret, quibus nempe cum eccleſia Romana reconciliatis, acceptam prædam denuo reddendam prævidebat. Hunc igitur in finem, qui cauſam Pontificiam ferociùs propugnabant & conatibus Regijs pervicaciùs obſtituri credebantur, perduelluonis rei peraguntur, & Regem eccleſiæ Anglicanæ ſub CHRISTO ſupremum caput cognoſcere detrectantes, in crucem paſſim aguntur. Maij quarto, hanc neque aliam ob cauſam ad patibulum ſuſpenſi ſunt 3. cœnobiorum præfecti, Iohannes Hougthonus Carthuſianorum Londinenſium, Auguſtinus Webſterus Bevalenſis, & Thomas Laurentius Examiæ Priores, ſimúlque cum illis, Richardus Reginaldus Monachus & Theologiæ Doctor, ac Iohannes Hailus Thiſtelurſthenſis Vicarius. Decimo deinde octavo Iunij Exmæus, Maddelmorus, Nudigatus, Monachi tres Carthuſiani, eandem ob cauſam conſimilem pœnam ſubierunt. Quatriduóque poſteà Iohannes Fisherus Epiſcopus Roffenſis (propter inſignem eruditionem & vitæ ſanctimoniam in magna apud plebem habitus veneratione) ſecuri publicè percuſſus eſt, & caput conto affixum, ſupra Pontem Londinenſem collocatum. De tanto viro, & (quod in noſtris hiſtorijs rarum) Antiſtite ſacrato, ſupplicium ſumendi, occaſionem dediſſe viſus eſt Papa: qui vt incarcerationis nunc annuæ moleſtias honoris novi acceſſione ſolaretur, Cardinalem Maij 21. hominem creavit: quod ſemel ac auditum eſt, accelerandi ſupplicij cauſa extitit. Sexto demum Iulij Thomas Morus pertinaciæ Fisherianæ conſors, pœnam luit eandem capite truncatus. Hic fuit ille Morus, cuius Eutopia & alia plurima opuſcula tam Latina quam vernaculâ linguâ conſcripta, notiorem reddiderunt eruditionem eius, quam ut à me opus ſit prædicari. De moribus etiam qui ſeveriſſime iudicavit, dicacitatem ſolum repræhendunt, tanquam ad ſales & facetias (ne dicam ſcommata) promptiorem,

1535.

Pontificij ſuſpenduntur.

Cœnobiorum præfecti.

Fisherus Roffenſis Epiſcopus obtruncatur.

Cardinalis intempeſtivè factus.

T. Morus ſecuri percuſſus.

1535. quàm tanti viri gravitatem deceret, quibus nempe in ipſa quidem calamitate, & mortis articulo vix aut ne vix abſtinuit. Siquidem carceris cuſtodi ſummum corporis indumentum tanquam ex conſuetudine ſibi debitum depoſcenti, pileum tradidit. Tonſori pro opere navato iam damnatus nihil à ſe deberi contendit, Regis illud eſſe caput dicens quod raſerat: vt ſui iuris eſſe probaverit, ampliſſimam mercedem relaturum. Pegma ſive locum ſupplicij conſcenſurus, manum præcedenti cuidam porrexit, & aſcendentem (inquit) adiuves quæſo, ad deſcenſum quod attinet, non ſum ſollicitus. Cervicem vero iam iam cedendam poſtquam ſupra ſtipitem ſubiectam protenderat, barbam (quam prolixam alebat) manu amovit, capitis non item barbæ amputandæ poteſtatem carnifici factam renidenti vultu profeſſus. In Reginam hæ cædes magnam invidiam concitarunt, tanquam illa ſtimulante editæ, quod ab omnibus credi Pontificij cupiebant: non ignari, illius multum intereſſe, & hoc ipſum igitur omnibus nervis eam eniti, ut Romani Pontificis authoritas contempta & conculcata in Angliâ iaceret. Illi proinde nihil magis cupientes, quam fœminæ tam egregiè piæ interitum videre, inſontis evertendæ anſam & occaſionem paulò poſteà oblatam avidè arripuerunt. Interim verò qui cœnobia ſuſceperant demolienda, arietem excogitarunt ad ea oppugnanda his ſupplicijs multo validiorem. Emittere viſum homines ſubdolos, qui per univerſam vbique Angliam in vitam & mores monachorum regia fulciti authoritate inquirerent. Immane quantum flagitiorum in hoc ferarum latibulo repertum à Cromwello & cæteris quibus id negotij demandatum eſt. Pauci feruntur inventi tam immunes à ſcelere, ut oppugnantium conſilijs reniti auſi fuerint: & nonnullorum propalata turpitudo univerſum ordinem exoſum adeo apud vulgus reddidit, ut magnum facinus nunquam patratum arbitrer leviori molimine, quàm hoc cœnobiorum noſtrorum excidium, de quo poſteà.

Morientis facetia.

In Monaſticorum vitam inquirit.

ANNO

ANNO CHRISTI 1536. REGN. 28.

SVB anni huius initium, mœrore iam dudum contabeſcens, in morbum inciditlethalem Catharina nuper Regina, quo Ianuarij die octavo deceſſit, & apud Burgum Sancti Petri honorificè tumulata eſt. Læta haud dubiè & exultante Bolenia, ereptam thori æmulam: cuius tamen mors (ut credibile eſt) ipſi paulò poſt fuit exitioſa. Mam cum in ipſis Calendis Maij, haſtis concurrentes ſpectaret Rex Rochfordium fratrem Reginæ, Norriſium & alios: è loco ſubito deſcedens, eadem ipſa nocte multis mirantibus, Grenovico ubi tum degebat, profectus eſt Londinum, & comprehendi protinus iuſſit prædictos Rochfordium, Norriſium, & ſimul ipſam Reginam, cum alijs nonnullis, ac in carcerem omnes conijciendos. Quodnam illis crimen fuerit intentatum pro certo non habeo compertum. Si Pontificios perconteris, reſpondebunt opinor, quod etiam editis palam libellis perſcripſerunt, veritam mulierem ne Elizabetha filia vivente adhuc Catharina ſuſcepta, ſpuria cenſenda eſſet, ac cupiditate proinde novæ prolis accenſam præſertim maſculæ, (quam ex Regis fere quinquagenarij concubitu deſperabat) aulicorum quorundam iuvenum expetijſſe amplexus, neque his contentam, proprio fratri inceſta copula coniunctam. Iſta quibus authoribus dicant ipſi viderint: publicæ profecto tabulæ nihil tale loquuntur, ut invidiæ Papiſticæ hæc tela eſſe, non veritatis præconia meritò poſſimus ſuſpicari. Quodcunque vero crimen fuerit obiectum, certum eſt, ipſam cum carceris fores ingrederetur, à Duce Norfolciæ deductam, vna cum Audleo Cancellario, Cromwello Secretario & Kingſtono arcis, ſive ut loquimur, turris Londinenſis præfecto, in genua prolapſam omnibus diris ſe devoviſſe, ni inſons foret, & DEVM comprecatam, ut miſeræ in hac calamitate ita ſuccurreret, prout à ſcelere de quo accuſaretur immunis eſſet. Maij 15. rea peragitur in aula arcis prædictæ, ſummo iudice conſtituto Norfolciæ Duce, cui pro more gentis noſtræ adiungi oportebat certus numerus (ad minimum 12.) honeſtorum virorum, eiuſdem quatenus id fieri poterat cum reâ conditionis. Illorum tum erat teſtes audire, & an probatum

Catharina regina moritur.

Bolenia cum fratre & aliis incarceratur.

Ob quod crimen.

1536. tum eſſet crimen obiectum vnanimi aſſenſu pronuntiare. Neque enim licet apud nos iudicibus huiuſmodi conſtitutis è loco diſcedere, aut alimenti quippiam deguſtare, priuſquam in vnam eandemque ſententiam omnes & ſinguli pedibus iverint. Erant præter Norfolcium 26. è ſummis regni proceribus, atque inter eos ipſius Reginæ pater, qui cauſam eius dijudicarent. Hanc vero ipſam ſolam agere oportebat, cum æquum nos haud cenſeamus aduocatorum opera ad velanda crimina abuti. Poſtquam accuſatores peroraſſent, & teſtes in medium adducti auditi eſſent: Ipſa in ſedili collocata,(ſiue hoc infirmitati indultum, ſiue honori conceſſum coniugis Regiæ haud comperi) ad ſingula obiecta ita reſpondit (mulier ingenioſiſſima & egregiè facunda) vt abſoluendam

Damnatur. protinus omnes præſentes exiſtimarent. Iudices nihilo ſecius(quorum præcipuus erat Dux Suffolcius Regis ſororius & regiæ voluntati in omnibus obſecundare ſolitus) ſontem lata ſententia pronuntiarunt. Tum Norfolcius (cui aliter iam facere non licuit) ad mortem ream damnavit, & vel flammis in area arcis cremandam, vel capite truncandam, prout Regi

Frater etiam cum alijs. viſum eſſet, edixit. Georgius Bolenius frater (Vicecomes Rochfordius ſiue Rupefortius appellatus) nihilo meliore fortuna vſus, morti quoque adiudicatur eodem die,& paulo poſtea Henricus Norriſius, Gulielmus Briertonus, atq; Frãciſcus Weſtonus regij cubiculi Miniſtri, necnon Marcus Smetonus Muſicus, qui omnes eiuſdẽ cum Regina criminis, ſiue participes, ſiue cõſcij cenſebantur.

Norriſius. Erat Norriſius Regi iam antea percarus,& indoluiſſe viſum non leviter ferunt, quod de eo ſupplicium ſumere cogeretur: miſiſſe proinde qui clementiam Regiam ad ignoſcendum propenſam iudicarent, modo crimen cuius arguebatur ingenue confiteri vellet: eum vero reſpondiſſe generoſe ac vt fortiſsimorum heroum auum deceret: Reginam à ſcelere intentato prorſus immunem ſe plane credere, quod vt aliter ſit, non tamen habere ſe cuius illam incuſet: Neque igitur in animum inducere poſſe vt innocenti falſum crimen impingat, etiamſi mille mortes ſubeundæ forent. Quo nuncio accepto, exclamaſſe illicò Regem dicunt, ſuſpendatur igitur, ſuſpendatur: quod tamen factum non eſt. Nam 13. Maij biduo poſt damnationem, ad locum Towerhill. appellatum

omnes

Digitized by Google

omnes deducti, Rochfordius inquam, Norriſius, Briertonus, *1536.*
Smetonus, & Weſtonus) ſecuri ibidem publicè percuſſi ſunt. Filium habuit iſte Norriſius Henricum, quem Elizabetha Regina ad Baronis dignitatem euexit. Norriſium dico illum qui Gulielmum genuit, Ioannem, Thomam, ac Edwardum, fortitudine & militari ſcientia clariſſimos viros, quique per Angliam, Galliam, Belgiam & Hiberniam hac noſtra ætate ſummi duces floruerunt. Maij 19. ipſa Regina ad locum ſupplicio deſtinatum deducta eſt, in aream nimirum arcis, admiſſo certo ciuium & nobilium numero, qui mortis eius teſtes potius quàm ſpectatores viderentur. Eo quam primum acceſsit, ad populum præſentem conuerſa, hac oratione totidem fere verbis vſa fertur. Amici ac Chriſtiani populares, non aliam aduentus mei cauſam habeo, quam vt hic loci coram vobis mortem oppetam, ad quam iuxta leges me damnatam agnoſco, non loquor equidem quam iuſtè, neque enim in animo habeo quenquam accuſare. Regem, DEVM Opt. Max. obſecro vt diu vobis ſeruet incolumem: quo nimirum mitior aut clementior nunquam quiſquam regnauit vſquam, ac mihi præſertim benigniſſimum ſemper clementiſſimumque Dominum extitiſſe confiteor. Si cuiquam cordi ſit in res meas inquirere, vt candide iudicare velit peto, nec temere ad duriorem partem inclinare. Et ſic mundo ſimul ac vobis omnibus valedico, impenſe rogans, vt precibus veſtris apud DEVM me commendatam habere velitis. Summe DEVS miſerere mei: Tibi Domine hanc animulam commendo. Ita in genua procumbens, hæc verba ſæpius ingeminauit, Animæ meæ CHRISTVS miſereatur, animam Dominus Ieſus recipiat, donec Carnifex qui ad id Caleto accerſitus fuerat, gladio ceruicem penetrauit, cum moris ſit noſtri, ſecuri capite mulctandos non gladio ferire. Si quis Vates extitiſſet qui prædixiſſet ante triennium hoc Reginæ fatum, tum nimirum cum Rex Boleniæ ſuæ potiundæ cupidine totus flagrans, amicos, rem, ſalutem vnicamque filiam nihili duceret præ iſtius Puellæ tantopere concupitæ amore: nequidquam prorſus dici aut excogitari poſſe incredibilius homines putaſſent. Nam vt illa tanquam è puluere ſuſcitata & tantis honoribus à Rege cumulata in animum inducere potuerit in-

In Reginam gladio animadvertitur.

Digitized by Google

1536. gratitudine inauditâ thorum eius flagitio tam fœdo commaculare, cordato cuiquam ne per ſomnum quidem viſum fuiſſe probabile. Exteris certe principibus tàm procul abſuit vt perſuaderi potuerit, commeruiſſe eam hanc pœnam, magnopere ſibi diſplicere facinus tam crudele nunquam vt diſſimularint. Germani in primis propter defenſionem Religionis reformatæ confœderati, cum poſt multa cum Foxo Herefordenſi Epiſcopo & alijs deinde legatis colloquia, de Rege in caput ſui fœderis aſciſcendo decreuiſſent, ac Ioannem Sturmium ciuitatum ſuarum legatum ad id deſignaſſent, qui & inſignes illos Theologos Melanchthonem ac Bucerum vnà cum Georgio quodam Dracone in Angliam adduceret, ea de re deque eccleſiæ noſtræ reformatione acturos, audita Reginæ tam indigna vt putabant nece, Regem vt leuem & crudelem hominem auerſati, omnem eiuſce rei cogitationem abiecerunt. Ac illi quidem quàm rectè in hac re iudicarint, haud mihi tantum ſumo vt pronuntiem. Enimvero ipſe quid ſentiam, vt paucis aperiam, Duæ certe res ſunt quæ cauſam Reginæ mecum validè egerunt, ne dicam euicerunt. DEVS, poſtquam filiæ illius Elizabethæ regium contulit diadema, quo tam multos annos tanta cum fœlicitate & gloria frueretur, calamitatem matris iniuſtam filiæ rebus ſecundis quidni penſatam eum voluiſſe cenſeamus? Deinde, qui Regem, priore vixdum ſepulta vxore, adhuc quaſi à cæde calente, altero nimirum poſt mortem eius die, aliam ducentem conſpexerunt, mecum hercle non ſentiunt, ſi non exiſtimant, illius ſatietatem eum cœpiſſe, imo vero & faſtidium, huiuſque potiundæ cupiditate accenſum, Papiſtarum calumnijs apertiores habuiſſe aures quàm æquum iudicem, ne dicam maritum vxoris amantem decuiſſet. At enim mirabile mihi videtur, tantum apud Regem valuiſſe, vxoris aut vnius delictum, aut alterius blanditias, vt filiam Elizabetham abijceret, quam in Comitijs Parliamentarijs hoc anno conuocatis, ſpuriam declarandam curauit, matrimonium etiam cum vtraque vxore prius initum tàm Anna videlicet quàm Catharina, vitioſum & inualidum pronuntiatum, ac Regnum in Seimeria poſteris perpetuo firmandum decernitur, aut ſi liberorum nihil ex illa ſuſceptum eſſet, teſtamento ſuo ad quem ſib

Elizabetha pr. abdicatio.

ſibi libuerit, illud transferendi ius & authoritas Regi conceſſa eſt. Nouæ coniugis nomen Iana Seimeria, quæ Ioannis fuit Seimerij equitis aurati filia. Viceſimo Maij nuptiæ celebratæ, & ad feſtum Pentecoſtes quod inſequutum eſt, nimirum Maij 29. ornamentis regijs induta, Regina ea publicè declarata eſt: Vt Regia Anglicana, quaſi Theatrum quoddam, vbi nihil crebrius quam variantis fortunæ vices repræſentari ſolent, infra vnius eiuſdémque menſis ſpatium, florentem viderit Boleniam, accuſatam, damnatam, occiſam, & aliam in thorum, locum & honorem eius inductam. Nam huius Maij primo delata videtur, in craſtino incarcerata, 15. damnata, 17. fratre & amicis orbata, ac 19. obtruncata. Viceſimo deinde Seimeria ducta eſt à Rege in matrimonium, & 29. omnibus pro Reginâ (vti diximus) publice eſt oſtentata. Inſontis Boleniæ mortem altero vix dum elapſo menſe puniſſe viſus eſt DEVS. Erat Regi filius vnicus, ſed nothus, ab Elizabetha Blunta ſuſceptus, quem non ita pridem Richmondiæ Somerſetiæque Ducem creauerat. Hunc, egregiæ & formæ & indolis adoleſcentem, vt non ſine cauſa magnopere eum dilexerit, immatura morte raptum amiſit Iulij viceſimo ſecundo, & longo poſt tempore luxit. Nono interim Iulij Bathoniæ comitem creauit Ioannem Bourchierum Baronem Fitzwarinum, cui in eo honore poſtea ſucceſſit Ioannes Filius, qui Ioannem genuit ante patrem defunctum, è quo natus eſt Gulielmus Bathoniæ modernus Comes qui nunc floret. Eodem porro tempore Thomas Cromwellus, qui fabri ferrarij pauperculi filius, exiguis doctrinæ ornamentis, ſola ingenij & rerum gerendarum dexteritate commendatus, primam in famulitio Wolſæi Cardinalis claritatem adeptus fuerat, Baro Cromwellus renuntiatus, & multis muneribus honeſtatus quibus & honorem & rem affatim conſequutus eſt. Primum nempe, rotulorum præfectus, deinde, abdicante Wiltoniæ Comite Boleniæ Patre, priuati ſigilli cuſtos factus eſt: Secretarius poſtea ſummus, & circa hæc ipſa tempora nouo ac inaudito hactenus titulo regis in Eccleſiaſticis Vicarius generalis. Nam cum eiecto Papa, multa quotidie occurrerent negotia quæ nemo poſſet expedire ſine conſenſu regio; occupationum tantæ moli Rex ſolus impar, vniuerſam hanc

1536

Ianam Seimeriam Rex ducit vxorem.

Dux Somerſetenſis nothus regis filius moritur.

Bourchierus Bathoniæ Comes.

Cromwellus Baro.

Alij eius honores.

Digitized by Google

1536. [a]uthoritatem ſibi ab ordinibus in Parliamento delatam, in Cromwellum contulit, non tam quod hominem laicum ad id muneris aptiorem quàm eccleſiaſticum exiſtimarit, ſed quod multa illius officij prætextu & authoritate exequenda ſtatuerit, quæ noſtri ordinis nemo (vt credi par eſt) niſi inuitus & languidè præſtitiſſet. Synodo igitur hoc anno coactæ tanquam præſes interfuit, deformi ſatis ſpectaculo, indocto laico cœtui præſidente ſacratorum antiſtitum, omnium quos ante hæc tempora Anglia vnquam habuiſſet doctiſſimorum: Id enim ad magnam Regis Henrici laudem pertinet, quod non temere quenquam niſi eruditiſſimum eccleſiæ gubernaculo admouerit. Cæterum illius Synodi authoritate, libellus editus eſt, in quo, cum multa doctrinæ capita proponerentur populo diligenter à parochis exponenda, trium tantum Sacramentorum mentio facta eſt, Baptiſmi, Euchariſtiæ, ac Pœnitentiæ: Dies quoque feſti nonnulli abrogati ſunt, & alia ad religionem diſciplinamque eccleſiaſticam ſpectantia nonnihil immutata, magna multorum offenſione, qui vetera rectis præponebant. Accidit eodem quoque tempore vt in Parliamento 4. Februarij inchoato, lata lege, omnia totius regni monaſteria quæ fructus annuos non colligerent 200. librarum pretio exiſtimandas, hoc eſt aureorum Gallicorum 660. Regis permitterentur arbitrio, qui dirutis protinus ædificijs, (cœnobiorum nempe talium 376) fundos ad ea pertinentes inuaſit, valentes annuatim 32. millia librarum, aureos videlicet plus quam centies millenos, & ex ſupellectile eorum ſub haſta vendita, quamuis pretio viliſſimo coempta, (quippe plurimis religio erat res eccleſiæ dicatas licitari) librarum noſtratium ſupra centum millia, aureorum vltra trecenties mille collecta ſunt. Hæc vulgo ſuapte natura parum grata erant. Eccleſiæ bona ſinguli norant à ſe haudquaquam aliena: nam quanquam eorum multi monachi cùm non eſſent, aut Monachorum affines, parum aut nihil commodi ex rebus his eccleſiaſticis perciperent; latere tamen eos nequiuit, fieri poſſe aliquando, vt ipſorum aut liberi, aut amici, aut affines, loca conſequerentur modernorum poſſeſſorum, cum ex fiſco adiudicatis, nihil vnquam commodi ad ſe peruenturum poſſent ſperare. Sed his omnibus

Reformationis initia.

Monaſteria minora euertuntur.

bus validiùs permouit plebem, tam multorum hominum miſeratio, qui ad numerum 10. millium, fortunis ex improuiſo eiecti, nouas ſedes quærere cogebantur. Iſta igitur ex ſe odioſa ſatis, ſeditioſi aliquot in circulis exaggerabant, initia hæc dicentes grauiorum malorum, periculum adhuc factum patientiæ ſuæ, frutices tantum & dumeta hactenus exciſa, excelſa breui robora ruitura, niſi de remedio tempeſtiuè prouiſum eſſet. Talia cum in angulis vbiq; muſſitarent; Cromwellus, quem Vicarium regis diximus in eccleſiaſticis conſtitutum, ſanctiones quaſdam emiſit menſe Septembri, in quibus præter alia multa, parochis omnibus in mandatis datum eſt, vt ſymbolum Apoſtolicum, orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, & Decalogum in vernaculam Anglicanam conuerſos, parochianis ſuis diligenter ac memoriter ediſcendos proponerent: Id quod ſponte ſua inſanientes ita inſtigauit, vt quam primum occaſio oblata eſt, anſam arripuerint in tumultum ſeditionemque proruendi. Nam conuocata forte plebe ſub initium Octobris in certo quodam loco agri Lincolnineſis, vt de cenſu ſiue ſubſidio regi exhibendo ageretur: Vniuerſi quaſi œſtro neſcio quo perciti, arma derepente ſumpſerunt (ad 20. millia hominum) nobiles quoſdam ſibi Duces præponentes, quos vel inuitos in verba ſua iurare coegerunt. Nam id ſi qui facere detrectarent, carceri incluſis extrema quæque minitabantur, & morte interdum mulctabant: ſacerdoti nempe cuidam Epiſcopi Lincolnienſis Cancellario, (præter alios forte nonnullos) caput amputarunt. De his tumultibus vt primum Rex reſciuit, emiſit ad eos (ſeditioſos inquam) ſiue pacandos ſiue debellandos magnas copias, quibus Suffolciæ Ducem, Comitéſque Salopienſem & Cantianum præfecit. Ad primum exercitus aduentantis rumorem ſeditioſis iſtis concidit animus, vt mitterent illico qui factum Regi excuſarent, dicentes, ad ſalutẽ Regis & Regni tendere quicquid moliti fuiſſent: cõſultoribus vſum prauis, multa cum nuper in Regni & eccleſiæ ſtatu contra morem maiorum immutaſſe: Monaſteria plurima eiectis poſſeſſoribus euertiſſe, vbi nimirum inopes & egeni refici quotidiè ſolebant, & DEVS à pijs hominibus coli: feſta ſanctorum ante multa ſecula inſti-

1536.

Seditio in agro Lincolnienſi.

Digitized by Google

1536. tuta, illius mandato profanari: dogmata nova ac à fide Catholica abhorrentia pro concione populo vbique obtrudi: cogi denique provecta ætate ſenes & deliras anus, ut ediſcendis preculis operam dent, quibus Chriſtianorum nemo hactenus vſus fuiſſet: leges porrò latas nuper non paucas, iniuſtas & valde pernicioſas, tributa impoſita tàm eccleſiaſticis quàm laicis graviſſima, idque tempore pacis, cum non niſi ad ſumptus bellicos pecunia huiuſmodi imperari Anglis mos eſſet. Anglicanæ plebi in vniverſum hæc omnia diſplicere vehementer, eóque magis, quòd tentamenta exſtimarent ea tolerantiæ ſuæ, & malorum quæ ferri non poſſent initia. Petere proindè quam humillimè ſeſe, qui niſi armati ut audirentur non poterant ſperare, ut à gubernaculis reipublicæ amoveret conſiliorum authores tàm pernicioſorum, & alios ſubſtitueret qui peccatis ſupradictis corrigendis fidelem darent operâ, ſibiq; ipſis fraudi vt non eſſet, quòd ſumpſiſſent arma, quibus pro Regis incolumitate & patriæ defenſione vti, cum proprij ſanguinis effuſione ſemper futuri eſſent ac fuiſſent paratiſſimi. Labaſcere eos vt vidit Rex, ſuapte natura magnanimus, iram ſuam non diſſimulauit inde conceptam, quòd è viliſſimæ plebis fæce homunciones, auſi fuiſſent de hiſce tantis rebus vel cogitare. Quapropter reſponſione ſatis rigida imperat, vt centum ex jis quos legati ad id miſſi depoſcerent ſine mora tradant, & deinde ad ſua quiſque à ſignis diſcedant. Id ni continuo faciant, extrema quæque expectanda denuntiabat. Quod poſtquam in ſeditioſorum caſtris auditum eſt, ſinguli ſibi metuentes ne ſi ampliùs perſtarent, inter centum illos anteſignanos ad pœnam deſignatos numerari mererentur, domum delapſi, caſtra defenſoribus vacua reliquêrunt. Vixdum ſex dies tranſierant, à quo hoc incendium ſopitum eſt, quando in agro Eboracenſi aliud non paulò gravius ex ijſdem cauſis coortum. Armatorum 40. millia ſecedentes, ſibimet ipſis nomen indiderunt ſociorum peregrinationis ſanctæ; & ut Religionis prætextu nequitiam velarent, vexillis ſuis ab alterâ parte depingi fecerunt CHRISTVM in cruce pendentem, ex alterâ verò Calicem ſacrum & panem Euchariſticum, quem Corpus Domini ſolent appellare. Nobiles multos cœperunt, intérque eos Archiepiſcopum Eboracenſem Edw. Leum, (illum qui contra Eraſmum ſcripſit) Barones

Item in Eboracenſi.

rones

Digitized by Google

rones item duos, Darceium & Huſſeyum, equites deinde aura- 1536.
tos & alios viros primarios magno numero, quos omnes ſa-
cramentum ſibi dicere, velint,nolint, perpulerunt, quod ple-
rique (ut credi par eſt) inviti præſtiterunt, tamen capite po-
ſteà ob eam cauſam (ut ſuo loco narrabitur) mulctati ſunt.
Contra iſtos miſſi, Norfolciæ & Suffolciæ Duces, Marchio
Exonienſis, Comes Salopiæ, & alij, qui citra ſanguinem tran-
ſigere, & inſanientes ad ſalubriora coſilia revocare ſatagentes,
multa tentabant quibus id effici poſſe ſperabant: nolentes (ſi
aliter id fieri poſſet) pugnæ aleam ſubire, quod rem ſibi fore
non ignorabant cum huiuſmodi colluvie, quam ſi debellaſ-
ſent, neque rem, neque gloriam fuiſſent inde reportaturi, ac
cum talibus tamen, ut victoriam ſibi pro certo ſpondere non
poſſent, nempe totius inſulæ gente bellicoſiſſima,& hominibus
qui deſperatione efferati, omnem in victoria ſpem collocantes,
in veſtigio mori potius quam fugere decreviſſent, quòd victis
nil niſi mortem, nimirum, aut cædem ex hoſte, aut ſupplicium
in patibulo reſtare exiſtimarent, vel ſaltem vitam qualem hacte-
nus duxiſſent, in paupertate miſeram & qualibet morte triſtio-
rem. Cum aliud itaque obtineri non poſſet, vtriúſque exer-
citus conſenſu locus tempúſque ad confligendum conſtitutus
eſt. Inter vtramque aciem amnicula decurrebat quam vel
calceatis ſine offenſione pertranſire non erat difficile pridie illi-
us diei in quo pugnandũ erat: ipſa vero nocte quæ ſequuta eſt,
cum nimirum in craſtino dimicandum foret: quaſi Anglicani
ſanguinis tantam effuſionem averſaretur DEVS, ex pluvia non
magna tantopere ea intumuit, (Id quod ibi loci nunquam an-
teà viſum ferunt) ut nec hominibus nec iumentis, nec pediti
nec equiti, vlla eſſet tranſeundi facultas, adeòque concurrere
hæ duæ acies prout conſtitutum erat, nullo modò potuerint.
Caſum eum in Religionem vertit vulgus, quorum animus ſu-
âpte naturâ ſatis mobilis, facile inductus eſt ad credendum, vo-
luiſſe DEVM tali portento oſtendere, cordi ſibi non eſſe ut
prælio decertarent. Propoſita itaque iam denuo admiſſorum
(nam & antea id factum fuerat) venia, tam ducibus & nobili-
bus, quam cæteris qui huiuſce tumultus ſive authores ſive par-
ticipes extitiſſent, poſtquam id ipſum Regem ratum habere
comperiſſent, & inſuper polliceri, curæ ſibi futurum ut emen-
darentur

1536. darentur ea omnia de quibus quærimonia ab ipſis inſtituta fuiſſet: depoſitis armis, ad ſua pacati ſinguli diſceſſerunt. Arcem interea temporis de Scarborow arcta cinxerant obſidione, quam ſex ſeptimanis continuarant. Hanc tunc tenuit Radulphus Everus, ex prænobili Everorum familia eques auratus, nullo adiutus præſidio niſi famulorum ſuorum & clientum levi manu, atque commeatu adeò male inſtructus, ut præter panem & aquam non haberet per totos 20. dies unde ſe & ſuos aleret. Ex hoc tanto egregiæ fortitudinis documento, eam ſumpſit Rex fiduciam, ut copijs eum brevi poſtea præfecerit, quæ limites contra Scotos tuerentur, quod munus magna cum laude præſtitit, donec anno 1545. in velitatione quadam occiſus eſt. Fervente hunc in modum apud Anglos ſeditione, nihilo magis in Hibernia res pacatæ extiterunt. Giraldus Fitzgeraldus Kildariæ Comes, annos plus minus 12. Prorex ibi conſtitutus, ob cauſas non adeo graves dignitate ſpoliatus fuerat, in Angliam revocatus, & inſuper ad mortem ibi damnatus, quam etiam pœnam ſubijſſet per malitiam Wolſæi, niſi carceris præfectus (cui Comes percharus erat) poſtquam de ſupplicio irrogando mandatum accepiſſet, intempeſta nocte regem petijſſet, & ſententiam eius de exequendo Cardinalis mandato exquiſiviſſet, id quod Rex non ſolum tunc non probavit, ſed paulò etiam poſtea condonata culpa in gratiam & amicorum cœtum hominem receptum incolumem dimiſit, ac deinde poſt aliquot annos priſtino honori reſtituit, iterum provinciam illius fidei credendo, ut eam Prorex gubernaret. Nunc verò turbatis in Anglia rebus, propter leves quaſdam ſuſpiciones in Angliam retractus eſt, & coram Senatu regio cauſam dicere coactus: vbi auditus, ad obiecta ſic non potuit reſpondere, vt in turrim ſtatim coniectus non fuerit. Antequam ex Hibernia vocatus diſcederet, mandatum acceperat à Rege, ut aliquem muneri ſuo præficeret, pro cuius fide diligentiáque ipſe vellet fideiubere. Cumque filium haberet nomine Thomam paulò plus quam viginti annos natum, animoſum illum quidem & fortem, ingenioſum quoque & patris amantiſſimum, huic veritus non eſt tanquam alteri Phaëthonti currus ſuos committere,

Arx Scarborow à Radulpho Evero fortiter defenſa.

In Hibernia tumultuatum

Et

1536

Et quæ non viribus iſtis
Munera conueniunt nec tam puerilibus annis.

Id quod vtriſque funeſtum fuit, & vniuerſæ penè familiæ exitioſum. Nam ſtatim vt in carcerem Comes actus eſt, rumor illico increbuit (ab inimicis vt creditur diſſeminatus) capite truncatum eum occubuiſſe, idemque fatum filijs fratribuſque omnibus imminere, vtpote de quorum pernicie Rex certiſſime ſtatuiſſet. Huic famæ, nullo eius idoneo cognito authore, temerarius Iuvenis fidem ſtatim adhibuit, & ſumptis armis, amicos omnes obteſtatus eſt, vt ſibi aduerſus vim tam iniuſtam ſuppetias ferre ne cunctarentur. Patruos habebat tunc temporis v. quorum tres ab initio, ne res nouas moliretur, omni vi reſtiterunt: ſed poſtquam ſanioribus conſilijs aures vſquequaque occluſas viderunt, furori iuuenis exitiali & ipſi cedentes, arma etiam ſua cum illo conſociarunt. Idem porro multi alij cum feciſſent, magnus breui exercitus conflatus eſt, cum quo prouinciam pervagatus, igni ferróque graſſatus eſt in eos qui imperata facere detrectarent: Interque multos alios in quos ſæuitum, Alanum Dublinenſem Archiepiſcopum in conſpectu ſuo trucidari permiſit. Tumultus huiuſce nuntius comitem (priuſquam ex Hibernia ſolveret paralyſi tentatum) tam grauiter perculit, vt paucos poſtea dies ſuperſtes, mœrore confectus mortem obierit. Rex autem magnis copijs coactis, ferocientem iuvenem citò coercuit, & poſt aliquot menſes ad deditionem compulit. Patrui etiam prædicti partim capti, partim ſe vltro in manus regiorum tradiderunt. Omnes Londinum miſſi ad cauſam dicendam, Thomas primum, deinde etiam patrui. Fama eſt illorum tres qui nepotem ad pacatiora conſilia flectere conati fuiſſent, bene de ſe ſemper ſperaſſe, donec in traiectu nauis in qua vehebantur nomen à gubernatore quæſijſſent, illoque reſpondente, Vaccam eam appellari, ſpem omnem meliorem protinus abieciſſe propter vaticinium quod audiuerant iactatum, quo ferebatur, Comitis cuiuſdam quinque filios in vtero vaccæ deportandos olim in Angliam, nec vnquam poſtea redituros. Vaticinij fidem exitus non fefellit. Nam cum iracundiam

Digitized by Google

1536. cundiam Principis extimularent nonnulli familiæ nobiliſſimæ veteres inimici, & nunquam res in Hibernia tranquillas fore aſſeuerarent, quamdiu ex ſtirpe Giraldinorum quiſquam ſupereſſet: facile obtinuerunt vt ſcito ſatis atroci omnes neci dederentur. Haud igitur ſine cauſa Giraldus Thomæ frater ſibi metuens, tredecim annorum puer, ad latebras quantumuis innocens confugit. Laborabat is tunc temporis eo genere exanthematum, quod morbillorum nomine medici deſignant. Stragulis igitur inuolutus, ad amicorum quendam clanculum delatus, ibi latuit, donec in Galliam fugiendi occaſio data eſt, vbi à Rege benignè acceptus eſt, tamen breui poſtea faceſſere iuſſus, quod Regis noſtri oratores ſibi eum dedi acriter poſtularent, fœdere cautum aſſerentes, fugitivos omnes tradi. Inde igitur profectus eſt in Belgium, vbi cum nihilo magis in tuto eſſe poſſet, in Italiam tandem confugit ad Reginaldum Polum, qui adoleſcentem aluit & perquam honorificè tractauit, donec tandem in patriam reductum honoribus avitis reſtituendum curauit, de quo poſtea. Interim verò memorandum, Polum prædictum hoc ipſo anno Decembris vigeſimoſecundo in Cardinalium cœtum à Paulo. III. Papa cooptatum. Erat ille Regis Henrici propinquus, & ab eo literis inſtitutus, Decanatu etiam Exonienſi honeſtatus, quod modeſti adoleſcentis & indolis vſquequaque probatiſſimæ ſpecimen dediſſet. Cæterùm poſtquam ad ſcholas aliarum gentium viſendas dimiſſus in Italiam perueniſſet, à Circes Romanæ poculis cito immutatus, altoris Principis, propinqui ſui, breui poſtea hoſtis deuenit certiſſimus. Nam cum neq; repudium Catharinæ probaret, nec authoritatem Papæ profligatâ vellet, aliaque à Rege in rebus eccleſiaſticis inſtituta haud diſſimulanter damnaret; domum redire iuſſus, Decanatu, & ſtipendio ſatis amplo quo Rex eum donauerat annuo mulctari maluit. Hoc igitur homine vt tanquam ariete vteretur Pontifex in rege oppugnando, (Contareni porro Cardinalis monitu & commendatione inductus) galerum illi purpureum largitur, quo tanquam arrhabone ſuum fecit eum, qui purioris doctrinæ ſemina tum nuper hauſiſſe credebatur. Sed hâc de re poſtea.

Polus Cardinalis.

ANNO

ANNO CHRISTI 1537. REGN. 29.

IN cædes iam, & illuſtrium hercle virorum itum paſſim eſt. Februarij 3. Thomas Fygaretus Hibernus, Comitis Kildarienſis primogenitus (de quo antea) tanquam res nouas molitus ſecuri ob læſam Maieſtatem publicè percuſſus eſt, & patrui eius quinque prædicti ſuſpendio ſeminecti, decollati (quæque proditorum apud nos pœna) in quatuor deinde partes per portas ciuitatis ſuſpendendas Londini publicè diſſecti ſunt. Eodem etiam menſe N. Muſgrauius & Thomas Gilbeyus, quod ſeditionem concitantes vrbem Carleolenſem obſediſſent, morte, vnà cum multis alijs mulctati fuerunt. Martij decimo Io. Paſleus Theologiæ Bachalaureus ac cœnobij Whalleienſis Abbas xxv. Lancaſtriæ pœnam luit conſimilem, ac ſimul cum eo Eſtgatus quidam eiuſdem cœnobij monachus, quemadmodum porro fuerat Hadocus, qui triduo poſt eos Whalleiæ ſuſpenſus interijt. Sed & eodem tempore Sanlienſis atque Oburnienſis Abbates vnà cum duobus Monachis eodem mortis genere Oburniæ perierunt: atque non multùm poſteà Macarellus quidam Theologiæ Doctor, alius neſcio quis Abbas, parochus Lowthenſis & alij duo ſacerdotes, præter ſeptem laicos. Hi omnes (quantùm inueſtigando poſſum colligere) quod anno ſuperiori res nouas moliti fuiſſent & ſeditioſorum anteſignani extitiſſent, damnati ſunt. Duces vero præcipui & paulo nobiliores ad Iunium vſque menſem ſeruati, tum demum pœnas morte luerunt: Darceius & Huſſeius Barones, Lincolniæ iſte, Londini vero ille, decapitati: Robertus Conſtablius, Tho. Perceius, Fr. Bigotus, Steph. Hamiltonus, ac Ioannes Bulmerus equites aurati, neſcio quo mortis genere abſumpti. Margareta Bulmeri vxor Londini viua cremata eſt. W. Thurſtus Fontanenſis, Adamus Sudburius Geruaſienſis, & Riuerienſis Monaſterij Abbates, Woldus etiam Birchintonenſis Prior cum Geor. Lomleio, Nic. Tempeſto & Roberto Aſco multiſque alijs, tanquam prædictorum tumultuum participes capitali

Supplicium de ſeditioſis ſumptum.

Digitized by Google

1537. pitali ſupplicio affecti ſunt. Denique propter alias turbas in agro Somerſetenſi menſe Aprilis excitatas, homines 60. ad mortem damnati extiterunt, quam 14. tantùm (nec plures) interque eos vna femina pertulerunt. Cæterùm ne cuiquam ſubeat admiratio quod in eccleſiaſtici ordinis homines tantopere ſæuitum ſit, commemorandum duco quod de Reginaldo Polo tradit Sleydanus, à Paulo tertio anno ſuperiori in Cardinalium album aſcripto. Libellum ante annum vnum aut alterum exarauerat ille, qui hucuſque Romæ latens, hoc ipſo tempore in Germaniam primùm, deinde ad ipſum Regem emanauit. In eo (inquit Sleydanus) Regem Henricum affatur, grauiterque reprehendit, quòd ſeſe caput eccleſiæ conſtituat: Nam ad ſolum Pontificem Romanum id munus pertinere, qui ſit CHRISTI vicarius &c. Ad cauſam diuortij poſt accedit, Regem non conſcientiæ terrore, neque metu numinis diuini (ſicut præ ſe ferat) ſed libidine & cæco quodam amore concitatum, deſeruiſſe Catharinam vxorem, quam Arthurus frater 14. annorum adoleſcens, & imbecillus, virginem reliquiſſet: Annam Boleniam non ei licuiſſe ducere, cuius antea ſororem habuiſſet concubinam. Virginem autem fuiſſe Catharinam ipſummet eſſe profeſſum, tum alijs, tum Cæſari. Vehementer etiam exagitat, quòd dimiſſis literis ad omnes Academias, de primo ſuo matrimonio Rex conſilium exquiſierit, & ſuâ ſit ipſe lætatus turpitudine, cum illud inceſtum fuiſſe nonnulli pronuntiarent: Valde autem eſſe pudendum, quod ſcorti filiam legitimæ filiæ & quidem probatiſſimæ virgini præferat. Poſt de ſupplicio Roffenſis Epiſcopi & Tho. Mori multum ſermonem habet, deteſtatus crudelitatem: Adhæc, quomodo Rex omnes ordines affixerit, in quantam miſeriam florentiſſimum regnum adduxerit, quantum ei periculum immineat à Cæſare propter repudiatam materteram, ac profligatam religionem, & quam nullum aut debeat à ſuis vel etiam exteris auxilium expectare, qui tam ſit male meritus de republicâ demonſtrat. & ad Cæſarem oratione conuerſâ, plurimis eum verbis vt familiæ ſuæ tam inſignem contumeliam vlciſcatur, exacuit, ac Turcicum ſemen per Angliam atque Germaniam diſſipatum eſſe dicit, doctrinam

Polus ſcribit aduerſus regem.

Pontifici

Pontifici contrariam deſignans. Poſt multam deinde crimi- 1537
nationem & acerrimam reprehenſionem, ad pœnitentiam
invitat, nec vllum ſupereſſe dicit aliud remedium, quàm vt
ad eccleſiæ gremium reuertatur, quam aliquando libris editis defenderit, glorioſiſſimo nimirum exemplo. Hæc Sleydanus, qui etiam (id quod & alij plurimi tradiderunt) legatum eum dicit ad Gallum miſſum à Papâ, honeſto quidem nomine pacis conciliandæ inter eum & Cæſarem, reuera autem, vt vtrúmque in Regem ſuum concitaret. Quod poſtquam Henricus ſubodoratus eſt, egit cum Gallo per oratorem ſuum vt Polum perduellionis læſæque Maieſtatis reum comprehendi, & pro ea quæ inter ipſos intercederet amicitia, ad ſe confeſtim mitti curaret, quo tanti criminis ſupplicium debitum ſubiret. Huic Regis poſtulato quamquam Gallus haudquaquam annuit, contra religionem iuraque gentium eſſe dicens, legatum vllum (ac præſertim Papæ) ad ſupplicium tradere, legationem tamen admittere recuſauit ne Regem offenderet, & legatum quam celerrimè è finibus ſuis diſcedere mandauit. Ex huius igitur vnius conatibus Rex dijudicâs quænam eſſet voluntas cæterorum per regnum ſuum eccleſiaſticorum, facile inductus eſt, vt eorum quilibet peccaſſet, vltimo in eos ſupplicio animadvertere, quo ſimul hoſtes certiſſimos è medio tolleret & reliquos eorum pœnâ conterritos faciliùs in officio contineret. Octobris .12. Regina cum partus difficultate diu luctata, in lucem edidit, qui poſt patrem regnauit, Edwardum, ſed ex vtero matris exciſum, cum alterutri, aut parturienti nempe aut partui neceſſariò pereundum compertum eſſet. Illa igitur biduo tantum ſuperſtes eiuſdem menſis 14. ab hac luce ſubtracta, & 12. Nouembris Windeſoræ in medio chori cum magnâ pompâ ſepulta eſt, huiuſmodi Epitaphio honeſtata:

Edwardus princeps naſcitur.

Phœnix Iana iacet, nato Phœnice, dolendum;
Secula Phœnices nulla tuliſſe duos.

Octobris 18. Edwardus prædictus Walliæ Princeps, Dux Cornubiæ & Ceſtriæ Comes creatus eſt: atque cum illo Edwardus

1537. wardus Seimerus Reginæ defunctæ frater, Baro de Bello Campo ac Hertfordiæ Comes, quem honorem (non item cæteros poſtea adeptos) Edwardo filio etiamnum viventi reliquit. Gulielmus quoque Fitz-william ſummus Angliæ Thalaſſiarcha aut (vt loquimur) Admirallius Suthantoniæ Comes renuntiatus. Tunc etiam honorum (quos poſteà ſummos geſſerunt) viam ingreſſi ſunt, Gulielmus Pawlettus & Iohannes Ruſſellus, Regiæ familiæ hic contrarotulator (ut appellamus) ille Theſaurarius conſtituti & principi à ſecretis; quorum alter ad ſummum Angliæ Theſaurariatum & Wintoniæ Marchionatum, alter ad Comitis Bedfordienſis honorem poſteà conſcendit. Ac Ruſſellus quidem ad Franciſcum filium anno 1554. moriens Comitatum tranſmiſit, cum nempe qui ſenex egregiè pius ac (in pauperes præſertim) munificus, ſub ipſum mortis articulum Franciſcum filium à Scoto quodam interfectum amiſit 1587. Edwardi qui hodiè floret patrem, ac Gulielmum, quem Rex Iacobus Baronem Ruſſellium nuper creavit fratrem. Pawlettus autem ad extremam ſenectutem & decrepitam ætatem longiſſimam vitam producens, Gulielmum è Gulielmo filio nepotem ſucceſſorem habuit, qui non ita pridem extinctus, Gulielmum filium reliquit, Wintoniæ modernum & Angliæ tunc temporis vnicum Marchionem. Iam vero ut hunc annum concludam tot mortibus funeſtum, alia adhuc memoranda eſt. Thomas Havardus Norfolciæ Ducis frater natu minimus, ante menſes 15. incarceratus, quòd Rege inconſulto Margaretam (eius ex ſorore Margareta per Anguſiæ Comitem Archibaldum Duglaſſium neptim) deſpondiſſet: primo die Novembris ingenti Britanniæ noſtræ bono, in turre Londinenſi morbo extinctus eſt: hanc namque Margaretam, poſteà duxit Matthæus Leviniæ Comes, & ex ea ſuſcepit Henricum, Iacobi noſtri totius Britanniæ inclyti & potentiſſimi Monarchæ genitorem.

Seimerus Hertfordiæ Comes. Fitz-william Suthamtoniæ. Pawlettus & Ruſſellus creſcere incipiunt.

ANNO CHRISTI 1538. REG. 30.

SVPERSTITIOSVM imaginum abuſum vero cultui divino multum officere, iam tandem poſt tot ſecula deprehenſum. Principi, cui, pi etate, præſertim quæſtuoſa nil melius viſum,

Imaginum abuſus coercetur.

Digitized by Google

ſum, offendicula huiuſmodi tolli placuitè medio: eóque magis, quòd ex huiuſmodi reformatione ingentem pecuniæ vim corradi poſſe animadverteret. Ad imagines quaſdam celebriores, & mortuorum quorundam, quos ſanctos exiſtimabant, tumulos, ab vltimis regni finibus & exteris nonnunquam nationibus mortales plurimi religionis ergô commeabant: donaria afferentes, vnde non ſolum Monachis & ſacerdotibus ibidem miſſificantibus de victu abundè proviſum eſt, ſed opum etiam & rerum pretioſarum copia incredibilis congeſta. Thomæ Cantuarienſi quondam Archiepiſcopo in Metropolitanâ ibidem Mauſoleum extructum erat auro ſolido coopertum & donarijs immenſi pretij onuſtum. Cernebantur ibi viniones, gemmæ, monilia, & magni ponderis torques aurei à peregrinantibus appenſi ad ſancti tumulum exornandum: qui nunc iuſſu regio dirutus, oſſa hominis integra oſtendit, cum cranium neſcio cuius oſculandum à multis iam annis ſoliti eſſent Monachi advenis porrigere, Martyris ſui illud eſſe perperam dictitantes. Ex Monumenti illius ſpolijs duæ arcæ repletæ ſunt, tam capaces, ut ſingulis efferendis vix octo robuſti homines ſufficerent, cum auro vilius nihil inde exportaretur. Inter cætera vero celebratur præcipuè ingentis pretij gemma, quam Regalem Franciæ appellabant, quod Ludovicus VII. Gallorum Rex eò peregrinatum veniens, anno 1179. dono eam obtuliſſet, ſimul cum ſcypho aureo magni ponderis; quo etiam tempore centum vini dolia Monachis illius Eccleſiæ annuatim pendenda conceſſit. Gemmam prædictam annulo inſertam Rex plurimi poſtea æſtimavit & in pollice geſtare ſolitus eſt. Mauſolei huius magnificentiam prædicavit magnopere Eraſmus in colloquijs famil. & alibi, quemadmodum etiam delubri quod Mariæ virginis ſtatuam habebat tantopere celebratam Walſinghamiæ: nam vtrumque vidit (vt conſtat) & admiratus eſt. Inde porro quicquid alicuius erat pretij ablatum, ſicut alibi in locis permultis quo peregrinationes inſtitui ſolebant, & ſtatuæ oſſaque mortuorum, quæ ſcandali aut ſuperſtitionis cauſa extitiſſent, combuſta. Inter cæteras verò ſtatuas ad ignem damnatas, vna CHRISTI crucifixi fuiſſe fertur, in Wallia Aquilonari, Darvell Gatharen ab incolis nuncupata, de qua neſcio quo modo iam olim vaticinium circumferebatur, futurum

1538.

Becketti ſepulchrum demolitum de quo vide p.

S. etiam Mariæ delubrum.

Walſinghamiæ.

Vaticinium.

1538. futurum aliquando, vt integram ſylvam incendio abſumeret. Tunc verò temporis evenit forte fortuna, ut Monachus quidam Franciſcanus Forreſtus nomine (quod lingua vernacula ſylvam ſonat vel ſaltum) propterea quod Regem Eccleſiæ Anglicanæ caput non eſſe clandeſtinis ſuſurris enuntiaſſet, quanquam præſtito iam antea ſacramento id ipſum ſemel faſſus fuiſſet, ad mortem tanquam læſæ Maieſtatis ac hæreſeos ſimul reus damnaretur. Is igitur in patibulum funibus ſublatus & pendens ſupra hanc ſtatuam, ea incenſa vivus combuſtus eſt, & ſic fidem vaticinij ſuâ morte impleuit. Ingens erat pecuniæ ſumma quam ex cœnobiorum & eccleſiarum ſpolijs ſupradictis Rex collegerat. Sivè vero quod male parta & per iniuriam ab eccleſia erepta cito fuerint dilapſa, ſive quod maiori adhuc munimento ſibi opus eſſe arbitraretur adverſus belli quod ingruere ſuſpicabatur impetum, & ſumptus eius ſuſtinendos; ijs non contentus quæ ante acceperat, in cæterorum, quæ adhuc intacta manſerunt, cœnobiorum opes oculos coniecit, & non expectato parliamenti decreto, ad nobiliſſima totius Regni Monaſteria manus admovit. Illud nempe quod primum à Saxonibus ad fidem Chriſtianam converſis Cantuariæ fuerat conſtructum & S. Auguſtino Anglorum Apoſtolo dicatum, qui ibi etiam ſepultus iacebat, has inquam fidei Chriſtianæ apud gentem noſtram primitias (Saxonicam dico, nam Britanni ab ipſis Apoſtolorum fontibus longe purioris doctrinæ latices, quam quas invexit Auguſtinus, hauſerant) invaſit, monachos eiecit non audentes reniti, & fortunas eorum partim fiſco addixit, partim inter aulicos ſuos diſtribuit. Eandem porro aleam ſubijt quod de Bello nominatur & à Gulielmo Normanno conditum eſt in eo ipſo loco, quo Haraldum Saxonici generis Regem vltimum prælio devictum occiderat, adeóque ſibi & poſteris ſuis regnum aſſeruiſſet: ut de cæteris minus ſubeat mirari, quæ eadem tempeſtate everſa ſunt, Mertonenſi in Surreia, Stratfordenſi in Suſſexia, Lewenſi in Suſſexia, ac Londini Carthuſianorum, Dominicanorum, Franciſcanorum & Mendicantium. Eodem deinde tempore edicta propoſita ſunt, quibus, in rebus eccleſiaſticis multa decernebantur innovanda, & hoc in primis ſaluberrimè cautum, ut ſacrorum Bibliorum codex in linguam Anglicanam converſus, in eccle-

Forreſtus.

S. Auguſtini Cantuarien.

De bello.

Alia item.

Biblia Anglica.

ſijs

Digitized by Google

ſijs vbique aſſervaretur, omnibus qui id cuperent perlegendus. 1538.
Maiorum ſuperſtitioni addictiores hæc male habuerunt, ac inter alios præcipuè Henricum Cortineum Exoniæ Marchionem, Henricum Baronem Montacutenſem Cardinalis Poli fratrem, ac Edwardum Nevilium equitem. Nam quinto die Novembris in arcem Londinenſem detruſi ſunt, poſtquam eos apud Regem detuliſſet Galfridus Poli frater, quaſi conſilia cum Polo Cardinale miſcuiſſent, & omnes in perniciem Regis coniuraſſent: cuius delicti rei facti, tertio Ianuarij ſequenti ſontes adiudicati & ad mortem damnati, nonóque deinde eiuſdem menſis vltimo ſupplicio affecti ſunt, ſecuri percuſſi. Quo etiam tempore ſacerdotes duo, Croſtus & Collenus, ac Hollandus quidem nauta, quaſi eiuſdem criminis cum illis participes, ſuſpenſi aliquantulum ad patibulum, ac deinde inciſa reſte ſpirantes adhuc & ſentientes exenterati & in 4. partes diſſecti ſunt, pœnam ſic luentes, pro more gentis noſtræ proditoribus debitam. Erat Cortineus genere natus nobiliſſimo, utpote ab Hugone Cortineo paternum ſtemma deducens, qui Regio Francorum ſanguine ortus, Devoniæ Comes ab Edw. III. ante annos 300. renunciatus eſt. Materno tamen ortu clarior, ex Catharina Edwardi quarti Regis filia prognatus fertur, Elizabethæ nempe ſorore quæ Henricum Regem peperit. Principis itaque conſobrinus, gratia apud illum, opibus item & potentia diù floruit. Accidit verò ut tumultuantibus nuper ſeditioſis in agro Eboracenſi, magna vſus celeritate accurreret ille Regi laturus auxilium, aliquot millenos ſecum adducens virorum ſtrenuorum, & armis optime inſtructorum. Tanta potentia in homine à Regio ſanguine non alieno, adeò ſuſpectum eum Principi reddidiſſe creditur, vt oblatam anſam libenter arripuerit, clariſſimum nobiliſſimúmque virum interimendi. Menſe interim Novembris de Iohanne Lamberto homine egregiè docto & pio iudicium inſtitutum eſt, ipſo Rege pro Tribunali præſidente. Hæreſeos is inſimulatus coram Diocæſano, ad Regem provocavit, qui metuens ne plane Lutheranus haberetur, occaſionem avidè arripuit omnibus teſtatum faciendi, in cauſa Religionis quam longè aliter affectus fuerit, ac vulgo perſuaſum eſſet. Quamobrem convocatis Epiſcopis & proceribus Regni quotquot adeſſe commodè poterant, in

Marchio Exoniæ & alij ſecuri percutiuntur.

Proditorum apud nos pœna.

Lambertus comburitur.

1538. magnâ illâ aulâ Weſtmonaſterienſi pegmata ædificari curavit, ut inde maior populi numerus vel audire vel ſpectare poſſet quæ dicenda aut gerenda eſſent. Regi à dextra ſedebant Epiſcopi, & pone tergum eorum Iudices Regni ac Iuriſconſultorum Principes, à ſiniſtrâ verò ſummi proceres, & poſt eos domeſticiq; regij. Adducto coram illis reo, Dayus Ciceſtrenſis Epiſcopus iuſſus à Rege huiuſce congreſſus cauſam expoſuit, Lambertum dicens hæreticæ pravitatis accuſatum, ab Epiſcopo ſuo ad Regem provocaſſe, quaſi hæretico æquiorem eum futurum confideret, quam Epiſcopum. Inde ſibi compertum, haud abhorrere à veritate (quod ſæpe admonentibus nunquam hactenus crediderat) perſuaſum vulgo, Religionem à maioribus acceptam ſibi cordi non eſſe, novorúmque dogmatum per Germaniam inventoribus aurem atque adeò fidem adhibuiſſe. Tyrannidem certe Pontificiam maioribus gravem, ſibi verò iugum amplius non tolerandum, libenter ſe excuſſiſſe: Monachos otioſos tanquam fucos ex favis expuliſſe: Imaginum cultum Idololatricum ſuſtuliſſe, verbum DEI (quod Pontificiorum technæ hactenus occultarant ne fraudes ſuæ deprehenderentur) omnibus iam ſubditis communicandum curaſſe: & alia fortaſſis nonnulla minoris momenti in eccleſia immutaſſe, quæ nemo non palam iniquiſſimus ingenti eccleſiæ rei publicæque bono inſtituta negaverit. At enim alia deinceps omnia inconcuſſa ſe vivo permanſura in eccleſia, firmiter apud ſe decretum, eiuſque ſpecimen modo ſe coram omnibus libenter editurum. Cupere ſeſe ut reus renuntiatis erroribus in gremium eccleſiæ reduci ſe patiatur: cumque partim in finem, partim etiam ne cuiuſquam ſanguinem ſitire videatur, pro clementia ſua curaſſe Regem, ut adeſſent hi viri graviſſimi doctiſſimíque (Epiſcopos deſignans) qui rationum vi & authoritate errantem quantumvis renitentem in caulem eccleſiæ vel invitum reverti cogerent. Quod ſi pervicax in propoſito nullis ſe ſuaſionibus ſineret permoveri, curaturum, ut iſtius ſupplicium omnibus ſit documento, quid ab illo tales ſperare debeant, ac iudicibus inprimis ac magiſtratibus exemplo, quid ipſos in ſimilibus cauſis facere velit. Poſtquam hæc ille pluribus diſſeruiſſet, quid Lambertus exiſtimaret de præſentia corporis CHRISTI in Euchariſtia ab ipſo Rege quæſitum, &

cùm

cùm parum grata reſponderet, argumentis & rationibus res geri cœpta, tanquàm non iudicium pro tribunali, ſed diſputatio in ſcholis inſtituta fuiſſet. Quinque totas horas diſceptatum eſt, initium faciente Rege, deinde Archiepiſcopo Crannero & nouem alijs Epiſcopis vnum Lambertum acriter prementibus. Cum nihil hâc ratione proficerent, imò nec minis & terroribus quibus conſtantiam viri imminuere ſatagebant: Cromwellus iubente Rege ſententiam tulit, qua igne cremandus decernebatur, id quod poſt diem vnum aut alterum factum eſt, illo adeo imperterrito permanente, vt neque tunc temporis pauoris vllum ſignum ediderit, & ad ſupplicium deducendus, cum quibuſdam (qua pertranſibat forte conviuantibus) diſcumbere non recuſarit, ac hilariter cibum ſumere, quaſi ad venationem potiùs quàm ad mortem profecturus. 1539

ANNO CHRISTI 1539. REG. 31.

EIVSDEM criminis cum Cortinæo & Montacuto reus adiudicatus Nicolaus Caræus, ordinis Georgiani eques, & equorum regiorum præfectus, Martij die tertio ſecuri percuſſus eſt. Et Aprilis 28. Parliamentum inchoatum, in quo Margareta Polimater Sariſburiæ Comitiſſa Edw. IIII. Regis per Georgium fratrem Clarentiæ Ducem neptis, hoſtis declarata eſt, & inaudita ad mortem damnata, cumque illâ Cardinalis filius eius, Gertrudis Marchionis Exonienſis relicta, Adrianus Forteſcu, & Thomas Dinglæus equites, ac alij deinde nonnulli. Dinglæus & Forteſcu 10. die Iulij capite plexi, & Margareta ſeptuagenaria biennio poſtea. In eodem porro Parliamento poteſtas Regi data eſt Epiſcopatus nouos in opportunis Regni locis ſtatuendi, cuius rei vt facultatem haberet, aliaque nonnulla haud minus ſpecioſa perficiendi, non ſolum ratum habitum eſt quicquid nuper factum fuiſſet de cœnobijs, quæ à poſſeſſoribus ſiue inuitis ſiue volentibus in manus certe Regis nuperrime tradita fuerant; ſed aliorũ etiam omnium quæ deinceps tradenda eſſent ius & integra diſpoſitio ipſi ſoli confirmata eſt. Quod poſtquàm publicè innotuit: multi flagitiorũ ſibi conſcij, aut gratiam Regis aucupantes, cœnobia ſua vix pe-

Margareta Polorum mater & alij damnati.

Monaſteria in vniuerſum omnia peſſum eunt.

1539. tenti ipſi vltro obtulerunt. Ac inter primos quidem Abbas
S. Albani. & Monachorum cœtus ſancti Albani, (quorum præfectus totius Angliæ Protoabbas ſicuti D. Albanus Britanniæ noſtræ Protomartyr cenſebatur: Hadriano quarto Pap. huius honoris authore huic cœnobio, quod patrem habuerit quandoque qui Monachus ibi magnam vitæ partem tranſegerit) Monaſterium opulentiſſimum in margine ſitum Verolamij magnæ quondam & vetuſtæ ciuitatis, deſerunt, Aulicíſque ſpoliandum reliquerunt. Idem poſtea ab alijs factum eſt quam plurimis, paucis ea conſtantia præditis, vt auderent ſuo iuri adhærere. Qui bona conſcientia freti, nec ſpe nec minis &
Abbates ſuſpenſi. terroribus, nec pollicitationibus præmijſve induci poterant, vt eccleſiæ bona ſuæ fidei commiſſa ſacrilegorum auiditati derelinquerent, ſoli tres inuenti ſunt cœnobiorum præfecti, aut ſi mauis Abbates, Ioannes videlicet Coloceſtrenſis in Eſſexia ſiti: Hugo Farindonius, eius quod in locum ſepulturæ Redingæ conſtruxerat Rex Henricus primus, & Richardus Whitingus Glaſtonienſis, Glaſtonienſis, inquam, inter nobi-
Glaſtonia. liſſima antiquiſſimaque totius Europæ Monaſteria numerandi: quippe à Ioſepho ab Arimathea primum conditi (ſic fertur) qui CHRISTI Domini corpus ſepeliuit, & ibi poſtea ſepultus dicitur, vbi præter aliquot Reges Saxonicos tumulatus iacuit Famigeratiſſimus ille Arthurus, qui ſi præconem nactus fuiſſet virtutibus ſuis dignum, inter heroum veterum clariſſimos emicuiſſet. His igitur omnibus (cum alia ratio non occurreret cupita præda potiundi) imperatum, vt ſine mora, Regem, eccleſiæ Anglicanæ caput iuramento confirmarent: atque detrectantes, tanquam perduelliones, ob læſam Maieſtatem ad mortem damnantur. Et Bechius quidem Coloceſtriæ ſuſpenſus eſt, ſicut Redingæ Farindonius, vnà cum duobus ſacerdotibus Ruggo & Oniono. Whitingus autem, homo & annoſus, & ab ætate hebetior, ſe vix ſentiens damnatum, à loco iudicij (quod Welliæ inſtitutum eſt in aula Epiſcopali, 4. ea milliaribus à Glaſtonia diſtat) rediens, cum Monaſterium ſuum ſe repetere ſperaret, abreptus fertur derepente ad cacumen Torræ montis qui Glaſtoniæ imminet, & vnde in ſubiectam circumquaque Regionem longe lateque proſpectus patet. Ibi ne

ſpatio

Digitized by Google

ſpatio quidem dato eccleſiæ ſuæ valedicendi, quod efflagitabat miſerè,in patibulo ad id erecto ſuſpenſus interijt: non ſine inuida quorundam quibus id negotij demandatum fuit, de quibus optimè meritus Whitingus ferebatur. Cum illo eodem & loco & tempore duo Monachi idem ſupplicium ſubierunt, miſero qui ſeni talis pertinaciæ ſuaſores credebantur, Rogerus Iacobi & Ioannes Thornus. Singulorum corporibus iam exanimatis capita amputata, & trunci in quatuor partes diſſecti ſunt, quo ad portas oppidorum aut alia loca celebriora ſuſpenderentur. Paucorum pœna adeò cæteros omnes conterruit, vt manus mox ſinguli dederint, & cœnobia ſua réſque omnes Regiæ voluntati permiſerint. Numerum eorum quæ tum conciderunt non erit facilè inire. Præcipuorum & quorum Abbates in conſeſſu Parliamentario locum habebant inter proceres, ecce nomina in Catalogo ſequenti. 1539.

Abbates qui in Parliamento ſuffragium ferebant.

S.Petri apud Weſtmonaſteriū.
S.Albani.
S. Edmundi de Buriá.
S.Benedicti de Hulma.
Berdneien:
Salopienſis.
Crowlandenſis.
Abendonenſis
Eveſhamenſis.
Glocestrenſis.
Ramſeyenſis.
B.Mariæ Eborac.
Teukeſburienſis.
Redingenſis.
De Bello.
Winchcombenſis.
Hidenſis iuxta Wintoniam.
Cireceſtrenſis.
Walthamenſis.
Malmſburienſis.
Thorneyenſis.
S.Auguſtini Cantuariæ.
Selbeyenſis.
Petroburgenſis.
S. Ioan. Coloceſtr.
Couentrenſis.
Taveſtokenſis.

Tot hominum, & Doctorum plerumque & ſapientum, in ſummo regni concilio iacturam, vt aliquo modo Rex reſarciret: ſimul vt ex tanta præda ſi non decimam partem Herculi, at aliquam tamen Deo conſecraret: Id quod ab initio pollicitus fuerat, nouos aliquot Epiſcopatus conſtituit. Vnum videlicet Weſtmonaſterij, quod ciuitas eſt Londino adeo vicina

1539. cina, vt perpetua domorum ſerie ipſi coniuncta, ſuburbiorum pars iure poſſit cenſeri. Hîc Regiarum præcipua ſita eſt: hîc ſumma Angliæ tribunalia, hîc deinde baſilica viſitur magnificentiſſima, in qua Regum noſtrorum plerique tumulantur, prout etiam ſummorum procerum & nobilium, vt in vniuerſo mundo templum vix reperiri credam, tot tam ſplendidis
Oxoniæ & ſumptuoſis defunctorum monumentis ſpectabile. Alium deinde placuit in celeberrima Oxônienſi Academia collocare, in ipſo nimirum Collegio per Wolſæum Cardinalem
Alibi. ædificato. Alium item Petroburgi, Briſtoliæ, Ceſtriæ atque Gloceſtriæ alios. In hodiernum vſque diem hæc ordinatio vim obtinet, niſi quod Weſtmonaſterium ad primam inſtitutionem à Maria Regina reuocatum & Benedictinis Monachis rurſus repletum eſt, quos Elizabetha ſoror eiecit, Epiſcopalibus prædijs ad ſcholaſticorum alimoniam aliôſque pios vſus conceſſis. Porro cum veterum Eccleſiarum Cathedralium multæ à ſolis Monachis poſſiderentur, non eſt viſum his quicquam eripere: Monachi duntaxat faceſſere iuſſi, & Canonici pro illis ſubſtituti, quemadmodum etiam in ſedibus quas nuper conſtitutas diximus. Eccleſiæ autem quæ Præbendarios & Canonicos ab initio aluerint, quæ nouæ vt appellamus fundationis cenſeantur, hæc breuis tabella demonſtrabit.

Epiſcopatus Angliæ.

Canonicos & præbendarios habebant antiquitùs. In Anglia.	In Wallia.	Has eccleſias monachi inſedêrunt	Nouæ ſedes vbi olim monaſteria.
Eboracum.			
Londinum.		*Cantuarienſem.*	
Lincolnia.	*Menevia ſiue*	*Wintonienſem.*	*Oxonia.*
Sariſburia.	*S.Dauidis.*	*Elienſem.*	*Gloceſtria.*
Exonia.	*Landauia.*	*Norwicenſem.*	*Ceſtria.*
Wellia.	*Bangora.*	*Wigorniam.*	*Petroburgum.*
Lichfeldia.	*S.Aſſaphi.*	*Roffam.*	*Briſtolia.*
Herefordia.		*Dunelmum.*	
Ciceſtria.		*Carleolum.*	

Sic

Sic Epiſcopales ſedes in vniuerſo regno numerantur hodiè 26. In harum ſingulis Archidiaconi habentur, præbendarij, alijque miniſtri, prout etiam Decanus, qui cæteris omnibus præeſt, niſi in Menevenſi & Landavenſi eccleſijs, quarum hanc regit Archidiaconus, illam vero Præcentor. His enimvero rebus conſtitutis, Rex plurimùm ſollicitus ne ab auita Religione diſceſſiſſe videretur, aduerſus nouorum dogmatum defenſores grauiter cœpit intonare, atque adeo Parliamento author fuit, multum renitente Cranmero, legem in hanc ferme ſententiam ſanciendi. 1539.

Lex 6. articulorum nuncupata.

1 Si quis veram & realem præſentiam corporis CHRISTI in Euchariſtia negaverit, aut panis & vini ſubſtantiam aſſerueritremanere poſtquam ſacerdos verba conſecrationis protulerit, vt hæreticus comburitor.

2 Si quis Euchariſtiam in vna ſpecie recte non adminiſtrari dixerit:

3 Aut ſacerdoti poſt ſacros ordines ſuſceptos vxorem ducere licere, multóque magis ſi ordinatus quiſquam vxorem duxerit:

4 Aut vota caſtitatis poſt maturam deliberationem ſuſcepta, non eſſe ſeruanda:

5 Aut miſſam privatam in eccleſia Anglicana vel alibi non celebrandam.

6 Aut deniq; non expedire peccatorum ad ſacerdotem confeſſionem quam auricularem vocamus: vt ſceleratus & flagitioſus vita indignus, ſuſpenditor. Lex iſta plane Draconia innumeris mortalibus fuit exitio, multiſq; alijs qui iam antea reformationem, plenis (quod aiunt) buccis vbique ſuadebant, os obſtruxit, vt poſthac ne verbum quidem mutire auſi fuerint. Inter alios vero Hugo Latimerus & Nic. Schaxtonus, Sariſburienſis iſte, ille Wigornienſis Epiſcopus, vt ſecum (quod aiunt) habitarent, Epiſcopatu ſe Parliamento vixdum finito (Iulij videlicet primo) vno eodemque die ambo abdicarunt. Ac Latimerus quidem (qui ſicut nunc Epiſcopatum cumque opulentum, ita poſtea vitam pro conſcientiæ libertate depoſuit, ſub Regina Maria crudeliter combuſtus) quo tempore veſtem Epiſcopalem poſtremo exuit, homo lepidus, ſaltu dicitur leviuſculo ſe loco paululum mouiſſe, &

Latimerus & Schaxtonus epiſc. abdicant.

Latimeri iocus.

voce

1540. voce memorabili exclamaſſe, Quàm nunc mihi videor expeditus & leuis, poſtquam oneris tantum ab humeris meis excuſſi. Cæterùm vt ad huius anni cataſtrophen properemus, Septembri menſe Londinum venerunt principes aliquot Germani, ac illuſtres quidem, Fridericus Saxoniæ elector, Fridericus item alius Bauariæ Dux, Otto Henricus Palatinus Rheni, & Cancellarius Gulielmi Cliuiæ Ducis, cum alijs nonnullis; qui poſtquam per octo dies epulis magnificis ac planè regalibus accepti fuiſſent, venationibus item & alijs voluptatibus ſe oblectaſſent: negotio ob quod venerunt ſecundum animi ſententiam confecto, domum verſus iter inſtituerunt. Aduentus cauſa non alia fuit, quam vt nuptias inter Regem & Annam Cliuenſis ſororem conciliarent. Earum præcipuus inter noſtros ſuaſor Cromwellus extitit, nuſquam dicens aduerſus Papales machinas firmum reperiri fidumque præſidium, niſi inter eos, qui tyrannidis pontificiæ ſecum æquè pertæſi, eiuſdem ſimiliter iugum excuſſiſſent. Quod conſilium haud dubiè ſaluberrimum, conſultori tamen exitio fuiſſe creditur. Hoc anno Margareta Scotiæ Regina, regiſque noſtri ſoror, diem ſuum obijt, & ſepulta eſt ad Carthuſianos in oppido S. Ioannis prope tumulum Iacobi primi Regis.

Germani pr. in Angliam.

Vt nuptias conficiant inter Regem & Annam Cliuenſem.

ANNO DOMINI 1534. REGN. 26.

Ea celebrata.

PRIDIE Calendas Ianuarij Doueriæ appulit Anna prædicta regio thoro deſtinata, vnde Grenouicum tertio poſt die perueniens, magna cum pompa excepta eſt, & Regi in feſto Epiphaniæ legitimo iuncta connubio. Martij duodecimo Henricus Bouchierus Eſſexiæ Comes & Comitum Angliæ antiquiſſimus, ab equo ferociori quem domare nitebatur deiectus, gulam fregit: cuius morte hereditas ad filiam eius deuoluta eſt, & illa ſine prole decedente, ad Deuereuxios, qui eo nomine per Elizabetham Reginam Comitatus Eſſexienſis honore poſtea ſunt ornati, quo & hodie potiuntur. Inter ea vero Cromwellus (qui apud Regem primum gratiæ locum adhuc tenebat,) 18. Aprilis Eſſexiæ Comes creatus eſt. Ecce vero rerum humanarum fragilitatem: Iſte, cuius fœlicitatem omnes admirabantur, plurimi inuiſam habebant, quod ab infimo

Cromwellus Comes Eſſexiæ, & tertio poſt menſe decapitatur.

ſimo loco ad honorum ſummorum apicem in paucorum annorum curriculo conſcendiſſet: ſubito, & nihil minus expectans, in ipſo regiorum conſiliorum conſeſſu comprehenditur, atque in carcerem conijcitur, vnde nunquam, donec ad vltimum ſupplicium ſubeundum emiſſus eſt. Nam in ipſo Parliamento iam Aprilis [illegible]. conuocato, Maieſtatis læſæ ſimul ac hæreſeos accuſatus, at lata lege inauditus damnatus eſt: tumque 28. Iulij, poſtquam comprehenſus fuerat nondum viceſimo die tranſacto, ſecuri publicè percuſſus. Si quis iam miratus, quod amicum Rex & intimum familiarem, quem paucis antea menſibus in ſummo procerum ordine collocarat, cuiuſque opera & conſilio tam diu vſus fuerit, non ſolum abiecerit derepente, ſed è medio tollendum curarit, tantæ tamque repentinæ mutationis cauſam quærere perſeuerarit: Pontificios audiet dicentes, non temere hanc cladem aut fortuito accidiſſe, ſed diuinitùs immiſſam, in pœnam ſacrilegij, cuius author Regi ferebatur, cœnobia euertendo. Et non deſunt ſane homines docti pijque, qui quanquam inficias non iverint, otioſos & ventri deditos homines ex his latibulis vtiliter excitatos, & ſuperſtitiones quibus cultus diuinus inquinatus eſt optimè abolitas: tamen quòd tot tamque magnificas baſilicas vt in ijs DEVS coleretur à maioribus conditas, à fundamentis deſtruxerint: quod opum eccleſiaſticarum tantam vim interuerterint, & priuatis vſibus addixerint: quodque locum plane nullum reliquerint vbi Monaſticam vitam ſecundum exemplum antiquorum patrum piè tranſigere volentes quietè degerent, à mundanis occupationibus ſegregati, & ſiue ſcriptioni, ſiue contemplationi (homines ad res adminiſtrandas ſiue publicas ſiue priuatas minus apti, quales multi reperiuntur) toti incumberent, adeo profecto non probant, vt ob iſta vtrique DEVM multò minus propitium extitiſſe ſibi perſuaſiſſimum eſſe profiteantur. Enimuero Sleydanus (cui Foxus noſter aſſentitur) à ſcopo fortaſſis haud longè aberrans, propiorem huiuſce cædis cauſam exquirens, huiuſmodi adducit. His ferè diebus (inquit) Angliæ Rex, Tho. Gromwellum, quem ex infimo loco perduxerat ad ſummam dignitatem, capite plectit, & Annam Cliuenſem repudiat, & Catharinam Hauardam Norfolciæ ducis è 1540.

fratre neptim in matrimonium ducit. Cromwellus fuerat ſua-
1540. ſor connubij Clivenſis. Cum autem Rex Havardam poſt a-
Anna Cli- damaret, impulſus ab ea fuiſſe putatur, ut Cromwellus, quem
venſis repudi- ſuis illa rebus obſtare iudicabat, è medio tolleretur. Nunc igi-
ata. tur ad narrandum tempus eſſe videtur quomodo Regina nuper ducta repudiata eſt. Poſtquam 6. menſes in hoc eſſent coniugio tranſacti, & nemo quiſquam ſcrupulum in jceret firmum id eſſet necne, Rex etiam & Regina vbique læti amoris mutui plurima quotidiè ederent teſtimonia: Iunij viceſimo Reginæ imperatum eſt, Londino (ubi tum propter Parliamentum Rex morabatur) Richmondiam ſecedat, locum ſcilicet & ſalubriorem & amœniorem multo quam is vbi antea degebat. Paucis vero tum poſteà diebus, Procerum quidam ad ſecundum ſive inferiorem Parliamenti ſenatum venerunt (nam duo ſunt, quorum alter ex proceribus conſtat eccleſiaſticis & ſecularibus, Epiſcopis nimirum, ac deinde Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Vicecomitibus & Baronibus, alter verò ex certis viris per ſingulas provincias & civitates hinc inde delectis) rationes adferentes, ex quibus demonſtrabant, invalidum eſſe Regis cum Clivenſi matrimonium, vt vtrique liceat pro libitu novum inire. Atque hæ rationes ad eccleſiaſticam Synodum tum congregatam ſimiliter delatæ, omnium conſenſu approbatæ ſunt. Quapropter ab univerſis ordinibus conſentiente etiam Regina (ſive metus id expreſſerit, ſiue ſponte fecerit, non habeo pronuntiare) lex lata eſt, in qua irritum id matrimonium & viribus caſſum pronuntiatum. Quænam fuerint rationes prædictæ non poſſum pro certo affirmare. Sunt qui dicant vitium corporis mulieri obiectum, quod eo probabilius videtur, quia in literis quibus illa Parliamenti iudicio & ordinationi ſe ſubmiſit, à Rege ſe nunquam carnaliter cognitam aſſeverat. Vtut fuerit, in ordinem redacta, privatam vitam multos egit annos, & cum non ſuſtineret tali affecta ignominia ad ſuos reverti, in agris ſibi aſſignatis diù vixit, à Rege ſemper habita benignè, ac Iulij 15. 1557. defuncta, Weſtmonaſterij ad auſtrale latus presbyterij in tumulo nondum abſoluto
Rex Cath. condita eſt. Cæterùm Rex Synodi & ordinum decreto vixdum
Havardam perfecto, ſydere haud magis fauſto quàm priores, quintã duxit
ducit uxorem uxorem, Cath. nempe Havardam, Norfolciæ Ducis ex Edmundo

mundo fratre neptim. Quando fuerint nuptiæ celebratæ non liquet, ſed Auguſti octavo Regijs ornamentis indutam in publicum Catharinam proceſſiſſe, conſtat. Qui reformationi favebant, hoc Reginæ caſu audito, animum magnopere deſpondebant: exiſtimantes (nec ſine cauſâ) diſſidium inde cum Germanis Principibus oriturum, ut iam poſthac Regi neceſſum ſit futurum, illorum præſidio niti, quibus noſter à Pontificijs diſceſſus cordi non erat. At Rex in cœpto curriculo eodem adhuc tenore perſiſtens, quicquid vſpiam opponeretur proſternens: non ſolum Anabaptiſtas tres Maij tertio comburi permiſit Londini, ſed multos noſtræ Religionis profeſſores, paſſim per diverſa regni loca ignibus tradidit, quod ſex articulos non probarent quos in Parliamento ſuperioris anni propoſitos diximus. Inter cæteros verò præcipuè eminebant tres Theologi: Ro. Barnus Doctor, Tho. Gerardus & Gul. Ieronymus Baccalaurei, qui lata lege inauditi in Parliamento hæreſeos damnati, ac ergaſtulo educti, Iulij trigeſimo primo igne ſtatim crudeliter abſumpti ſunt. Eodem porrò & tempore & loco, videlicet in foro quod Smithfieldia dicitur Londini, tres alij ſuſpenſi, Theologi ſimiliter & Doctores, quod Regem Eccleſiæ Anglicanæ caput noluiſſent agnoſcere: Edw. Powellus, Tho. Ablius, & Richar. Fetherſtonus: adeo mirantibus non ſine cauſâ ſpectatorum permultis, vt exclamaſſe dicatur Gallus quidam, latinis verbis, hac voce vſus, DEVS bone quomodo hic vivunt gentes? ſuſpenduntur Papiſtæ, comburuntur Antipapiſtæ. Sed quarto deinde Auguſti VII. alij, monachiſmi acres defenſores (quo crimine nullum iam aliud capitalius erat) lata lege in Parliamento damnati, ſuſpenſi ſunt: Laurentius Cocus Dancaſtrenſis cœnobij Prior, & ſex alij. Hoc etiam anno, ſed eodem cum Cromwello die, crimen quoddam non nominandum capite luit Hungerfordius Baro, impatienter adeo eam calamitatem ferens, ut multis mentis vix compos videretur, cum qui concomitabatur Cromwellus, impavidè conſtantiſſiméque ſupplicium pertulerit.

1540.

Plectuntur ſimul Theologi Pontificij & noſtrates.

Dancaſtriæ prior cum 6. alijs ſuſpenditur.

Hungerfodius ſuſpenditur.

1541.

ANNO CHRISTI 1541. REG. 33.

Seditionis initia in agro Eborac.

IN agro Eboracenſi, non ita pridem ſopitum ſeditionis incendium, iam rurſus menſe Aprili cœpit è favillis erumpere. Sed multatis incentoribus ; momento levi id oppreſſum eſt. Coniuratorum 14. vltimo ſupplicio affecti ; Leus videlicet quidam homo nobilis, Thorntonus plebeius, & Tatterſallus pannorum opifex, Londini: Iohannes verò Nevilius eques auratus, ac cum illo plus minus 10. alij, Eboraci. Maij 27. Margareta Sariſburiæ Comitiſſa, quam ad mortem damnatam ante biennium retulimus, in arce Londinenſi ſecuri percuſſa eſt. Iunij 25. Leonardus Graius Hiberniæ modo Prorex conſimile ſupplicium publicè ſubijt, in loco nimirum qui Towerhill appellatur, quaſi dicas, collis iuxta arcem. Huic pater fuit Graius Marchio Dorſetius, Regis propinquus, & ipſe vir ſtrenuiſſimus in bello vtiliſſimam reipublicæ operam ſæpe navaverat.

Leonardus Graius decollatus.

Iam nihilo ſecius quod Giraldum Figaretum nepotem ſuum, Thomæ ante quadriennium decapitati fratrem, hoſtem iudicatum, captum dimiſiſſet, quódque ſociorum agros ſimultatibus indulgens devaſtaſſet, proditionis reus factus & damnatus, hoc modo vitam, ſed non ſine conſtantiæ laude terminavit.

Dacrius ſuſpenſus.

Eodemmet ipſo die Thomas Fineus Baro Dacrius, 24. annorum adoleſcens, ſuſpendio necatus eſt vnà cum alijs aliquot nobilibus, quod rixa inter eos alióſque fortè nonnullos oborta, à verbis ad verbera progreſſi, in pugna plebeium quendam interemiſſent, multis vicem eius dolentibus, & quaſi ſummo iure cum illo actum eſſet, clementiam Regis magnoperè deſiderantibus.

ANNO CHRISTI 1542. REG. 34.

Cath. Regina plectitur.

SVb huius anni initium, Catharinæ Reginæ ſcortationes fœdæ, in lucem prolatæ ipſi tandem exitio fuerunt. Nam in Parliamento 16. Ianuarij inchoato, lata lex eſt, in qua, non ſolum ipſa ad mortem damnatur, atque vnà, Iana, quæ uxor fuerat Vicecomitis Rupefortij (quæque ſuo indicio, ne dicam calumnijs, & maritum ſuum, & ſororem eius Annam Boleniam

Digitized by Google

am Reginam perdidiſſe putatur) verum etiam duo alij, qui iamdudum vltimo ſupplicio affecti fuerant, Franciſcus Diramus & Thomas Culpeperus, geminata damnatione, iuſtè puniti iudicantur. Diramus eam (Havardam inquam) adhuc virginem vitiarat, & cum poſteà in Hiberniam profectus, neſcio quid publici muneris conſequutus fuiſſet: ab ea iam Regina accerſitus, domeſticorum ſuorum numero aſcriptus erat. Vtrum verò poſt reditum cum ea rem habuerit, haud liquet. Cæterum Culpeperus, Rupefortia conciliante, multos cum Regina clandeſtinos congreſſus habuiſſe arguebatur: ut de admiſſo ſtupro nullus eſſet dubitandi locus. Ob iſta crimina in aream arcis Londinenſis vnà cum Rupefortiâ 12. Februarij deducta, ambæ ſecuri percuſſæ ſunt. Diramus in patibulo Tiborniensi 10. die Decembris fuerat ſuſpenſus, & Culpepero ibidem caput amputatum. Ianuarij deinde 23. edictum publicè propoſitum eſt, in quo iubentur omnes Hiberniæ poſthac Regem, Henricum apellare, cum hactenus Hiberniæ dominorum titulo Principes noſtri vſi fuerint, non Regum. Ordines nimirum Hiberniæ in Parliamento ibidem congregati, id nuper ſanxerant, quod apud quoſdam ſeditioſos Domini nomen non perinde ſanctum & verendum eſſe exiſtimarent. Circa idipſum tempus mortem obijt Vicecomes Liſlius, Edwardi quarti Regis filius nothus, idque (ut ferebatur) repentino nimióque gaudio quaſi ſuffocatus. Nam cum duo eius famuli, ob conſilium de Caletenſi civitate Gallis prodenda anno ſuperiori morte fuiſſent mulctati, ipſe etiam Vicecomes quaſi huiuſce proditionis conſcius inſimulatus, in carcerem (arcem nimirum Londinenſem) coniectus fuerat. Cumque poſt diuturnum examen, liquidò conſtaret, inſonti accuſationem huiuſmodi iniuſtè intentatam: placuit Regi amandare ad illum Wriothſleum amanuenſium Principem, aut (ut hodiè loquimur) ſummum Secretarium, nuntiare iubens, exploratum ſe iam tandem habere quam immunis eſſet à ſcelere cuius argueretur, ac proinde iuberet bono eſſet animo, ac non ſolum illico liberandum fidem faceret, ſed avunculi chariſſimi & amici fideliſſimi locum ſemper apud eum habiturum. Iſta poſtquam à Wriothſleo homine deſertiſſimo ingenti cum voluptate audiviſſet, & ſimul gemmam non minimi pretij benevolentiæ

1542.

Hibernia regni nomine inſignitur.

Vicecomes Liſlius gaudio extinctus.

1542. Regiæ arrhabonem accepiſſet: gaudio concepto impar, nulla alia ægritudine tentatus, nocte inſequenti expiravit. Illo igitur ſic extincto, Iohannes Dudlæus eques auratus, Vicecomitis Liſlei dignitatem Martij 12. conſequutus eſt, quam nimirum hæreditario iure ad ſe contendebat devolutam, quandoquidem Arthuri vxor Elizabetha Edwardi Graij Vicecomitis filia & hæres, mater ſua extitiſſet, utpote Edmundo Dudlæo Iudici fiſcali primo nupta, quem huius Regis anno primo decapitatum diximus. Id eo diligentius commemorandum duxi, quod hic vir ad ampliſſimam dignitatem poſteà evadens, & potentiam maximam; ſua tamen ſobole quam propria magnitudine fœlicior videri potuiſſet, niſi filiorum egregiæ indolis & formæ iuvenum, alios paterna ambitio perdidiſſet, cæteros ſine prole maſcula (legitima ſaltem) decedentes, tantæ familiæ interitus fuiſſet inſequutus. Sed hiſce de rebus poſteà. Vt interim in inſtituto curſu progrediamur, ſub finem iſtius anni, Decembris nempe 13. exceſsit è vivis Iacobus quintus Scotorum Rex, qui Regis noſtri ex ſorore nepos, ſemper tamen amicitiam noſtram Gallicæ poſtponere viſus eſt. Nam cum aliquot ab hinc annis, dum adhuc cœlebs viveret, Henricus noſter Mariam vnicam filiam ipſi deſpondere non gravaretur, & totius Britanniæ Regem poſt ſe relicturum ſpem faceret ſi ſine prole maſcula decederet: ad Gallicas tamen nuptias pronior, primùm Galli filiam Magdalenam, ac ea poſt paucos dies morte ſublata, Mariam Guiſiam Longuillani Ducis viduam duxit uxorem. Cumque nepotem viſendi Rex cupidus, cordi ſibi fore ſignificaſſet, vt Eboraci aut alibi loco aliquo opportuno congrederentur: ne hoc quidem potuit impetrare ab eo, qui longum & periculoſum iter in Galliam haud invitatus poſteà ſuſcepit. Hæc prima diſcordiarum ſemina, quæ tandem in bellum eruperunt, quanquam non magnum aut grave, Scoto tamen (ut caſus tulit) funeſtum & exitiale. Nam cum neque certa pax, nec bellum iam fuiſſet per annum vnum aut alterum, prædis vtrobique paſsim abactis, neque tamen bello denunciato: viſum eſt tandem Norfolciæ Ducem copijs præficere, qui ferocientes Scotos reprimerent & res per limitem regni turbatas componerent. Noſtros igitur in armis eſſe vt Scotus inaudiviſſet: legatum ad Norfolcium miſit, de belli iam inferendi cauſis

Io. Dudlæus Vicecomes Liſlius.

Bellum Scoticum.

cauſis expoſtulatum: & interim, Georgium Gordonium cum mediocri manu ad regni limitem amandauit, vt incurſionum licentiam inhiberet. Legatum retineri placuit, donec Bervicum eſſet peruentum, ne de viribus & apparatu quicquam enuntiaret noſtrorum: qui Octobris 21. hoſticum ingreſſi, vniuerſam circumquaque regionem depopulati ſunt ad medium vſque Nouembris, vix vſquam hoſte conſpecto. Regem Scotorum ferunt pugnæ cupidiſſimum & magnis copijs ſtipatum, quo minus confligeret à nobilitate retentum, in quos ille, plenus irarum, multa ſudit conuitia, imbelles & maioribus eos indignos compellans, ac ſubinde dictitans, quando ab eis proditus eſſet, ſe cum ſua familia quod illi renuiſſent facturum. Maxwellius igitur Baro, vt iracundiam eius ex parte leniret, promiſit, ſi ſibi decem tantum millia permitterentur, per Soluæum in Angliam ſe penetraturum, ibique cum copijs, noſtris longe minoribus, noſtrorum in Scotia populationes repenſurum. Rex vero proceribus infenſus, etſi Maxwellij poſtulato annuere videbatur: Oliuero cuidam Sinclaro literas dedit occultas, quas in ipſo rei gerendæ articulo promeret, in quibus nempe Oliuerus omnium copiarum Dux conſtitutus erat. In Angliam igitur profecti, quàm primum à longe hoſtes in conſpectu haberent (ij erant Thomas Bartonus & Gul. Muſgrauius, qui quingentorum equitum cohortem ducebant, qua incurſiones Scotorũ inhiberẽt) Oliuerus Sinclarus, proferri iuſſit literas Regias & coram omnibus recitari. Earum lectione adeo totus exercitus offenſus eſt, ac in primis Maxwellius, vt ordinibus ſolutis, omnes confundi ac miſceri ſtatim cœperint. Quod è loco ſuperiori noſtri fortè conſpicati, occaſione vtendum rati, magno clamore perturbatos aggreſſi, primo impetu in fugam omnes coniecerunt. Fugientes multi cæſi, multi etiam capti, ſed plures feruntur in paludibus vicinis ſubmerſi, & à prædonibus Scotis capti, noſtriſque poſtea venditi. Inter captiuos recenſentur Comites duo, Caſſilenſis & Glencarnius, Barones VI. Sinclarus prædictus, & Maxwellius Scotiæ Admirallius, Flemingus, deinde Somerwellus, Oliphantus, & Graius: præter quos ducenti numerantur honeſto loco nati, & gregariorum militum 800. Hac clade ſuorumque proteruia Rex (Scoticus inquam) plurimum commotus:

1542.

Scotorum clades.

Digitized by Google

1542. commotus: cumque eodem tempore fœcialem quendam Anglicum in Scotia interemptum accepiſſet, quod ſupra quam credi par eſt animum iam antea ſaucium offendit: ira & indignatione quandoque flagrans, nonnunquam deinde totus in mœſtitia defixus & dolore ſquallidus, in febrim protinus incidit, quâ intra paucos dies extinctus eſt, ætatis anno trigeſimotertio regni trigeſimoſecundo, vnica relicta filia Regni hærede, quæ octauo antea die nata fertur. Captivorum interea, præcipui nominis 21. Londinum deducti, quo pervenerunt Decemb. 19. & in arcem Londinenſem (quam turrim nuncupamus) coniecti, poſt biduum in Senatum Regium producti ſunt. Vbi poſtquam Cancellarius perfidiæ eos & iniuſtitiæ inſimulaſſet, quod bello non indicto, fines noſtros ingreſſi cædibus & incendijs omnia fœdaſſent, multaque alia contra ius fáſque perpetraſſent, vt ſi pro merito tractarentur, multo cum illis durius agendum diceret: Regi tamen pro inſita clementia placere, vt inter magnates diſtributi, comiter exciperentur, donec ex amicorum ſententia, quid amplius faciendum eſſet, ſtatuiſſet. Paucos poſtea dies cum de morte Regia nuntius allatus eſſet, mentio (incertum vnde primum) orta eſt, de nuptijs inter Edwardum Principem & Mariam Scotorum modo Reginam conficiendis. Quæ res quo animorum aſſenſu vtrobique ſit excepta, mirandum ducerem, niſi temporum noſtrorum fœlicitas, poſtquam gens vtraque vnius Principis imperio ſubiecta eſt, nihil omnibus votis expetendum magis docuiſſet. Nemini perſuaſum erat tantum potuiſſe factioſorum paucorum conſpirationem, vt quod tanto vtriuſq; gentis bono futurum erat impedirent. Quaſi igitur inita iam ratione, omnes diſcordiarum non radices extirpandi, ſed fibras penitùs euellendi, in vnam iam poſt hac ditionem hæ duæ gentes coituræ eſſent, dimitti placuit captiuos in vniuerſum omnes, datis duntaxat obſidibus qui pignori eſſent (quod etiam ſanctè promiſerunt) redituros ſeſe, niſi pax conditionibus minime iniquis breui confecta foret; & conſtaret, operam daturos omnes, vt hæ nuptiæ conficerentur, quatenùs ſine publico detrimento ſuaque priuata infamia, eam poſſent adhibere.

Iac. V. R. Scotorum moritur.

Agitur de nuptijs Edw. Princip. & Scot. Reginæ.

Digitized by Google

1543.

ANNO CHRISTI 1543. REGN. 35.

CVM igitur Londini 12. dierum (nec amplius) moram feciſſent captiui prædicti; Scotiam verſus iter ceperunt in ipſis Calendis Ianuarij, quo die per Enfeldiam tranſeuntes vbi Edwardus Princeps tunc temporis degebat, epulo ibidem excepti, oris in eo venuſtatem, & indolem ſupra ætatem egregiam magnopere admirati ſunt. Cum illis ſimul reverſus eſt Archibaldus Duglaſſius Anguſiæ Comes, quem Iacobus Rex privignus eius paulo ante mortem reuocare decreuerat. Totos quindecim annos in Anglia is exularat vnà cum Georgio fratre, munificentia interim ſubleuati Regis noſtri, qui Comiti ſororio ſuo, mille Marcas annuas, Georgio quingentas quibus poſſent ſuſtentari, largitus eſt. Reverſos magna plurimorum gratulatio excepit. Cardinali vero S. Andreæ (qui per adulterinum teſtamentum quod Regi ſubiecerat ſe ipſum Proregem conſtituerat) & cæteris factioni eius addictis, aduentus illorum minùs extitit gratus. Nam cum pacem ij ſuaderent & fœdus cum noſtris, atque perpetuæ pacis firmamentum coniugium antea dictum: Cardinalis cum vniuerſo Clero & quotquot ſuæ factioni illi poterant adiungere, Regina item vidua & Gallici nominis ſtudioſi, manibus pedibúſque ne vllo modo tranſigeretur adlaborabant. Habito tamen conuentu menſo Martio, detectâ Cardinalis fraude, non ſolum Magiſtratu is amotus eſt, (Iacobo Hamiltonio ſubrogato Araniæ Comite) ſed etiam datus in cuſtodiam, vnde poſtea elapſus, omnia turbauit. Interim vero de Matrimonio Reginæ & alijs conditionibus ab Oratore noſtro Radulpho Sadlero equite propoſitis, ab omnibus in conuentu ordinibus conſenſum eſt, & obſides etiam hæc firma fore nobis promiſſi. Cum vero poſtea dies adueniſſet obſides huiuſmodi nobis in manus tradendi, tantum valuit aduerſa factio, vt neque ij traditi fuerint, & nobiles modo captiui in Anglia omnem curam fidem promiſſorum exoluendi abiecerint. Vnus inter omnes inuentus eſt, Gilbertus Kenneda Comes Caſſilenſis, qui à conſtantia fidei ſeruandæ nullo modo potuit depelli. Nam cum duos fratres pro ſe obſides reliquiſſet, vt ſimul honori

Captiui dimittuntur.

Anguſiæ Co. poſt longum exilium reuocatur.

Aureos 2200.

De fœdere & matrimonio conuenit.

Digitized by Google

1543. nori ſuo & illis conſuleret, multis reclamantibus, vim porro nonnullis intentantibus, Londinum recta perrexit: vbi à munifico Rege non ſolum magnopere laudatus, verum liberatus illico vnà cum fratribus, & omnes muneribus honeſtati domum remiſſi. Poſtquam igitur pactis & conuentis non ſtari Rex animaduertit: nauibus Scotorum cunctis quotquot per Angliæ portus reperiri vſquam poterant manus injici curauit, & merces ad fiſcum rapi: Deinde literas minarum & iuſtæ quærelæ plenas ad Edimburgenſes miſit: iure increpans, quod amicitiam ſuam, quâ facile carere non poſſent, oblatam, adeo arroganter reiecisſent, nec reiecisſent modo, ſed beneficijs prouocati, belli ſemina ſpargerent, & ipſum inuitum ad arma cogerent. His literis cum nihil profeciſſet; in Scotorum fines copias emiſit ex limitaenis plerunque collectas, quæ agmine triplici profectæ, rapinis, cædibus & incendijs totam regionem limiti vicinam depopulantes; homines 40. auſos reſiſtere obtruncarunt, pagos incenderunt 55. captiuos abduxerunt 560. & abegerunt pecorum 3500. equorum 800. ouiumque 7000. præter magnam ſupellectilis vim, quam in Angliam, incolumes omnes reuerſi, reportarunt. Hæc menſe Nouembri. Rex interea gnarus, Gallorum technis has turbas in Scotia excitatas: animo iam olim à Gallo ſemim alienato, nunc totus vindictam ſpirans: Bellum, ſicut antea Scotis, ſic nunc etiam Gallo, veteri per multos annos amico, Auguſti tertio indixit, & Cæſari (quem paulo ante hoſtem, propter amitæ contumeliam illatam, implacabilem, omnes cenſebant) reconciliatus eſt: illo dicente, omnem ſimultatis cauſam nunc inter eos ſublatam, poſtquam matertera diem ſuum obijſſet: cum tamen omnibus conſtaret, Romæ apud Pontificem accuſationem Regi eum intentaſſe, quaſi veneno vxorem ſuſtuliſſet. Nunc attamen icto fœdere, ad Gallum oppugnandum 10. millia hominum ipſi à Rege attributa ſunt. Hæ copiæ Cæſarianis coniunctæ, Landreſium (Cæſarianæ ditionis oppidum, ſed nuper à Gallis captum & munitum) obſederunt. Ad eos ipſe Cæſar venit menſe Octobri cum ingenti exercitu: venit etiam Gallus vt obſidionem ſolueret, magnas trahens copias. Ad prælium res ſpectare videbatur, quando Galli, velitationibus noſtros diſtinentes,

Scotorom naues in Anglia detinentur.

Bellum cum Scotis.

Gallo bellum indicitur.

Reconciliatio & fœdus cum Cæſare. Landreſium obſidetur fruſtra.

neſtes, annonam interea oppido intulerunt, & militem recentem, cæteraque omnia quibus obſeſſi indigere viſi ſunt. Hoc facto, collectis ſarcinis, noctu copias abduxerunt. Hactenus de rebus foras & apud exteros geſtis. Nunc ut ad domeſtica veniamus, menſe Feb. edictum publicè propoſitum eſt, quo omnibus ſit poteſtas lacticinia tempore quadrageſimali comedendi: ſed ita, vt carnibus qui veſcerentur, graui mulctæ ſubiacerent. Maij 8. de Lechijs fratribus & ſacerdote quodam ſupplicium Londini ſumptum, quod ſœcialem noſtrum Dunbarræ in Scotia interemiſſent. Angli ij erant, ex agro Lincolnienſi, & ſeditioſorum anteſignani, vt pœnam metuentes in Scotiam profugerint. Admiſſo demum ibidem hoc ſcelere, oratori noſtro depoſcenti, ad pœnam de ijs ſumendam dediti videntur. Iunij tertio Obrinius magnæ potentiæ nobilis Hibernus, ſe ſuaque omnia Regiæ fidei commendauit, & paucis poſtea diebus Comes ſit Towmundiæ, quo honore poſteri eius hodie potiuntur. Iulij 12. ſextam Rex duxit vxorem Catharinam Parram, quæ Latimero Baroni prius nupta fuerat, & Gulielmi Parri ſoror, illius nimirum qui Decemb. 24. Eſſexiæ Comes renuntiatus fuerat, idque propter vxorem, Henrici Bourchieri Comitis filiam vnicam & hæredem. Quo etiam tempore alius eodem nuncupatus nomine, Reginæ & prædicti Comitis auunculus, Baro creatur, & Reginæ cubiculariorum præfectus. Iulij interim 28. pij quidam ob veræ Religionis profeſſionem Windeſoriæ combuſti ſunt, Ant. Parſonus, Rob. Teſtwood, & Henricus Filmerus: quartus etiam Ioann. Marbeckius eodem tempore damnatus, ſed per clementiam Regiam ſeruatus eſt.

1543.

Lacticiniorum eſus permittitur tempore Quadrageſimali.

Sextum Regis matrimonium.

Gul. Parr. Comes Eſſexiæ.

Alius Gul. Parr. Baro.

ANNO CHRISTI 1544. REG. 36.

OBEVNTI pridie Cal. Maij Tho. Audlæo Cancellario, Tho. Baro Wriothſleus Secretarius ſummus, ſucceſſor deſignatus eſt: ac Edw. Seimerius Hertfordiæ Comes, dimitis Regni Septentrionalis ſupremus præfectus conſtituitur, copijs attributis quibus incolas ab incurſione Scotorum tueretur. Vicecomiti vero Liſlæo Thalaſſiarchæ, aut (vt loquimur) Admirallio, ducentarũ nauium claſſis committitur, quibus in Scotia

Cancellarius moritur.

In Scotiam expeditio.

1545. mari rem gerat. Is eo delatus, paulo ſupra Letham, 10. millia

Edimburgũ & Letha captæ, direptæ & incenſæ.

hominum quarto die Maij expoſuit, nullóque repugnante, oppido potitus eſt ſupra ſpem opulento, ac diuitijs plurimis referto. Hic triduum moratus, donec videlicet impedimenta & machinas è nauibus exportaſſet: Edimburgum copias ducit, vbi tunc erat Prorex, & (cui ſe iam totum is tradiderat) Cardinalis, cum plurimis proceribus. Dicuntur ij ſex millibus equitum ſtipati, & peditum magno ſed incerto numero. Congredi tamen non auſi, vix conſpectis noſtris abierunt. Vt oppido appropinquatum eſt, egreſſus cum alijs nonnullis Præpoſitus (quo nomine magiſtratus vrbanus illic cenſetur) Vrbem ſe tradere paratum dicit, modo ciuibus detur facultas migrandi, & bona ſua quo velint exportandi, oppidum etiam ab incendio ſi immune ſit ſeruandum. Ad quæ poſtulata reſpondit Liſleius, non alium in finem ſe veniſſe, quàm vt fœderis ſimul icti & violati pœnas ſumeret. Neque vero legato Regio inſultatum vſquam petulantiùs quam illic, ab Edimburgenſibus nimirum, ac deinde Lethenſibus. Decretum proinde omnibus belli malis totam eam regionem affligere, & quos nactus fuiſſet, cunctos ad internecionem delere. Quapropter faceſſeret, ſeque vti poſſet ad defenſionem pararet, ni mallet imparatus opprimi. Hoc cum ille faceret diligenter, impedire tamen non potuit quo minus noſtri in ciuitatem per portam quæ Canina dicitur perrumperent. Ibi multis Scotorum cæſis, oppido capto, direpto & incenſo: ad vicinas regiones depopulandas noſtri diſperſi, vix pagum, arcem aut nobilis cuiuſquam villam, intra ſeptimum ab Edimburgo lapidem reliquerunt, quam ferro flammáque non deuaſtarint. Letham tandem reuertentes, ædificijs ibidem ignem ſubiecerunt, molem ad portum magno ſumptu ædificatam deſtruxerunt, ac deinde nauibus conſcenſis vela fecerunt.

In Picardiã expeditio.

Inde vix reuerſus Liſleius, cum exercitu ad Gallicam expeditionem parato, Caletum traijcere iubetur, vt cum Comite Burano & Roxio Cæſarianis ducibus, iunctis copijs, in Galli ditionem impreſſionem faciant. Conuenerat ſiquidem inter Cæſarem & Regem noſtrum, vt ille, Campanorum fines cum exercitu (quem tum in Germania maximum habebat) ingrederetur, & noſtris quando in Picardiam (ſiue mauis Morinos

Digitized by Google

nos dicere) peruenillent, Buranum (vti diximus) & Roxium cum ſuis adiungeret. Deinde conſilium erat, vt nullibi moram facientes, Lutetiam vterque rectâ contenderet, ibique iunctis ſimul vniuerſis copijs, (in quibus peditum futuri erant 80. millia, equitum 18. millia omni bellici apparatus genere optimè inſtructorum) Gallum ad dimicandum compellerent, niſi mallet patriam ſe coram inſpectante igne ferróque deuaſtari. Caletum igitur noſtri ſub initium Iunij appulerunt. Cumque in Picardiâ magnam ſolitudinem offendiſſent, propterea quod Gallus in Campaniam vires ſuas traduxerat, quo Cæſarem iter facturum acceperat: Placuit noſtris (quibus tum præfectus erat Dux Norfolcius) Montrolium obſidere. Idque ab illis agi quamprimum ſenſit Bieſius qui Boloniæ præerat: & vt cæteris circum circa oppidis proſpiceret, mandatum à Rege ſuo acceperat: Eo non ſolum ipſe maturauit, ſed militiæ florem ſecum abduxit, relicto qui Boloniam tueretur Veruinio genero ſuo, modico rerum vſu prædito iuuene. Occaſio inde noſtris data videtur oppidum Caleto vicinum, & propter alias commoditates non parui momenti æſtimandum, modo paucos ibidem dies opperiri velimus, occupandi. Cuius rei Rex admonitus, qui Iulij 14. Caleti applicuerat, reuocato à Montrolio Norfolcio Duce cum ſuis, omiſſo etiam quod Lutetiam inſtituerat itinere, Boloniam admoueri iubet quas ipſe copias adduxerat: id quod decimonono Iulij factum eſt, & ipſe 26. eiuſdem menſis ſubſequitur. In orientali oppidi parte Caſtra primum collocata ſunt à Suffolciæ Duce ſuper collem quendam, vnde poſtea deſcenſum eſt in propinquam vallem. Ibi cum erumpentibus præſidiarijs, multæ velitationes & leuiora certamina habita ſunt, donec circundato fere Oppido foſſis & operibus, Rege etiam ad Aquilonarem oppidi partem caſtra metante, egrediendi via oppidanis iam poſtea non patuit. Suburbia tum ſiue oppidum inferius noſtri adorti ſunt: quod Galli futurum præſentientes, ſubiecto retibus piſcatorum & alijs quiſquilijs igne, fumum excitarunt, quo tecti, in oppidum ſuperius ſe receperunt, à noſtris non conſpecti (quod aliter niſi difficulter & cum magna ſuorum iactura non præſtitiſſent) & locum defenſoribus vacuum nobis reliquerunt. Sic noſtri, aſſeuerantibus

1544.

Montrolium obſidetur fruſtra.

Boloniæ obſidio.

1544. bus Gallis ſerio oppidum incenſum, à noſtris vero incendium reſtinctum eſſe. Pharus deinde (quem Galli turrem ordinis, noſtri Senem appellant, & 20. militum præſidio tenebatur) poſtquam aliquandiu machinis æneis conquaſſatus extitiſſet, amiſſis præſidiariorum plurimis, noſtris in manus traditus eſt. Tum quatuor ſimul in locis mœnia ciuitatis verberari cœpta. Sed plurimum damni ab orientali parte illatum, vbi à tormentis in tumulo quodam collocatis, Eccleſiæ Beatæ Mariæ ſacra turris deiecta eſt, ciuium tecta lacerata, & ipſi ciues per vicos tranſeuntes elidebantur. Cum vero adhuc ea ratione parum proficeretur, quod muri, quamuis multum quaſſati, aditum tamen non præberent impetum facturis militibus noſtris: ſubtus murum actis cuniculis, eius magna pars vi pulueris tormentarij ibidem incenſi concuſſa, magno cum fragore concidit. Hic noſtri dum aliquoties irrumpere tentant, ab oppidanis fortiter repulſi, è ſuis non paucos amiſerunt, ſed maiore hoſtium detrimento, interfecto ibidem præter alios multos Philippo Corſo, cuius vnius virtute tam diu oppidum defenſum eſt. Neque vero operæ pretium me non facturum reor, ſi quomodo hîc talis ac tantus vir interemptus feratur perſcribam, modo ſaltem id verum ſit quod ab hominibus fide dignis accepi qui huic expeditioni interfuerunt. Non procul à muri deiecti hiatu prædicto, locus erat ſiue ab initio manu factus (ſiue nuper ab ictu tormentario perforatus id vero non poſſum pronuntiare) quo propius accedentes, in ipſum oppidum poſſent deſpectare. Eo igitur noſtratium multi venerunt hoſtiles operas viſendi ſtudio, ſed adeo nemo impunè vt penè priuſquam oculos conuertere poſſent ad ſpectandum, globulo ex bombardâ emiſſo proſternerentur. Quod cum noſtratium quidam cæteris fortè paulo aſtutior animaduerteret, cadaueri neſcio cui caput amputauit, & conto tranſfixum loco prædicto admouit, cumque à bombardario protinus id percuſſum ſenſiſſet, tum demum inſpexit, & tantæ ſtragis authorem prope vidit aſtantem Philippum Corſum, in quem imparatum ac iam nihil tale ſuſpicantem, ſcloppum exonerauit. Veruinius igitur eo viro orbatus, ipſe rei militaris imperitus & ſuſtinendæ obſidioni impar, haud difficulter inductus eſt, vt de tradendo oppido paciſcatur, his conditionibus: nempe, vt militibus

Philippus Corſus occiditur.

Bolonia deditur.

militibus ciuibúſque cum impedimentis abire liceat, tormenta autem, tela, commeatum, & arma (quorum omnium ingens erat copia) noſtris diſcedentes relinquant. Vrbani pactioni huiuſmodi vehementer repugnabant, ac præſertim poſteaquam cum noſtris Veruinius conueniſſet: Nam acciderat interea, vt continuis imbribus humectato ſupra modum ſolo, figere veſtigium, noſtri irrupturi, propter lubricitatem non potuerint. Et aduentare dicebatur Delphinus cum magnis copijs. Sed ille fidem vel hoſti ſeruandam profeſſus, à deditionis propoſito ſe dimoueri paſſus non eſt, ob eamque rem accuſatus poſteà, & ſententia ſatis dura proditionis damnatus, Lutetiæ (vt habet Bellaius) vltimo ſupplicio affectus eſt. Ita Suffolciæ Duci tradita Ciuitate, Septemb. 24. Galli eodem ſtatim die exceſſerunt, equitum videlicet 67. peditum verò arma ferre valentium 1563 mulierum deinde ac puerorum 1927. præter infirmorum magnum numerum, & ætate confectorum, quos adhuc manere oportebat. Rex ipſe deinde poſtridie Septemb. nempe 25. triumphantis more ingreſſus, templum Beatæ Mariæ demoliri præcepit, vt munitionem eo loci extrueret, aliaque nonnulla ordinauit, tumque Vicecomiti Liſleio commiſſa oppidi præfectura, reditum maturauit, ac primo die Octobris Doueriam appulit, ingenti ſuorum plauſu & gratulatione exceptus Cæſar interea admonito prius Rege, pacem cum Gallo fecerat, quam etiam Gallus Regi obtulerat, miſſo ad eum Cardinale Bellaio, eo ipſo tempore, quo vehementi terrore perculſo Veruinio, de deditione colloquia haberi cœpta ſunt. Quare Rex qui à pace alias non abhorrebat, pauliſper diſſimulandum ratus, rem cœpit extrahere, donec laborum ſuorum exitum ſperatum conſequutus eſſet. Ita bello adhuc vigente & rege demum reuerſo, Delphinus certior factus magnam partem earum rerum quæ Boloniæ quo tempore caperetur repertæ erant, ad inferius oppidum ibidem relictam, tormentorum nempe, commeatus, & bellici apparatus: Alcio caſtro noctu profectus, Boloniam venit paulo ante lucem ſperans (quod oppidum foſſis tantum iiſque non magnis cinctum eſſet) repetino impetu occupari illud poſſe. Neque vero eum ſpes fefellit: nam & oppido & machinis & apparatu omni prædicto potitus eſt. Dum verò ſe victorem putat, & milites diripiendis ſarcinis

1544.

Galli caeduntur.

1544. nis toti ſunt intenti: noſtrorum aliquot cohortes ex ſuperiore oppido egreſſi, Gallos nullo ordine diſperſos & palantes, in fugam facile conijciunt, & ſimul oppidum vniverſamque prædam recipiunt, hoſtium permultis occiſis, (Fuxolio in primis altero Bieſij genero) ſed noſtrorum etiam plurimis deſideratis, qui primo impetu ceciderunt. Dum hæc in Gallia geruntur, claſſis noſtra Gallicam oram vbique pervagata, navium mercibus onuſtarum plus minus trecentas cœpiſſe perhibetur: ita ut vini dolia ex ijs aſportata, tria templa capaciſſima Londini repleverint, videlicet Auguſtinianorum, Dominicanorum, & Franciſcanorum fratrum, quorum cœnobia nuper everſa fuerant. In Anglia interim omnia pacata: adeo ut, domeſticarum rerum nihil iam habeat hic annus dignum memoratu, niſi quod menſe Iunio, Liturgiæ Eccleſiaſticæ pars quæ Litania dicitur, in Anglicum idioma converſa, apud omnes per univerſum regnum eccleſias, populo proponenda edicto publico decernitur. Sed ut ad Scotica pauliſper revertamur, menſe Iunio venit in Angliam Matthæus Leviniæ vel (ut vulgo loquimur) Lennoxiæ Comes, qui aliquandiù ſpe lactatus Reginam in Matrimonium ducendi, deinde contemptus ab ea, poſtquam opera illius ſe diutiùs non egere exiſtimaret; ac tandem crebris Gallorum provocatus iniurijs, conſilio vſus ſibique & poſteris totíque inſulæ ſaluberrimo fœliciſſimóque, ad Regem noſtrum confugit, adductis ſecum Alexandro Glencarnij Comitis primogenito, Waltero Grahamo Montroſij Comitis fratre, Io. Borthwico equite alijſque, quos omnes perhonorificè Rex tractavit. Lennoxio verò pro coniugio quo exciderat, vxorem poſteà dedit Margaretam, ſuam ex ſorore neptim, (in flore ætatis puellam, ſummâ venuſtate & elegantiâ præditam) ex qua (ſicut antea retulimus) Henricum ſuſcepit, Iacobi Patrem, qui Inſulas has Britannicas in unum Imperij corpus redactas, in opulenta pace mitiſſimo nunc regit moderamine. Cum verò agros quoſdam in Galliâ amiſiſſet Lennoxius hæreditario iure ad ſe devolutos, per mortem Rob. Stuarti Obignij Domini, ad eam iacturam reſarciendam, annuas 700. marcas (aureos videlicet Gallicos 1540.) ex fiſco perſolvendas ipſi Rex aſſignavit. Sub finem Auguſti redijt in Scotiam, nobilibus aliquot Angliæ comitantibus,

Naves mercatoriæ 300. captæ.

Litania Anglica.

Lennoxiæ Co. in Angliam, vbi ducit uxorem.

Riceo Manſello & Petro Mewtas equiti bus, Wintorio etiam, Tho. Audlæo, Tho. Broco & alijs, quibus Briſtoliæ 12. naves traditæ ſunt ut Scotiæ oram legentes, rei bene gerendæ occaſionem captarent, aut ſaltem terrore Scotos diſtinerent, & metu ne facta exſcentione ſocijs coniungerentur, quo interim in noſtros, abſente in Gallia Rege, nihil molirentur. 1544.

ANNO CHRISTI 1545. REG. 37.

PECVNIAM immenſam in ſuperioris anni expeditionibus abſumptam nemo ſanæ mentis compos dubitauerit. Adeóque ſi Rex poſt tantos ſumptus egere cœperit, mirandum non putarem, niſi ex cœnobiorum nuper everſorum ſpolijs opum vim in credibilem congeſſiſſe veriſimile eſſet. At ille nihilominus exhauſto plane fiſco, rei nummariæ inopiâ magnopere laboravit: ſiue quod DEO erepta DEI benedictionem ſecum non adferrent, quæ ſola (ut Salomon) divites facit: ſiue quod partem longe maximam in alios, proceres puta, & aulicos ſuos contuliſſet, ſiue denique quod ex eijs quæ ſibi reſervarat magna ſtipendia eiectis Monachis perſolvenda erant, quamdiù viverent. Quibus adijciendum eſt, quod Epiſcopatus nouos 6. conſtituerat, & Eccleſias Cathedrales totidem, ac Profeſſoribus in vtraque Academia ſalaria attribuit: Hebraicæ nempe, & Græcæ linguæ, Theologiæ item, Medicinæ & Iuris civilis prælectoribus: eorum ſingulis 40. libras annuas, quæ plus minus 130. aureos conficiunt, ut omnis pecunia his ſolis annuatim perſolvenda, ad ſummam 650. aureorum exurgat. Vtut fuerit, ad eam tunc temporis redactus eſt fiſci tenuitatem, ut inopiæ ſublevandæ rationem cum amicis inire eum oportuerit. Ab ordinibus in Parliamento tributum populo nuper imperatum fuerat graviſſimum, ſubſidium id appellamus. Quid aliud igitur iam Principi reſtabat, quàm ut ad honeſtum aliquod rapinæ genus converteretur? Potentiorum preces ab imperijs non differunt, niſi in hoc forte, quod validius ſubigunt, & à volentibus impetrant, quæ mandata ſæpe aut ægre aut non omnino poſſunt extorquere: id quod in hoc negotio de quo dicturi ſumus liquido oſtenditur. Nam vbi ante annos 20. propoſito publice edicto quo pecunia populo imperatum

Rex inopia laborat.

Petitur à ſubditis vt neceſſitatibus Regis ſponte ſuccurrant.

Digitized by Google

1545. ratum eſt, adeò non eſt obtemperatum, ut parùm abſuerit quin tumultus & ſeditio inde fuerit exorta: nunc per homines idoneos expoſita fiſci anguſtia, apud ſingulos totius Regni paulò opulentiores, pecuniæ ſumma prægrandis facilè impetrata eſt. Apud Londinenſes cœptum & quidem à prætore ac ſenatoribus, quos Aldermannos dicimus. Inter eos extiterunt duo, qui pecuniam petitam ſegniter exſoluerent, Ric. Readus & Gul. Rochus, quæ parſimonia paulò poſteà magno illis conſtitit. Nam Readus iam ſenex & per totam ætatem rerum bellicarum expers, in Militiam protruditur, captúſque à Scotis, lytro ſe redemit permagno. Rochus autem inſimulatus quaſi coram conſiliarijs regijs verbis neſcio quibus incivilioribus vſus eſſet, in ergaſtulum conijcitur, vbi aliquot menſes maceratus, ægrè tandem, & (quantum auguror) non niſi pecunia data liberaratus eſt. Galli interim Boloniæ iacturam graviter ferentes, paulò poſt diſceſſum Regis aſtu militari eam recipere conati ſunt, ſed fortuna conatibus illorum non arriſit. Vt igitur haud nihil feciſſe viderentur, Bieſius Bolonienſis prouinciæ præfectus, magnas copias Portum adduxit (oppidum navali Bolonienſi imminens) & propugnaculum cis flumen extruere conatus eſt, quod navium noſtrarum ingreſſum impediret. Sed à Comite Hertfordenſi Seimero impeditus, opus inchoatum relinquere coactus eſt. Verum omnia noſtrorum cum Gallis eo loci certamina per ſeſquiannum, (quod ſpatium inter captam civitatem & pacem factam interceſſit) ſigillatim perſequi longum eſſet: neque aliquid tam magnum patratum arbitror, ut mentionem vehementer flagitet. Quapropter ad Ferronum, Bellaium, Thuanum, & cæteros rerum Gallicarum ſcriptores lectorem amandabo, qui hæc omnia affatim perſcripſêrunt: eoque magis, quia à noſtris tradita non reperi, ſine quorum ſuffragio non auſim poſteris ut mihi comperta commendare. Hoc igitur tantum de his rebus, Gallum Boloniam ſuam quoquo modo recipiendi cupidiſſimum, exercitum in agro Bolonienſi toto tempore prædicto aluiſſe, quo quaſi obſeſſam civitatem tenebat. Cum verò in omnes occaſiones intentus, nil tamen hâc ratione profeciſſet, magnas coëgit navales copias, quibus Angliam invadendi cœpiſſe conſilium omnibus perſuaſum eſſe cupiebat; ita domi contineri poſſe

Galli munitionem ex[illegible]a-re conan[illegible] propè Boloniam.

Gallus Angliam ſe invadere ſimulat.

poſſe noſtros exiſtimans, & Boloniam nemine opem ferente, 1545.
hoſtibus vndequaque circumſeſſam, in manus ſibi neceſſario deventuram. Iſta quam primum Regi nuntiata ſunt, claſſem numeroſam inſtruxit, quam Portemuthij (oppidum id eſt Vecti inſulæ vicinum) continuit, donec quonam tenderent conatus hoſtium poſſet conijcere. Ac illi quidem tribus ſimul in locis appellentes, & in Suſſexia prope oppidum Britanſtedam exſcentionem facientes, vicos incendere ſatagebant, donec ab incolis & milite accurrentibus fortiter repulſi, naues coacti ſunt repetere. Biduo deinde poſteà, ad fretum provecti quod Vectim à continente dirimit, ſe Portemuthienſibus oſtentabant, inter quos Rex tunc morabatur, & claſſem noſtram ad pugnam elicere conabantur. Habebant Galli præter numerum ingentem aliarum navium, etiam triremes 25, quæ quanquam ad ſtuporem & terrorem potiùs quam vllum rei nauticæ vſum adductæ viderentur, tempeſtuoſo & crebris procellis irritato mari, plana huiuſmodi navigia non ferente; tum tamen malaciam nactæ, magnum quiddam præſtituræ videbantur, niſi noſtri ſe continuiſſent, in loco, propter anguſtiam viæ per quam penetrandum erat, & arces aliquot vicinas, ſatis tuto. De munienda tum Vecti inſula conſilium inierunt, & 2000. hominum in terram expoſuerunt, ad promontorium Sanctæ Helenæ, propugnacula tria ſiue caſtella ibidem (ſi dijs placet) excitaturi. Sed hîc etiam pugna excepti, & ab inſulanis pulſi, id porro conſilium omiſerunt, atque littus legentes, iterum in agro Suſſexienſi ad locum qui novus Portus dicitur applicuerunt. Hîc enimverò non meliore fortunâ quam hactenùs vſi, poſtquam tuguriola pauca incendiſſent, profligati à noſtris, naves ſuas tam properanter petierunt, ut multi in portu ſubmerſi perierint. Sublatis igitur iam tandem velis, in Normanniam vnde venerant, nulla re geſta memorabili, & non ſine ſuorum iactura redierunt. Habebant Galli navigia omnis generis 103. noſtri tantum 60. ut univerſis viribus congredi nobis tutum non fuerit. Velitationibus nonnunquam certatum eſt, in quibus Galli damni nonnihil, noſtri nequicquam retulerunt. Nam quod navis Maria roſa appellata amiſſa eſt, & in eâ præter Georgium Carouum Equitem auratum, fere 700. homines, rectorum ſupinæ negligentiæ, non Gallo-

1545. rum virtuti tribuendum eſt. In portu ſiquidem ſub oculis ipſius regis, fluctibus abſorpta perijt, non à Gallis depreſſa, quod ipſi perperam tradunt. Eodem ipſo tempore quo hæc in auſtrali Regni parte cum Gallis habita ſunt certamina, in aquilone cum Scotis contentione haud minore res gerebatur. Initio ſiquidem menſis Martij Scotiam ſeditionibus implicitam noſtri ingreſſi, ducibus Radulpho, qui iam Baro Euerus mortuo patre Gulielmo devenerat, Briano Laytono & alijs, Iedburgum, Kelſonem, & regiones circumiectas ferro flammáque vaſtantes (inquit Buchananus) latè ſolitudines ecerunt. Inde Coldingamiam progreſſi, templum templíque Turrim pro tempore operibus munierunt, ac Præſidio ibi relicto diſceſſerunt. Præſidiarij (inquit ille) partim prædæ aviditate, partim ne commeatum obſeſſuris hoſtibus ſuppeditaret ager vicinus, effuſas populationes fecerunt. Qui rei Scoticæ præerant, coactis 8. hominum millibus, obſidere Templum inſtiterunt. Diem integrum totamque noctem muros machinis verberarunt. Tum verò Prorex, cæteris proceribus ignaris, & paucis ſuorum comitatus, quantum equi contendere curſu poterant Dumbarram ſe recepit. Talis fugæ turpitudinem qui excuſare conantur, timuiſſe dicunt eum, ne à ſuo exercitu propter odia ex multis offenſionibus collecta, noſtris proderetur. Quicquid verò in cauſa fuerit, occaſionem hauddubiè dedit commilitonibus ſuis caſtra deſerendi, & domum quantum quiſque poterat dilabendi. Succeſſus huius fœlicitate noſtri elatiores facti, in Scotiam alteram adhuc impreſſionem fecerunt, & nemine obvio, Marciam, Teviotiam, ac Larderiam percurſantes, propè omnes earum Regionum incolas aut ſe dedere coëgerunt, aut ſi quis pertinacius reſtitit, in agris vaſtatis ſolitudines ei rediderunt. Præda verò ingenti capta, nec adhuc contenti, dum vlterius progredi volunt, in hoſtium inſidias inciderunt. Coegerant Scoti magnam vim armatorum: cumque per exploratores certiores ſub noctem fierent adventare noſtros: 'Walteri Scoti conſilio ducti, in proximum collem amandarunt equos, partim quia locus ad pedeſtrem pugnam quam equeſtrem opportunior videbatur, partim hunc in finem, ut Miniſtri abeuntes, in collibus viſi, fugientium præberent ſpeciem. Et noſtri revera ijs conſpectis, gradum

In Scotiam expeditio.

Scotorum ſtratagema.

dum

1545.

dum intendebant, nihil magis metuentes, quam ne hoſtes aſſequi non poſſent, magno deinceps labore, ſi nunc euaderent, inueſtigandos. Cum igitur derepente in illos non perturbatis ordinibus fugientes, ſed inſtructo agmine ad eos excipiendos paratos, impegiſſent, eoſque numero plures quàm putaſſent (nam magna pars eo ipſo articulo acceſſerat) multa porro ſibi inuenerunt aduerſa. Ita Scoti prouiderant, vt Sol in occaſum præceps, rectis radijs in noſtrorum oculos incurreret: & ventus paulo tumidior, fumum in aduerſa pugnantium ora ferebat, qui non ſolum proſpectum oculis adimebat, ſed odore tetro de via adhuc anhelos grauiter afficiebat. Quid mirum iam ſi recentes & firmi tot rebus adiuti, itinere longo laſſatos & vſquequaque imparatos, primo impetu fuderint? Cæſi feruntur noſtrorum ducenti, & inter eos Dux ſtrenuiſſimus Euerus, capti fere mille, ex quibus honeſto loco nati 80. ac in primis Readus Londinenſis, de quo antea. Paulo poſt hanc victoriam adeptam, videlicet quarto Non. Iulij, appulit in Scotiam Lorgianus, Equites Gallos 500. ſecum adducens, & tria millia Peditum, non tam vt Scotos ab incurſionibus noſtrornm protegerent, quam vt nos diſtinerent, ne totis viribus in Galliam irrueremus. Circa idem etiam tempus, menſe nimirum Auguſto, exceſſit è viuis Carolus Brandonus Suffolciæ Dux, Regis ſororius, vir ſtrenuus, atque Regi cunctiſque ordinibus propter comitatem probitatémque morum percharus. Nouemb. deinde 24. Parliamentum inchoatum eſt, in quo omnia Collegia, Xenodochia, & Noſocomia totius Regni, omniaque prædia ſalaria & ſtipendia ad ea ſpectantia, vel porro ſacerdotibus, attributa qui pro defunctorum animabus miſſificarent, hæc inquam omnia lata lege Regi conceſſa ſunt, vt ijs pro ſuo arbitrio vteretur. Ac is quidem ordinibus gratias agens, magnam curam adhibiturum ſe promiſit, ad Dei gloriam bonúmque publicum ea diſponerentur. Cæterum promiſſorum fidem nondum exolutam videmus.

Noſtri à Scotis fuſi.

Suffolciæ Dux moritur.

Collegia Xenodochia & noſocmia Regi conceduntur.

Digitized by Google

1546.

ANNO DOMINI 1546. REGN. 38 & vltimo.

Pax cum Gallo.

VLTIMVS hic annus eſt regnantis Henrici: In cuius initio, de pace conſtituendâ inter nos & Gallum, multa habita ſunt colloquia. Conuenerant legati ſæpe inter Guineas & Ardream: E noſtris Comes Hertfordenſis Seimerus, Wintonienſis Epiſcopus Gardinerus, Vicecomes Liſlius Admirallius, Gulielmus Pagetus Secretarius Regius, & Nic. Wottonus legum Doctor Cantuarienſis eccleſiæ primus Decanus. A Gallo aderant Cl. Annebaldus Admirallius, Epiſcopus Euereuxius, Raymondus Præſes Rothomagenſis & Boucherellus Secretarius. Pacem ij tandem hiſce conditionibus confecerunt: Regi intra octo annos 80. aureorum millia Gallus dependeret, quæ vel ex reliquatione penſionis annuæ debebantur, vel in ſumptibus belli is erogaſſet, ob penſionem denegatam illati. Pecunia hac accepta, oportebat Regem tum demum Boloniam cum omnibus agri Bolonienſis locis munitis & tormenta bellicúmque apparatum in ijs repertum reſtituere. Hæc poſtquam vterque Princeps rata habuit, miſſus eſt ad Gallum Liſlius, ad Regem noſtrum Annebaldus, qui iuriſiurandi religione has pactiones confirmatas viderent. Iunij ſeptimo conuentum eſt, & decimotertio eiuſdem pacificatio huiuſmodi præconis voce Londini publicè extitit proclamata. Iulij. 16. combuſti ſunt Religionis cauſâ Londini Io. Laſſelius, Nic. Otterdenus, Io. Adlamus, ac deinde Anna Askeua 25. annorum iuuencula, claro genere orta, elegantíque formâ & ingenio acutiſſimo prædita: cuius concertationes, ſcripta, acerbiſſimos cruciatus, & fortiſſimè obita mors, à Foxo noſtro graphicè depinguntur. Ad morituros concionem habuit Schaxtonus, qui cùm Epiſcopatum Sariſburienſem ante 6. annos reliquiſſet (quod antea retulimus) vt bonam conſcientiam retineret: iam palinodiam velit nolit canere coactus eſt. Hoc etiam anno (quod memoratu non indignum iudico) figulus quidam Londinenſis, Gul. Foxleius nomine, nulla infirmitate præcedente, in ſomnum incidit tam arctum, vt per totos 14. dies & 15. noctes expergeſieri nulla ratione potuerit, donec tandem die 15. ſponte ſomno ſolutus eſt, adeo ſanus & rectè valens,

Askeua & alij combu-runtur.

Nouus quidam Endymion dormit 15. dies continuos.

Digitized by Google

valens, nocte vt vnâ, neque amplius, ſe obdormiiſſe firmiter credere, donec ex muri cuiuſdam ſtructura dies plurimós effluxiſſe perſpiceret. Vixit poſtea ſupra 40. annos, videlicet ad annum Domini 1587. 1547.

ANNO CHRISTI 1547.

SVB finem anni ſuperioris, Henricus Rex abdomine iam dudum grauis, & pedibus æger, propter ulcus in crure, in febriculam incidit lentam, quâ vires ſenſim eneruari animaduertens, ad mortalitatis exitum oculos cœpit conijcere. Ac tum, ſollicitum in primis habuit ætas filij, nonum vix annum ſupergreſſa: infirmam quippe, fraudibúſque opportunam exiſtimabat & in amicis ſubſidij parum, cum inter fidiſſimos nemo emineret, cuius viribus & authoritate niteretur. Nam Brandonus Suffolciæ Dux ſororius ſuus, vir egregius, nuper obierat: & Seimerus Edwardi avunculus, homo ſemper habitus eſt magis bonus quàm acer, ac genere natus, etſi antiquo, non perinde claro (familiâ nempe equeſtri) contemptui obnoxius poterat cenſeri. Inter cæteros qui ſanguine coniuncti erant, vt quiſque nobilitate, potentia, & virtutibus clarior, eo ſuſpectior erat & inuiſior. Hauardorum tunc temporis in Anglia res florentiſſimæ extiterunt. Familiæ Princeps Thomas Norfolciæ Dux, magnas res geſſerat in Gallia, Scotia & alibi, longo rerum vſu prudentiam collegerat, & genere ortus vſquequaque nobiliſſimo, à Regio ſanguine multimodis ſtemma deducens, gratiâ, clientelis, opibus, plurimùm pollere noſcebatur. Sed ſeni mitius erat ingenium & propter ætatem minus feruidum, quàm vt ad res nouas moliendas opportunus videretur. De primogenito eius Henrico Surreiæ Comite, Rex plane anxius, hominem quocunque tandem modo è medio tollere conſtituit. Erat etiam ille in Gallia nuper rebus geſtis clarus, ingenio florenti, & eruditione magnâ præditus, vt quod quidam nuper de filio eius Henrico, de ipſo tunc merito diceretur, literatorum fuiſſe nobiliſſimum, & nobilium literatiſſimum, gratioſus deinde apud omnium hominum ordines, militaris ſcientiæ peritiſſ. atque publicæ adminiſtrationi aptiſſimus habebatur. In hunc igitur talem tantúmque virum accuſationem

Rex ægrotat.

Surreiæ Comes plectitur.

1548. accuſationem ſtruere placuit, quaſi inſignia quædam gentilitia vſurpaſſet, quæ ſoli Regi geſtare fas eſſet, atque ita viam ſibi ad regnum aperire cœpiſſet. Decemb. 12. non ſolum ipſe, ſed & pater etiam in arcem Londinenſem coniecti ſunt. Ianuarij 13. Surreius ad cauſam dicendam vocatus; cum cætera facile diluiſſet (nam & alia obijciebantur) inſignia illa prædicta ad ſe hæreditario iure pertinere conſtanter aſſeuerauit: Neque tamen vnquam ea vſurpaſſe, niſi ex ſententia fecialium, quorum eſt huiuſmodi controuerſias dijudicare. Reſponſionem hanc Iudices cum non probarent, ad mortem nobilitatis Anglicanæ flos damnatus, & decimonono Ianuarij Rege in extremis agente, ſecuri publicè percuſſus eſt. Quod attinet ad patrem, ad perpetuos carceres adiudicatus is fuit, in quibus vixit, donec rerum potiretur Maria Regina, per quam demum liberatus extitit. Regi interim morbo ingraueſcente, teſtamentum condere viſum, in quo (quod ipſi ex lege nuper latâ conceſſum) regni hæredes conſtituit, liberos, nempe ſuos: primo videlicet in loco Edwardum filium vnicum, deinde illi ſine ſoble decedenti, ex Catharina Hiſpana filiam Mariam, ac Mariæ extinctæ prole non relicta, Elizabetham ſubſtituit, quam ex Anna Bolenia ſuſceperat. Hi tres, patri ordine ſucceſſerunt & 56. per annos regnum tenuerunt, donec in Elizabetha (quæ poſtremo regnauit) deficiente Henrici progenie, anno 1603. ad Iacobum totius modo Britanniæ Monarcham id hæreditario iure deuolutum eſt, per Margaretam ſororem Henrici natu maximam, quæ Iacobum quintum peperit, Iacobi noſtri Regis ſui temporis (dicto abſit inuidia) doctiſſimi, diſertiſſimi, religioſiſſimi, fœliciſſimi, longéque optimi, avum maternum: quæ omnia poſtea DEO volente latiùs explicabuntur. Cæterum vt teſtamenti reliqua perſequamur, inter multa porro alia ibidem conſtituta (neque enim cuncta commemorare opus eſt) ſedecim Rex nominauit executores, quos etiam tutores dixit filio.

Rex teſtamentum condidit.

Thomam Cantuarien. Archiepiſcopum.
Thomam Wriothſleum Cancellarium.
Gul. Powlettum Baronem de S. Ioanne.
Io. Ruſſellum priuati ſigilli cuſtodem.
Edw. Seimerium Hertfordiæ Comitem.

Io.

Io.Dudlæum Vicecomitem Liſlium Angl.Admirallium. 1548.
Cuthbertum Tonſtallum Epiſcopum Dunelmenſem.
Ed.Montacut.placitorum communium ſupremum iudicem.
Anthonium Browoum equorum regiorum præfectum.

Gul.Pagetum,
Gul.Herbertum.
Tho.Bromleum.
Anth.Denneum.
Edw.North.
Edw.Wotton.
} equites auratos.

Nicol. Wottonum legum Doctorem,& tam Cantuar.quam Eborac.Eccleſiarum Decanum,

His deinde prædictis, alios 12. adiunxit, quorum conſilio in rebus arduis & paulo maioris momenti,eos vti voluit:

Henricum Arundelliæ
Gul.Eſſexiæ
} Comites.

Tho. Cheyneum familiæ regiæ Seneſchallum.
Io. Gagæum familiæ itidem regiæ Contra-rotulatorem.
Ant. Wingfeldum regi à cubiculis ſecundum præfectum.
Gul.Peterum Secretarium.
Richardum Rich.
Io.Bakerum.
Radulphum Sadlerum.
Tho.Seimerum.
Richardum Southwellum.
Edmundum Peckhamum.
} equites auratos.

Cadauer ſuum Windeforæ mandauit condi, in mauſoleo nondum abſoluto,quod Wolſæus Cardinalis iam olim (vti diximus) parauerat, non ſibi (quod multi perperam fabulantur) ſed Regi, ſicut hodie viſenda teſtatur inſcriptio, quam poſterioris temporis non fuiſſe conſtat. Siquidem Dominum Hiberniæ Henricum appellat non Regem, omiſſa etiam ſupremi Capitis Eccleſiæ Anglicanæ mentione, quæ duæ particulæ poſt mortem Wolſæi in titulo ſiue ſtylo Regio immutatæ noſcuntur. Eodem in Teſtamento, Henrici ſexti & Edw.

Digitized by Google

1544. nis toti ſunt intenti: noſtrorum aliquot cohortes ex ſuperiore oppido egreſſi, Gallos nullo ordine diſperſos & palantes, in fugam facile conijciunt, & ſimul oppidum vniverſamque prædam recipiunt, hoſtium permultis occiſis, (Fuxolio in primis altero Bieſij genero) ſed noſtrorum etiam plurimis deſideratis, qui primo impetu ceciderunt. Dum hæc in Gallia geruntur, claſſis noſtra Gallicam oram vbique pervagata, navium mercibus onuſtarum plus minus trecentas cœpiſſe perhibetur: ita ut vini dolia ex ijs aſportata, tria templa capaciſſima Londini repleverint, videlicet Auguſtinianorum, Dominicanorum, & Franciſcanorum fratrum, quorum cœnobia nuper everſa fuerant. In Anglia interim omnia pacata: adeo ut, domeſticarum rerum nihil iam habeat hic annus dignum memoratu, niſi quod menſe Iunio, Liturgiæ Eccleſiaſticæ pars quæ Litania dicitur, in Anglicum idioma converſa, apud omnes per univerſum regnum eccleſias, populo proponenda edicto publico decernitur. Sed ut ad Scotica pauliſper reuertamur, menſe Iunio venit in Angliam Matthæus Leviniæ vel (ut vulgo loquimur) Lennoxiæ Comes, qui aliquandiù ſpe lactatus Reginam in Matrimonium ducendi, deinde contemptus ab ea, poſtquam opera illius ſe diutiùs non egere exiſtimaret; ac tandem crebris Gallorum provocatus iniurijs, conſilio vſus ſibique & poſteris totíque inſulæ ſaluberrimo fœliciſſimóque, ad Regem noſtrum confugit, adductis ſecum Alexandro Glencarnij Comitis primogenito, Waltero Grahamo Montroſij Comitis fratre, Io. Borthwico equite alijſque, quos omnes perhonorificè Rex tractavit. Lennoxio verò pro coniugio quo exciderat, vxorem poſteà dedit Margaretam, ſuam ex ſorore neptim, (in flore ætatis puellam, ſummâ venuſtate & elegantiâ præditam) ex qua (ſicut antea retulimus) Henricum ſuſcepit, Iacobi Patrem, qui Inſulas has Britannicas in unum Imperij corpus redactas, in opulenta pace mitiſſimo nunc regit moderamine. Cum verò agros quoſdam in Galliâ amiſiſſet Lennoxius hæreditario iure ad ſe devolutos, per mortem Rob. Stuarti Obignij Domini, ad eam iacturam reſarciendam, annuas 700. marcas (aureos videlicet Gallicos 1540.) ex fiſco perſolvendas ipſi Rex aſſignavit. Sub finem Auguſti redijt in Scotiam, nobilibus aliquot Angliæ comitantibus,

Naves mercatoriæ 300. captæ.

Litania Anglica.

Lennoxiæ Co. in Angliam, vbi ducit uxorem.

Riceo

Digitized by Google

Riceo Manſello & Petro Mewtas equitibus, Wintorio etiam, Tho. Audlæo, Tho. Broco & alijs, quibus Briſtoliæ 12. naves traditæ ſunt ut Scotiæ oram legentes, rei bene gerendæ occaſionem captarent, aut ſaltem terrore Scotos diſtinerent, & metu ne facta exſcentione ſocijs coniungerentur, quo interim in noſtros, abſente in Gallia Rege, nihil molirentur. 1544.

ANNO CHRISTI 1545. REG. 37.

PECVNIAM immenſam in ſuperioris anni expeditionibus abſumptam nemo ſanæ mentis compos dubitauerit. Adeóque ſi Rex poſt tantos ſumptus egere cœperit, mirandum non putarem, niſi ex cœnobiorum nuper everſorum ſpolijs opum vim in credibilem congeſſiſſe veriſimile eſſet. At ille nihilominus exhauſto plane fiſco, rei nummariæ inopiâ magnopere laboravit: ſiue quod DEO erepta DEI benedictionem ſecum non adferrent, quæ ſola (ut Salomon) divites facit: ſiue quod partem longe maximam in alios, proceres puta, & aulicos ſuos contuliſſet, ſiue denique quod ex eijs quæ ſibi reſervarat magna ſtipendia eiectis Monachis perſolvenda erant, quamdiù viverent. Quibus adijciendum eſt, quod Epiſcopatus nouos 6. conſtituerat, & Eccleſias Cathedrales totidem, ac Profeſſoribus in vtraque Academia ſalaria attribuit: Hebraicæ nempe, & Græcæ linguæ, Theologiæ item, Medicinæ & Iuris civilis prælectoribus: eorum ſingulis 40. libras annuas, quæ plus minus 130. aureos conficiunt, ut omnis pecunia his ſolis annuatim perſolvenda, ad ſummam 650. aureorum exurgat. Vtut fuerit, ad eam tunc temporis redactus eſt fiſci tenuitatem, ut inopiæ ſublevandæ rationem cum amicis inire eum oportuerit. Ab ordinibus in Parliamento tributum populo nuper imperatum fuerat graviſſimum, ſubſidium id appellamus. Quid aliud igitur iam Principi reſtabat, quàm ut ad honeſtum aliquod rapinæ genus converteretur? Potentiorum preces ab imperijs non differunt, niſi in hoc forte, quod validius ſubigunt, & à volentibus impetrant, quæ mandata ſæpe aut ægre aut non omnino poſſunt extorquere: id quod in hoc negotio de quo dicturi ſumus liquido oſtenditur. Nam vbi ante annos 20. propoſito publice edicto quo pecunia populo impe-

Rex inopia laborat.

Petitur à ſubditis vt neceſſitatibus Regis ſponte ſuccurrant.

Digitized by Google

1545. ratum eſt, adeò non eſt obtemperatum, ut parùm abfuerit quin tumultus & ſeditio inde fuerit exorta: nunc per homines idoneos expoſita fiſci anguſtia, apud ſingulos totius Regni paulò opulentiores, pecuniæ ſumma prægrandis facilè impetrata eſt. Apud Londinenſes cœptum & quidem à prætore ac ſenatoribus, quos Aldermannos dicimus. Inter eos extiterunt duo, qui pecuniam petitam ſegniter exſoluerent, Ric. Readus & Gul. Rochus, quæ parſimonia paulò poſteà magno illis conſtitit. Nam Readus iam ſenex & per totam ætatem rerum bellicarum expers, in Militiam protruditur, captúſque à Scotis, lytro ſe redemit permagno. Rochus autem inſimulatus quaſi coram conſiliarijs regijs verbis neſcio quibus incivilioribus vſus eſſet, in ergaſtulum conijcitur, vbi aliquot menſes maceratus, ægrè tandem, & (quantum auguror) non niſi pecunia data liberaratus eſt. Galli interim Boloniæ iacturam graviter ferentes,

Galli munitionem excitare conantur propè Boloniam.

paulò poſt diſceſſum Regis aſtu militari eam recipere conati ſunt, ſed fortuna conatibus illorum non arriſit. Vt igitur haud nihil feciſſe viderentur, Bieſius Bolonienſis prouinciæ præfectus, magnas copias Portum adduxit (oppidum navali Bolonienſi imminens) & propugnaculum cis flumen extruere conatus eſt, quod navium noſtrarum ingreſſum impediret. Sed à Comite Hertfordenſi Seimero impeditus, opus inchoatum relinquere coactus eſt. Verum omnia noſtrorum cum Gallis eo loci certamina per ſeſquiannum, (quod ſpatium inter captam civitatem & pacem factam interceſſit) ſigillatim perſequi longum eſſet: neque aliquid tam magnum patratum arbitror, ut mentionem vehementer flagitet. Quapropter ad Ferronum, Bellaium, Thuanum, & cæteros rerum Gallicarum ſcriptores lectorem amandabo, qui hæc omnia affatim perſcripſêrunt: eoque magis, quia à noſtris tradita non reperi, ſine quorum ſuffragio non auſim poſteris ut mihi comperta commendare. Hoc igitur tantum de his rebus, Gallum Boloniam ſuam quoquo modo recipiendi cupidiſſimum, exercitum in agro Bolonienſi toto tempore prædicto aluiſſe, quo quaſi obſeſſam civitatem tenebat. Cum verò in omnes occa-

Gallus Angliam ſe invadere ſimulat.

ſiones intentus, nil tamen hâc ratione profeciſſet, magnas coëgit navales copias, quibus Angliam invadendi cœpiſſe conſilium omnibus perſuaſum eſſe cupiebat; ita domi contineri

poſſe

Digitized by Google

poſſe noſtros exiſtimans, & Boloniam nemine opem ferente, hoſtibus vndequaque circumſeſſam, in manus ſibi neceſſario deventuram. Iſta quam primum Regi nuntiata ſunt, claſſem numeroſam inſtruxit, quam Portemuthij (oppidum id eſt Vecti inſulæ vicinum) continuit, donec quonam tenderent conatus hoſtium poſſet conijcere. Ac illi quidem tribus ſimul in locis appellentes, & in Suſſexia prope oppidum Britanſtedam exſcentionem facientes, vicos incendere ſatagebant, donec ab incolis & milite accurrentibus fortiter repulſi, naues coacti ſunt repetere. Biduo deinde poſteà, ad fretum provecti quod Vectim à continente dirimit, ſe Portemuthienſibus oſtentabant, inter quos Rex tunc morabatur, & claſſem noſtram ad pugnam elicere conabantur. Habebant Galli præter numerum ingentem aliarum navium, etiam triremes 25, quæ quanquam ad ſtuporem & terrorem potiùs quam vllum rei nauticæ vſum adductæ viderentur, tempeſtuoſo & crebris procellis irritato mari, plana huiuſmodi navigia non ferente; tum tamen malaciam nactæ, magnum quiddam præſtituræ videbantur, niſi noſtri ſe continuiſſent, in loco, propter anguſtiam viæ per quam penetrandum erat, & arces aliquot vicinas, ſatis tuto. De munienda tum Vecti inſula conſilium inierunt, & 2000. hominum in terram expoſuerunt, ad promontorium Sanctæ Helenæ, propugnacula tria ſiue caſtella ibidem (ſi dijs placet) excitaturi. Sed hîc etiam pugna excepti, & ab inſulanis pulſi, id porro conſilium omiſerunt, atque littus legentes, iterum in agro Suſſexienſi ad locum qui novus Portus dicitur applicuerunt. Hîc enimverò non meliore fortunâ quam hactenùs vſi, poſtquam tuguriola pauca incendiſſent, profligati à noſtris, naves ſuas tam properanter petierunt, ut multi in portu ſubmerſi perierint. Sublatis igitur iam tandem velis, in Normanniam vnde venerant, nulla re geſta memorabili, & non ſine ſuorum iactura redierunt. Habebant Galli navigia omnis generis 103. noſtri tantum 60. ut univerſis viribus congredi nobis tutum non fuerit. Velitationibus nonnunquam certatum eſt, in quibus Galli damni nonnihil, noſtri nequicquam retulerunt. Nam quod navis Maria roſa appellata amiſſa eſt, & in eâ præter Georgium Carourn Equitem auratum, fere 700. homines, rectorum ſupinæ negligentiæ, non Gallo- 1545.

Digitized by Google

1545. rum virtuti tribuendum eſt. In portu ſiquidem ſub oculis ipſius regis, fluctibus abſorpta perijt, non à Gallis depreſſa, quod ipſi perperam tradunt. Eodem ipſo tempore quo hæc in auſtrali Regni parte cum Gallis habita ſunt certamina, in aquilone cum Scotis contentione haud minore res gerebatur. Initio ſiquidem menſis Martij Scotiam ſeditionibus implicitam noſtrî ingreſſi, ducibus Radulpho, qui iam Baro Euerus mortuo patre Gulielmo devenerat, Briano Laytono & alijs, Iedburgum, Kelſonem, & regiones circumiectas ferro flammáque vaſtantes (inquit Buchananus) latè ſolitudines ecerunt. Inde Coldingamiam progreſſi, templum templíque Turrim pro tempore operibus munierunt, ac Præſidio ibi relicto diſceſſerunt. Præſidiarij (inquit ille) partim prædæ aviditate, partim ne commeatum obſeſſuris hoſtibus ſuppeditaret ager vicinus, effuſas populationes fecerunt. Qui rei Scóticæ præerant, coactis 8. hominum millibus, obſidere Templum inſtiterunt. Diem integrum totamque noctem muros machinis verberarunt. Tum verò Prorex, cæteris proceribus ignaris, & paucis ſuorum comitatus, quantum equi contendere curſu poterant Dumbarram ſe recepit. Talis fugæ turpitudinem qui excuſare conantur, timuiſſe dicunt eum, ne à ſuo exercitu propter odia ex multis offenſionibus collecta, noſtris proderetur. Quicquid verò in cauſa fuerit, occaſionem hauddubiè dedit commilitonibus ſuis caſtra deſerendi, & domum quantum quiſque poterat dilabendi. Succeſſus huius fœlicitate noſtri elatiores facti, in Scotiam alteram adhuc impreſſionem fecerunt, & nemine obvio, Marciam, Teviotiam, ac Larderiam percurſantes, propè omnes earum Regionum incolas aut ſe dedere coëgerunt, aut ſi quis pertinacius reſtitit, in agris vaſtatis ſolitudines ei redidderunt. Præda verò ingenti capta, nec adhuc contenti, dum ulterius progredi volunt, in hoſtium Inſidias inciderunt. Coegerant Scoti magnam vim armatorum: cumque per exploratores certiores ſub noctem fierent adventare noſtros: Walteri Scoti conſilio ducti, in proximum collem amandarunt equos, partim quia locus ad pedeſtrem pugnam quam equeſtrem opportunior videbatur, partim hunc in finem, ut Miniſtri abeuntes, in collibus viſi, fugientium præberent ſpeciem. Et noſtri revera ijs conſpectis, gradum

In Scotiam expeditio.

Scotorum ſtratagema.

Digitized by Google

1545.

dum intendebant, nihil magis metuentes, quam ne hoſtes aſſequi non poſſent, magno deinceps labore, ſi nunc euaderent, inueſtigandos. Cum igitur derepente in illos non perturbatis ordinibus fugientes, ſed inſtructo agmine ad eos excipiendos paratos, impegiſſent, eoſque numero plures quàm putaſſent (nam magna pars eo ipſo articulo acceſſerat) multa porro ſibi inuenerunt aduerſa. Ita Scoti prouiderant, vt Sol in occaſum præceps, rectis radijs in noſtrorum oculos incurreret: & ventus paulo tumidior, fumum in aduerſa pugnantium ora ferebat, qui non ſolum proſpectum oculis adimebat, ſed odore tetro de via adhuc anhelos grauiter afficiebat. Quid mirum iam ſi recentes & firmi tot rebus adiuti, itinere longo laſſatos & vſquequaque imparatos, primo impetu fuderint? Cæſi feruntur noſtrorum ducenti, & inter eos Dux ſtrenuiſſimus Everus, capti fere mille, ex quibus honeſto loco nati 80. ac in primis Readus Londinenſis, de quo antea. Paulo poſt hanc victoriam adeptam, videlicet quarto Non. Iulij, appulit in Scotiam Lorgianus, Equites Gallos 500. ſecum adducens, & tria millia Peditum, non tam vt Scotos ab incurſionibus noſtrorum protegerent, quam vt nos diſtinerent, ne totis viribus in Galliam irrueremus. Circa idem etiam tempus, menſe nimirum Auguſto, exceſſit è viuis Carolus Brandonus Suffolciæ Dux, Regis ſororius, vir ſtrenuus, atque Regi cunctiſque ordinibus propter comitatem probitatémque morum percharus. Nouemb. deinde 24. Parliamentum inchoatum eſt, in quo omnia Collegia, Xenodochia, & Noſocomia totius Regni, omniaque prædia ſalaria & ſtipendia ad ea ſpectantia, vel porro ſacerdotibus, attributa qui pro defunctorum animabus miſſificarent, hæc inquam omnia lata lege Regi conceſſa ſunt, vt ijs pro ſuo arbitrio vteretur. Ac is quidem ordinibus gratias agens, magnam curam adhibiturum ſe promiſit, ad DEI gloriam bonúmque publicum ea diſponerentur. Cæterum promiſſorum fidem nondum exolutam videmus.

Noſtri à Scotis fuſi.

Suffolciæ Dux moritur.

Collegia Xenodochia & noſocmia Regi conceduntur.

Digitized by Google

1546.

ANNO DOMINI 1546. REGN. 38 & vltimo.

Pax cum Gallo.

VLTIMVS hic annus eſt regnantis Henrici: In cuius initio, de pace conſtituendâ inter nos & Gallum, multa habita ſunt colloquia. Conuenerant legati ſæpe inter Guineas & Ardream: E noſtris Comes Hertfordenſis Seimerus, Wintonienſis Epiſcopus Gardinerus, Vicecomes Liſlius Admirallius, Gulielmus Pagetus Secretarius Regius, & Nic. Wottonus legum Doctor Cantuarienſis eccleſiæ primus Decanus. A Gallo aderant Cl. Annebaldus Admirallius, Epiſcopus Euereuxius, Raymondus Præſes Rothomagenſis & Boucherellus Secretarius. Pacem ij tandem hiſce conditionibus confecerunt: Regi intra octo annos 80. aureorum millia Gallus dependeret, quæ vel ex reliquatione penſionis annuæ debebantur, vel in ſumptibus belli is erogaſſet, ob penſionem denegatam illati. Pecunia hac accepta, oportebat Regem tum demum Boloniam cum omnibus agri Bolonienſis locis munitis & tormenta bellicúmque apparatum in ijs repertum reſtituere. Hæc poſtquam vterque Princeps rata habuit, miſſus eſt ad Gallum Liſlius, ad Regem noſtrum Annebaldus, qui iuriſurandi religione has pactiones confirmatas viderent. Iunij ſeptimo conuentum eſt, & decimotertio eiuſdem pacificatio huiuſmodi præconis voce Londini publicè extitit proclamata. Iulij. 16. combuſti ſunt Religionis cauſâ Londini Io. Laſſelius, Nic. Otterdenus, Io. Adlamus, ac deinde Anna Askeua 25. annorum iuuencula, claro genere orta, elegantíque formâ & ingenio acutiſſimo prædita: cuius concertationes, ſcripta, acerbiſſimos cruciatus, & fortiſſimè obita mors, à Foxo noſtro graphicè depinguntur. Ad morituros concionem habuit Schaxtonus, qui cùm Epiſcopatum Sariſburienſem ante 6. annos reliquiſſet (quod antea retulimus) vt bonam conſcientiam retineret: iam palinodiam velit nolit canere coactus eſt. Hoc etiam anno (quod memoratu non indignum iudico) figulus quidam Londinenſis, Gul. Foxleius nomine, nulla infirmitate præcedente, in ſomnum incidit tam arctum, vt per totos 14. dies & 15. noctes expergefieri nulla ratione potuerit, donec tandem die 15. ſponte ſomno ſolutus eſt, adeo ſanus & rectè valens,

Askeua & alij comburuntur.

Nouus quidam Endymion dormit 15. dies continuos.

valens, nocte vt vnâ, neque amplius, ſe obdormijſſe firmiter 1547.
crederet, donec ex muri cuiuſdam ſtructura dies plurimos effluxiſſe perſpiceret. Vixit poſtea ſupra 40. annos, videlicet ad annum Domini 1587.

ANNO CHRISTI 1547.

SVB finem anni ſuperioris, Henricus Rex abdomine iam dudum grauis, & pedibus æger, propter ulcus in crure, in febriculam incidit lentam, quâ vires ſenſim eneruari animaduertens, ad mortalitatis exitum oculos cœpit conijcere. Ac tum, ſollicitum in primis habuit ætas filij, nonum vix annum ſupergreſſa: infirmam quippe, fraudibúſque opportunam exiſtimabat & in amicis ſubſidij parum, cum inter fidiſſimos nemo emineret, cuius viribus & authoritate niteretur. Nam Brandonus Suffolciæ Dux ſororius ſuus, vir egregius, nuper obierat: & Seimerus Edwardi avunculus, homo ſemper habitus eſt magis bonus quàm acer, ac genere natus, etſi antiquo, non perinde claro (familiâ nempe equeſtri) contemptui obnoxius poterat cenſeri. Inter cæteros qui ſanguine coniuncti erant, vt quiſque nobilitate, potentia, & virtutibus clarior, eo ſuſpectior erat & inuiſior. Hauardorum tunc temporis in Anglia res florentiſſimæ extiterunt. Familiæ Princeps Thomas Norfolciæ Dux, magnas res geſſerat in Gallia, Scotia & alibi, longo rerum vſu prudentiam collegerat, & genere ortus vſquequaque nobiliſſimo, à Regio ſanguine multimodis ſtemma deducens, gratiâ, clientelis, opibus, plurimùm pollere noſcebatur. Sed ſeni mitius erat ingenium & propter ætatem minus feruidum, quàm vt ad res nouas moliendas opportunus videretur. De primogenito eius Henrico Surreiæ Comite, Rex plane anxius, hominem quocunque tandem modo è medio tollere conſtituit. Erat etiam ille in Gallia nuper rebus geſtis clarus, ingenio florenti, & eruditione magnâ præditus, vt quod quidam nuper de filio eius Henrico, de ipſo tunc merito diceretur, literatorum fuiſſe nobiliſſimum, & nobilium literatiſſimum, gratioſus deinde apud omnium hominum ordines, militaris ſcientiæ peritiſſ. atque publicæ adminiſtrationi aptiſſimus habebatur. In hunc igitur talem tantúmque virum accuſationem

Rex ægrotat.

Surreiæ Comes plectitur.

Digitized by Google

Io.Dudlæum Vicecomitem Liſlium Angl.Admirallium. 1548.
Cuthbertum Tonſtallum Epiſcopum Dunelmenſem.
Ed.Montacut.placitorum communium ſupremum iudicem.
Anthonium Brownum equorum regiorum præfectum.

Gul.Pagetum,
Gul.Herbertum.
Tho.Bromleum.
Anth.Denneum.
Edw.North.
Edw.Wotton.
} equites auratos.

Nicol. Wottonum legum Doctorem,& tam Cantuar.quam Eborac.Eccleſiarum Decanum.

His deinde prædictis, alios 12. adiunxit, quorum conſilio in rebus arduis & paulo maioris momenti,eos vti voluit:

Henricum Arundelliæ
Gul.Eſſexiæ
} Comites.

Tho. Cheyneum familiæ regiæ Seneſchallum.
Io. Gagæum familiæ itidem regiæ Contra-rotulatorem.
Ant. Wingfeldum regi à cubiculis ſecundum præfectum.
Gul.Peterum Secretarium.
Richardum Rich.
Io.Bakerum.
Radulphum Sadlerum.
Tho.Seimerum.
Richardum Southwellum.
Edmundum Peckhamum.
} equites auratos.

Cadauer ſuum Windeforæ mandauit condi, in mauſoleo nondum abſoluto,quod Wolſæus Cardinalis iam olim (vti diximus) parauerat, non ſibi (quod multi perperam fabulantur) ſed Regi, ſicut hodie viſenda teſtatur inſcriptio, quam poſterioris temporis non fuiſſe conſtat. Siquidem Dominum Hiberniæ Henricum appellat non Regem, omiſſa etiam ſupremi Capitis Eccleſiæ Anglicanæ mentione, quæ duæ particulæ poſt mortem Wolſæi in titulo ſiue ſtylo Regio immutatæ noſcuntur. Eodem in Teſtamento, Henrici ſexti & Edw.

Digitized by Google

1547. quarti (qui in Eccleſiâ Windeſorenſi ſimiliter humati fuerant) Sepulchra, magnificentiùs extrui iuſſit, aliaque non perinde magni momenti ordinauit, quorum pauca effectum ſortita ſunt. Teſtamentum huiuſmodi ratum habuit, & ſubſcriptione ſigillóque firmauit pridie Calendas Ianuarij, vixitque poſtea menſem integrum: nam Ianuarij 28. Weſtmonaſterij deceſſit, idque (vt traditum comperi) hoc modo.

Mors Regis. Cum poſt diuturnum languorem, mortem ingruere medici comperiſſent, amicos Regios monuerunt, vt conditionis ſuæ certiores eum facerent: quod cum cæteri detrectarent, negotium ſuſcepit Dennæus, qui ad Regem rectâ pergens grauiter laborantem, omnibus videri indicauit, humanæ opis iam parùm ſupereſſe, & optare ſe proinde, vt ad DEVM totus conuertatur, & præteritorum memor, miſericordiam eius per CHRISTVM imploret. Parum æquis auribus hic nuntius primo auditus eſt: Sed cum à Medicorum prognoſtico eum ſermonem oriri perſpiceret, ad neceſſitatem ſubeundam ſe tandem componens, ad vitam ſuam retroactam flexit oculos, quam, etſi multum incuſaret, per CHRISTI tamen bonitatem, omnia delicta ſua condonari poſſe, quanquam multo adhuc & plura & grauiora forent, ſe confidere profeſſus eſt. Tum Dennæus, an Theologum quenquam acceſſi vellet percontatur, quocum hiſce de rebus colloquatur. Non alium (inquit Rex) quàm Cranmerum Archiepiſcopum, ſed neque illum adhuc, donec quieſcens pauliſper, prout tunc poſtea me habere ſenſero, hoc de negotio ſtatuerim. Poſtquam deinde horam vnam aut alteram obdormijſſet, expergefactus, ac deficere ſeſe ſentiens, vocari ociùs mandauit Archiepiſcopum qui Croidoniæ tum degebat. Sed ille celeritate ſumma vſus, non potuit tamen venire priuſquam loquelam Rex amiſerat. Manum aduenienti cum porrexiſſet, Archiepiſcopus, vt in miſericordiâ DEI per CHRISTVM ſuam ſpem collocaret, hortatus eſt, impenſe rogans, vt ſi verbis hanc ſuam ſpem teſtatam reddere non poſſet, at ſigno ſaltem aliquo id faceret. Tum Rex manum Archiepiſcopi quam tenebat ſuâ quam potuit arcte compreſſit, & breui deinde poſtea animam exhalauit, cum regnaſſet annos 37. menſes 9. atque dies 6. vixiſſet autem ſupra annos 55. menſes 7. Morte ſic

ſic regnum finijt Henricus octavus, propter prima admini- 1547.
ſtrationis tempora illuſtre, propter victorias crebras & res in
bello fœliciter geſtas glorioſum,propter magnas ſub eo mu-
tationes factas memorabile, propter eccleſiæ ſub eo cœptam re-
formationem laudabile, propter vxoriam rem infœliciſſi-
mum, propter tot capite plexos (eóſque magna
ex parte primarios viros) cruentum,
denique propter crebra tributa &
Eccleſiaſticarum opum direp-
tionem,reipublicæ damno-
ſum,ciuibúſque graue
ac oneroſum.

Digitized by Google

RERVM ANGLICARVM ANNALIVM LIBER SECVNDVS.

EDWARDVS SEXTVS.

ANNO CHRISTI 1547. REG. PRIMO.

HENRICI defuncti filius vnicus Edwardus, regnum iniјt paternum Ianuarij 28. 1547. quo tempore decimum ætatis annum attigerat, & eiuſdem menſis vltimo voce præconis in Civitate Londinenſi Rex publicè declaratus, Enfeldiâ vbi tum anteà degebat, ad arcem Londinenſem (quam Turrim vocitamus) eodem die properavit: cum alias fortè ob cauſas, tum ideo præcipuè, ut inde profectus, pro more apud Reges noſtros recepto, Weſtmonaſterium peteret, coronationis inſignia ibidem ſuſcepturus. Poſtridiè deinde (primo videlicet Februarij) convocati tutores (quos anteà nominavi) vt de ſummâ rerum conſultarent, Edwardo Seimero Comiti Hertfordenſi, avunculo regis, eum habuerunt honorem, ut ſummam ei poteſtatem detulerint, ac Regis Regníque Protectorem renuntiarint. Novi muneris primum facinus extitit,

Seimerus Protector.

titit, quod eiuſdem Febr. die ſexto Regem creavit equitem auratum, qui protinus exurgens, Henrico Hoblethorno Prætori Londinenſi eundem honorem impertivit. Febr. 15. Henrico Regi iuſta funeris perſoluta ſunt, & cadaver more Regio tumulatum, in medio chori baſilicæ Windeſorenſis. Biduo tum poſteà novis honorum titulis aliquot proceres ornati, Scimerus Protector & Hertfordiæ Comes, Dux Somerſetenſis creatus: Gul. autem Par Eſſexiæ Comes Marchio Northantonenſis: Dudlæus Vicecomes Liſlius Warwicenſis iam Comes, & Wriothſlæus Cancellarius Southantonienſis itidem Comes renuntiati: Thomas Scimerus Protectoris frater & Angliæ Admirallius, Richardus Richus, Gul. Willoughbæus, & Edmundus Sheffield, modo equites aurati, in Baronum album aſcripti ſunt. Quando deinde alterum effluxerat biduum, à Turri Londinenſi Weſtmonaſterium vſque rex magnâ cum pompâ per civitatem deductus, regio diademate redimitus, & ſolemni ritu, more maiorum vnctus, regnóque ibidem inauguratus eſt per Cranmerum Cantuarienſem Archiepiſcopum. Quo etiam die, propoſito publicè edicto, omnium criminum cunctis vbique per univerſum Regnum ſontibus incredibili indulgentia venia facta eſt, exceptis tantum ſex hominibus, quibus huiuſce condonationis fructus impertiri non oportuit. Ij erant, Norfolciæ Dux, Polus Cardinalis, Cortinæi nuper decapitati primogenitus, Throckmortonus quidam, Foskæus & Ric. Patus, qui Wigornienſis olim Epiſcopus, ne Regem eccleſiæ caput agnoſcere cogeretur, Romam ante aliquot annos profugerat. Iunij 19. Franciſco Galliarum Regi defuncto exequiæ celebratæ ſunt in eccleſiâ Paulinâ Londini: Deceſſerat is Martij 22. præcedenti, à morte Henrici noſtri ſemper intereа ſubtriſtis: ſive quod amicitiam nuper contractam arctiore vinculo firmatam iri ſperabat: ſive pauculis tantum annis eo iunior cum eſſet, illius morte inſtantis fati admoneretur. Accedebat ad hæc morum & naturæ tam conſpirans ſimilitudo, ut non temere reperias inter duos aliquos Principes vel temporum quovis intervallo diſparatos, maiorem. Hæc inter eos amorem conciliavit, & ſecretum quaſi inter invitos aluit, ſi quando aut æmulatione, aut vtilitatis reſpectu in contrarium raperentur, ut vnius mors non niſi graviſſima alteri eſſe potuerit.

1547.

Henrici R. ſepultura.

Novi R. Coronatio.

Franciſci Gall. Regis obitus.

1547. rit. Henrico igitur defuncto, quamvis à Pontifice excommunicato, Lutetiæ in templo Cathedrali iuſta mox perſolvi Franciſcus mandavit. Reliquit is filium unicum Henricum Regni Gallici ſucceſſorem, qui ad Elizabethæ Reginæ tempora perduravit. Ad res hoc anno in Scotiâ geſtas iam convertamur, quæ magnæ haud dubiè & memorabiles extiterunt. De fœdere ante quatuor annos icto mentionem anteà fecimus in quo, de Reginâ Scotiæ Edwardo modo Regi collocandâ pactum fuerat. Ab eo tempore nuſquam res inter nos & Scotos pacatæ extitere. Iam, magnis viribus bellum perſequi placuit. Miſſus eſt igitur in Scotiam, ex ſententia ſenatus Regij Dux Somerſetenſis, cum 10. millibus Peditum & Equitum 6. millibus (foſſoribus etiam & opificibus 1300.) ac machinis æneis 15. Edwardo deinde Baroni Clintono, datæ ſunt naves bellicæ optimè inſtructæ 34. præter unam triremem, & onerarias 30. quæ commeatum & arma portarent, vt cum his copijs mari & in maritimis Scotiæ rem gereret. Septembris tertio hoſticum ingreſſus eſt Somerſetenſis, ac ſtatim literas dedit ad Comitem Arrenium Scotiæ gubernatorem, quarum hæc ſumma fuiſſe perhibetur. Optare ſeſe, meminiſſent Scoti, inter Chriſtianos homines hoc bellum geri, neque alium finem noſtris propoſitum quam honeſtam pacem, cui boni cuncti debebant ſtudere. Eius non modo conciliandæ ſed in perpetuum firmandæ occaſionem fœliciter oblatam, ſi duas gentes tam diù diſſidentes principum ſuorum coniugio coaleſcere ſinant. Id ſicut à noſtris petitum, ita promiſſum ab ordinibus Scotiæ in conſilio coactis ; ideóque mirari, quomodo ſatiùs iam ducant ad arma (quorum exitus non niſi luctuoſus vel victori eſſe ſoleat) deſcendere, quam fidem utriúſque gentis bono interpoſitam, ſervare. Expectandum non eſſe ut cœlibem vitam pepetuò ducat Regina. Maritum verò ſi aſſumpſerit, cui potiùs nupſerit, quam potentiſſimo Regi, qui eandem ſecum inſulam colat, eadémque lingua vtatur ? Coniugia externa, quæ incommoda ſecum trahant, ipſos videre, idque alienis exemplis quam ſuo periculo experiri malle debere Æquiſſimum proinde eſſe quod poſtuletur ; ſe tamen à Chriſtiani ſanguinis ſiti tam procul abeſſe, ut ſi Scotorum animos à concordiâ haud planè alienos intelligat, operam daturus ſit, de

Pugna Muſſelburgenſis.

conventio-

Digitized by Google

conventionibus aliquid ut remittatur: & permiſſurum ſeſe, ut puella regia in ſuorum poteſtate maneat & educetur, vſque ad ætatem nubilem, donec ipſa de conſilio procerum ſibi maritum eligere poſſit: interea vi & armis utrinque abſtineatur, nec regina in peregrinum ſolum tranſuehatur, aut ulla cum Gallo, aut alio quovis extero de matrimonio pactio fiat. Id ſi ſanctè promittatur, ſe protinus ex Scotia pacato agmine diſceſſurum, & quodcunque damni Scotiam ingreſſus dederit, id ſe bonorum virorum arbitrio compenſaturum. Erant in Caſtris Scotorum 30. millia bellatorum, ſunt etiam qui multo maiorem numerum tradunt. Harum copiarum viribus freti qui rei Scoticæ præerant, (quanquam in tumultuario certamine 800. nuper amiſiſſent) animóſque inflati quaſi oblatas conditiones à nobis timiditas expreſſiſſet; omnem pacis mentionem averſati, literas apud conſilium recitare noluerunt, ne forte intellectâ conditionum æquitate, ad pacatiora conſilia multi inclinarent: quinimo victoriam ſibi pro certo ſpondentes, rumorem conſulto ſparſerunt, magnâ contentione Anglos depoſcere, ut in manus ſibi Regina continuo tradatur, neque deſtituros, donec per vim eam abſtulerint, omniaque in poteſtatem redegerint. Ea fama diſſeminata, contineri non potuerunt irati militum animi, quin ad certamen præcipites ruerent. Scotorum prudentiores non fugiebat commeatus inopia noſtros iam dudum tentari, & eo redactos, ut neque recedere propter itineris anguſtias, neque Scotos propter loci quem inſederant firmitatem, ad pugnam nolentes adigere potuerimus. Sed plurimorum animos ita vana victoriæ ſpes impleverat, ut nullo quantumvis ſano conſilio aures patuerint. Evenit igitur ut Caſtris egrederentur optimè munitis, eo ipſo tempore, quando noſtri de neceſſitate pugnandi admoniti, hoſtem quæſitum proficiſcebantur. Paulo antequam ſibi mutuo acies occurrerunt, Scotis iuxta littus ordines ducentibus, à triremi noſtra, machina diſploſa, 25. milites vno eodemque ictu proſtrati ſunt, interque eos Grimus, Baronis Grimi primogenitus; id quod tantum terrorem vicinis incuſſit, ut ſagittariorum 4000. animum deſpondentes, progredi ampliùs poſteà nunquam voluerint. Hoſtibus ut appropinquatum eſt, miſit Somerſetenſis Graium Baronem cum toto equitatu ut pri- 1547.
mum

1548. mum eorum agmen moraretur, dum pedites collem vicinum occuparent, aut ſi ita ferret occaſio, Scotorum ordines turbaret. Verum ij in denſiſſimam phalangem conſtipati, longarum haſtarum vallo prætento, venientes noſtros intrepidè exceperunt. Quorum primi cum ſe haſtis induiſſent, proximi retro cedentes, ſuis pro certo affirmarunt, Scotorum ordines nihil magis perrumpi poſſe, quàm ſi in murum ſaxeum incurrerent. Hoc igitur non ſuccedente conatu, equites ſcloppetarios in eos emittere viſum, & ſimul machinis maioribus ſagittarúmque grandine eos vnos impetere. Sive tantam vim ferendo non eſſent, ſive (quod nonnulli tradunt) ut à tormentorum æneorum ictibus eſſent tutiores, loco certè paululúm cœperunt moveri, cum noſtri ſublatâ voce, fugiunt, fugiunt, inclamarent. Quod ut auditum eſt, fugam revera, pauci primum, deinde ſolutis ordinibus vniverſi ceperunt. Cum deditis inclementius actum Scoti conqueruntur, ac præſertim cum Monachis & ſacerdotibus, (quorum multi prælio interfuerunt) quod illorum opera pacis conditiones arrogantiùs reiectas innotuerat. Cæſi feruntur è Scotis in hâc pugnâ 13. millia, inter quos (præter Comitem Lohemorenſem & Flemingum Baronem) tota fere nobilium familiarum iuventus cum clientibus ſuis qui patronos ſine flagitio non deſeri exiſtimabant. In fugâ capti ad mille quingentos, intérque eos Comes Huntlæus Scotiæ Cancellarius, Heſterus, Hobbeus, & Hamiltonus Barones, multíque alij primarij viri. Hæc clades Scotis ſummè calamitoſa incidit in 10. diem Septemb. Noſtri præter ſpem victores, ad 5. milliaria populationibus evagati, Ketham & Æmonam deſertas in Forthæ æſtuario Inſulas munierunt, Brochtheam item arcem in æſtuario Tai ceperunt, & terrore iniecto, Faſcaſtellum, Humiumque arces ad deditionem compulerunt. Cumque ad Lauderam atque in Rosburgi ruinis munitiones excitaſſent, domum reverſi, deiectos Scotorum animos diſceſſu ſuo non paululum recrearunt. Dum hæc in Scotia geruntur, domi in rebus Eccleſiaſticis plurima ſunt immutata. Tutorum regiorum permulti reformationi ſtudebant impenſè, ac in primis Protector ipſe Somerſetenſis. Cæterorum enimvero, quibus doctrina Pontificiorum placebat, pauci erant qui non metuerent, eccleſiæ opes (cuius partem unuſquiſque tenebat) re-

Eccleſiæ reformatio.

ſtituendas

Digitized by Google

ſtituendas quandóque, niſi à Pontifice Romano palam penitúſque diſcederetur. Itaque dum Pontificiam Doctrinam pars quam poſſunt acerrimè oppugnant, cæteríque ſatis frigidè tuentur; non ſolùm confirmatum eſt quicquid nuper conſtituiſſet Rex Henricus de eijciendo Papatu, ſed plurima etiam addita, quibus à ſuperſtitionis fæcibus ita repurgata extitit eccleſia noſtra, ut iam poſthac cum Germanicarum quavis propter puritatem Doctrinæ, & rituum eccleſiaſticorum rectam inſtitutionem, potuerit contendere. Imagines & ſtatuæ in univerſum omnes Templis eiectæ, Matrimonia Clericis permiſſa, Vernacula lingua Liturgiam ſive preces publicas populo proponendas, Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie omnibus exhibendam, auricularem confeſſionem e medio tollendam, à ſcripturarum lectione neminem arcendum, pro defunctorum animâbus iam ampliùs non miſſificandum, multaque alia huiuſmodi ſancita ſunt adeò certè præter morem maiorum, ut apud indoctam plebem quæ dijudicare nec ſolet nec poteſt tam quid optimum quam quid conſuetum, magnas mox turbas dederit, & ſeditionem ingentem concitaverit. Illud interim memoratu maximè dignum reor, eo ipſo die quo ſtatuæ e templis eiectæ, Londini publicè combuſtæ ſunt, inſignem illam victoriam contra Scotos ad Muſſelburgum reportatam de qua paulò antea retulimus. Ita nimirum Foxus noſter. Hoc anno in Angliam venerunt à Cranmero Archiepiſcopo acciti, Petrus Martyr Vermilius Florentinus, Martinus Bucerus Seleſtadienſis & Paulus Phagius Tabernis Rhenanis in Palatinatu natus. Qui à Rege & proceribus ſummâ cum benevolentiâ accepti, cum apud Cantuarienſem aliquandiù ſubſtitiſſent, ad Academias docendi cauſa miſſi ſunt, Martyr Oxoniam, Bucerus & Phagius Cantabrigiam. Verum hic paulò poſt ex febre quartana pr. Id. Novembris annum agens vitæ 45. vix ſalutata Academiâ, deceſſit. Neque vero Bucerus multum deinde temporis ſupervixit: nam & is quoque Cantabrigiæ diem ſuum obijt, anno 1551. pridie Cal. Martij, cùm ſexageſimum primum ætatis ſuæ annum ageret. Martyr paulò poſtquam Oxoniam venit, diſputationem de Cæna Dominica publicè inſtituit, in qua Treſſamo & Chedſæo oppugnantibus, Tranſubſtantiationem Papiſticam merum eſſe 1547.

X commentum,

1548. commentum, ſolidis argumentis confirmauit. Eam diſputationem edito poſtea libro copioſè explicauit.

ANNO CHRISTI 1548. REGN. 2.

OPPIDVM Hadinam (ſiue potiùs Hadintonam) in agro totius Scotiæ fertiliſſimo ſitam, noſtri ſub initium huius anni munitam, valido præſidio firmauerant, & erumpentes quotidie tàm inde quàm ex Lauderâ (quam ſuperiore anno captam diximus) vt obſidendi oppidi facultas nulla relinqueretur, regionem omnem vicinam incendijs & direptionibus vaſtauerunt. Gallus interea copias in Scotiam miſerat ad 6. millia hominum (vel vt noſtri 10.) inter quos Germanorum fuere duce Comite Ringrauio 3000. Omnibus cum ſummo Imperio præfuit Deſſius, qui in bello Landreſiano & alijs poſtea expeditionibus magnam laudem adeptus fuerat. Hæ copiæ quamprimum in terram expoſitæ ſunt, Hadintonam protinus ductæ, eamque adiunctis porro 8. Scotorum millibus, obſidione cingunt. Ibi ad cœnobium quod oppido vicinum eſt conuocato concilio, de Regina in Galliam tranſportanda & Delphino deſpondenda conſultatur. Qui rem ſpectabant publicam, nec priuati commodi reſpectu corrupti, à ſalutis publicæ curâ diſtrahebantur, bellum cum Anglis perpetuũ & à Gallis ſeruitutem ex hac reginæ ablegatione aſſerebant imminere, proptereaque conditiones ab Anglis propoſitas tolerabiles videri, qui inducias decennales offerrent, nec vllo vinculo aut grauioribus pactis Scotos illigarent, id quippe vnum ex hoc fœdere quæſitum eſſe, vt vel Rege Anglorum, vel Reginâ Scotorum, intra decennium è vita migrante, omnia vtrinque ſint integra, moram in huiuſmodi conſultationibus ſæpe ſalutarem fuiſſe, cum ex aduerſo præcipitem feſtinationem pœnitentia plerunque conſequatur. Qui Pontificiæ religoni erant addictiores (ac præſertim eccleſiaſtici, quique vel Gallis pro acceptis beneficijs obſtricti erant, vel emolumenta ab ijs ſperabant) in contrarium totis viribus nitebantur, ac ipſe in primis Prorex, cui promiſſi erant annui reditus 1200. librarum Anglicarum, aureorum Gall. 4000. & præfectura 100. equitum Cataphractorum. Horum vicit ſententia qui Reginam amandandam cenſebant. Claſſis igitur,

Hadintona obſidio.

Regina Scot. in Galliam vt Delphino nubat.

Letha

Letha (vbi ſtabat) ſimulato in Galliam diſceſſu, totam Scotiam circumuecta, Britannodunum appulit: vbi Regina ſexennis, comitantibus Iacobo fratre naturali, Io. Areskino & Gul. Leuiſtonio, conſcendit, ac inde in Armoricam Britanniam (poſtquam cum aduerſis tempeſtatibus diu colluctatum fuiſſet) delata, ad aulam Gallicam itinere terreſtri peruenit, inſidiáſque noſtrorum eâ ratione euaſit, qui claſſem prope Caletum diu continebant, vt eam per fretum vicinum tranſituram (ſic perſuaſum habebant) interciperent. Hadintonenſes interim cum arcta premerentur obſidione, miſſi ſunt eis auxilio Robertus Boweſius & Tho. Palmerus, ducentes ſecum equites 1300. Cataphractos nempe 700. leuis armaturæ cæteros. Ita noſtri, cum Buchananus 300. tantum equites fuiſſe dicat, reliquos pedites. Qualeſquales fuerint, inſidijs exceptos conſtat antequam Hadintonam peruenerint, & internecione penè deletos. Obſeſſi nihilo ſeciùs animum non deſpondentes, oppidum ſeque fortiter tutati ſunt, donec Auguſti 20. adueniente Franciſco Salopiæ Comite cum exercitu 16. millium (ex quibus 4000. Germanorum) obſidionem Galli deſerentes, ſeruatis ordinibus receſſerunt. Comes, poſtquam annona, milite, cæteriſque rebus neceſſarijs Hadintonam inſtruxiſſet, Beruicum reuerſus eſt. Poſt eius diſceſſum, excurſionibus acriter ſæpe pugnatum, nec ſine vtriuſque partis damno, hoſtium tamen plures cadebant. Cum vero vi capi ciuitatem non poſſe didiciſſent, ad aſtum conuerſi, noctu cum delectis copijs Deſſius profectus, prima luce eo peruenit: vigilibus tum occiſis, ac munimento quod ante portum erat occupato, alij valuas effringere conantur, alij horrea noſtrorum proxima inuadunt. Ad molientium fragorem & Gallorum clamores, præſidiarij excitati, tormentum quod ante portam ſtabat diſploſerunt, cuius pila cum portam ipſam penetraſſet, per conſtipatos hoſtes tranſuolans, plurimos proſtrauit, cæteroſque ita conterruit, vt in fugam ſtatim effuſi, oppugnationem deſeruerint. Præſidiarijs ad Humium & Faſcaſtellum (arces ſuperiore anno captas) non eadem adfuit fortuna: per dolum hoſtium & vigilum ſocordiam ambæ receptæ ſunt. Ad Humium per aduerſam rupem ſcandentes gnari locorum, in ſummum penetrarunt, ac cæſis *Arx Humia amiſſa.* custodibus

1548.

Digitized by Google

1548. cuſtodibus, qui loci fiduciâ negligentiùs agebant, arcem in ſuam poteſtatem redegerunt. Faſcaſtelli vero præfectus cùm agricolis vicinis imperaſſet vt ad certam diem magnam commeatus vim conueherent; illi occaſionem nacti, frequenter cum oneribus adſunt, quæ cum è iumentis depoſita in humeros ſuſtuliſſent, per pontem, qui duas rupes committit, ingrediuntur, ſubitoque quod ferebant excuſſo, cuſtodes, ſigno dato, confodiunt, & ſuis per patentem portam intromiſſis, arce potiuntur. Nec magis fœliciter res mari geſtæ ſunt. Excenſionem noſtri facientes, primum ad Miniani fanum, ac poſtea ad Merniam, vtrobique repulſi ſunt, ſuorum multis deſideratis. Incunte autumno, Hadintonam venit Rutlandiæ Comes cum tribus millibus Germanorum & alijs copijs apud limites collectis, qui videns oppidum ſine iuſto exercitu amplius teneri non poſſe, propterea quod regionibus circa vaſtatis, difficilis & periculoſa eſſet commeatuum è longinquo ſubuectio, deiectis munimentis, ædificia incendit, ad Cal. Octobris. & nemine obuio, tormenta copiáſque Beruicum perduxit, quod in proximum annum Buchananus reijcit: Sed ego noſtros ſequutus, contrarium cenſeo. Vt ad domeſtica iam tandem redeamus, Iunij 30. Stephanus Gardinerus Wintonienſis Epiſcopus in carcerem detruditur, arcem nimirum Londinenſem. Homo is & doctiſſimus fuit & vaſerrimus, Pontificiæque factioni deditiſſimus, ita tamen, vt temporibus ſe accomodans, viuente Henrico (qui in legationibus illius operâ multùm vſus fuerat, & magnam authoritatem ipſi detulerat) ijs quæ ſemel legibus conſtituta eſſent nunquam voluerit refragari. Imo & ſub Edwardo, reformationi inſtitutæ vtcvnque annuere viſus eſt aliquandiu. Sed euenit tandem, vt Conſiliarij regij (quos diſſimulatio Epiſcopi non fefellit) concionem eum habere iuſſerint ad crucem Paulinam, loco nimirum totius vrbis Londinenſis celeberrimo) in qua, probari ſibi teſtaretur præſentem rerum in Eccleſia ſtatum, quod ille Iunij 29. præſtitit, ſed ijs verborum ambagibus & tam obſcurè, vt mandato ſatisfeciſſe non videretur. Deinde cum diſertis verbis ei interdictum eſſet, ne de Euchariſtiâ verba faceret, gnarus ille nihil adhuc ea de re legibus definitum, CHRISTI in ſacramento præſentiam

Et Faſcaſtellum.

Steph. Gardinerus in turrim conijcitur.

ſentiam corporalem & realem (Papiſticam inquam,illam ne dicam Capernaiticam) adeo laborioſè aſtruxit, vt plurimorum animos ac ſenatorum præſertim regiorum grauiſſimè offenderit. Ob hoc delictum coniectus eſt in carcerem, cumque peccatum ſuum publicè confiteri pertinaciſſimè renueret, Epiſcopatu biennio poſtea priuatus eſt: & ne res nouas moliretur, in carcere nihilominus detentus ad mortem vſque Edw. Regis, ſicuti poſtea (DEO volente) narrabimus. Interea vero cum Archiepiſcopus Cranmerus librum edidiſſet aduerſus Pontificiorum ſententiam illam craſſam atque carnalem in Euchariſtia CHRISTI præſentiam affirmantium; cum Gardinerus ſcripto furtim alio libello confutauit ſub ficto M. Conſtantij nomine. Cum ſanguinario illo Bonero Londinenſi Epiſcopo (qui tot homines ſanctos regnante Mariâ religionis cauſâ flammis tradidit vſtulandos) eodem fere modo quo cum Wintonienſi actum: Ad crucem prædictam concionari iuſſus, id fecit tam frigidè, omiſſis earum rerum permultis de quibus vti diſſereret fuerat imperatum, vt in carcerem coniectus, & Epiſcopatu amotus, ibidem priuatus vixerit, donec Maria rerum potita, ambos liberauit. Cuthberto Tonſtallo Dunelmenſi & Georgio Daio Ciceſtrenſi quid fuerit obiectum non comperi: eandem ſortem ſubijſſe, Epiſcopatibus ablatis, id conſtat. Fuerunt & ij egregiè docti, ac in primis Tonſtallus, quo cum non mitius actum, homine mitiſſimo, moribuſque ſuauiſſimis, vehementer miror. Sed pœna talium virorum, qui ſub Henrico Rege eccleſiæ noſtræ lumina cenſebantur, id petitum credo, vt cæteri eiuſdem ordinis, eorum admoniti exemplo, omni ſimulatione abiecta, aut dignioribus cederent præſulatus ſuos, aut eccleſiæ reformationi ſecundum normam & præſcripta legum nuper latarum ſincerè & ex animo ſtudere diſcerent. Vtinam non eſſet exiſtimandum, in ijs loco pellendis id nonnullos ſpectaſſe, vt quaſi obice ſublato, ad Eccleſiarum viduatarum opes diripiendas aditus pateficeret. Nam Dunelmenſis Epiſcopatus, opulentiſſimus ille, ſtatim poſtquam exauthotarus eſt Tonſtallus, lata lege deſtructus eſt, fundis & vectigalibus cunctis ad fiſcum adiudicatis, & cæteri omnes, aut volentibus aut nolentibus ijs qui eos tunc tenebant, ita dilaniati

1548.

Et Epiſcopatu priuatur.

Bonerus item Londinenſis.

Digitized by Google

1548. & cenſibus imminuti ſunt, vt vix tertiam partem veterum prouentuum hodiè poſſideamus, quanquam nullum non mouerit lapidem Maria Regina, vt iniuſtè ablata reſtituerentur; ægre conſenſerit Elizabetha vt aliquid divelleretur; (quod tamen ſubinde fiebat) Iacobus autem noſter lege nuper ſancitâ, ne vlli, adeoque Regum cuiquam poſt hac fas ſit, Epiſcopalia prædia attingere, ſic vt mediocris cenſus non pendatur, & integra fundi poſſeſſio poſt annos 21. aut trium hominum quibus is elocatus eſſet deceſſum, ad Epiſcopum denuo non redeat. Aliquot iam annos ad id aulici aſſueuerant vt Eccleſiæ corpus famelici depaſcerent, nec dum dedicerant (quanquam oſſibus duntaxat relictis,) alibi prædam petere: & infantia Regi sincerto adhuc & fluctuante religionis ſtatu, ad omne genus ſacrilegij viam aperuerat; vt magnas DEO gratias merito habendas exiſtimem, quod operariorum in vinea hac Anglicana mercedem ac alimoniam vniuerſam, locuſtæ huiuſmodi non devorarint. Adeo vero procul id eſt, vt facere potuerint, Epiſcopi vt noſtri aliique prælati (Decani, Archidiaconi & Eccleſiarum Cathedralium canonici) habeant plerumque vnde perhonorificè viuant, & inter concionatores paulo doctiores infœlix hodie cenſeatur, cui ad victum 300. aut 400. aurei annuatim non ſuppetant. Eccleſiarum reformatarum per orbem Chriſtianum reliquis vtinam tam bene prouiſum eſſet, vt vel paucas reperire poſſemus cum noſtrâ hac in parte conferendas. Verum iſta quod aiunt extra oleas. Circa hoc tempus inter Ducem Somerſetenſem Protectorem & fratrem ſuum Angliæ Admirallium ſimultas oborta eſt, non ſolum ipſis, ſed Regi etiam (vt plurimi autumant) exitialis. Initium ea ſumpſiſſe dicitur ex æmulatione muliebri. Thomas Admirallius, Catharinam Parram habebat in matrimonio, Henrici Regis relictam. Si quis iam exiſtat qui conijcere non poſſit, quomodo conuenerit inter iſtam (non ita pridem regnantis coniugem) & vxorem Somerſetenſis, qui Regni Protector iam quaſi regnare videbatur, & Admirallium ætate, dignitate, hominúmque æſtimatione multis (quod aiunt) paraſangis anteibat; legat velim Herodiani librum primum, & animaduertat quid inter Criſpinam acciderit Commodi vxorem, ac Lucillam L. Vero

Diſſidia inter Somerſetenſem & Admirallium, vnde vtrique pernicies.

Vero Imperatori olim denuptam. Cæterum diſſidia mulie- 1548
rum adiuvabant diuerſa fratrum ingenia. Erat Somerſetenſis manſuetus, placidus, candidus & apertus, ac malitiæ omnis planè expers: Admirallius è contra turbidus, ferox, ambitioſus, quique ſemet ipſum publicâ adminiſtratione fratre digniorem exiſtimabat. Paulo igitur poſt mortem Henrici, iuveni erat in animo; nuptias ambire Elizabethæ, quæ vix dum nubilis, Regis erat ſoror natu minima, & poſtea fœliciſſimum regnum ad quadrageſimum quintum produxit annum. Sed à fratre Protectore cohibitus eſt, viro prudente quem non latuit, cœptum id eſſet quam temerarium & periculo plenum. Poſteaquam Catharinam duxiſſet, mulierem formoſiſſimam itidem & nobiliſſimam, ac diuitijs planè Regijs affluentem, hominis cupiditates quamuis immodicas, expletas vtcunque omnes exiſtimabant; quod longè tamen aliter accidiſſe perſpicit, qui fidem adhibebit legi contra eum paulo poſt latæ, ſed ab inimicis forte (præualente factione aduerſâ) compoſitæ. Mihi enim vero non inhoneſtum arbitror futurum, ſi tradita referam & publicis tabulis conſignata, præſertim cum habeam perſuaſum à vero non multum ea abhorrere. Sic igitur habetote: Cum amicis, opibus & clientelis ſe muniiſſet, & fratris lenitatem pro ſocordiâ duceret; cœpit ſimul eum contemnere, & rationes ſecum inire, quomodo gradu eum deijceret, & deiecti locum ipſe (Regi tum ſanguine coniunctiſſimus) occuparet. Ad id conducere videbatur, fratris actiones vbique clandeſtinis obtrectationibus vellicare, miniſtros regios, ac præſertim gratioſos, muneribus corrumpere, proceres blanditijs & pollicitationibus paulatim ſuos facere, arcem ſuam Holtenſem, armis, commeatu, & omni genere bellici apparatus inſtruere, ſed ſuper omnia pecuniæ vim magnam in promptu habere. Quæ ſingula cum diligentiſſime curaſſet, & ne vllo modo re nummaria deſtitueretur, fiſcum ingenti pecuniâ expilaſſet; cœpit procerum nonnullis aperire conſilium, rerum ſummam ad ſe vnicum trahendi, regem ſuæ poteſtatis per vim faciendo; eoque veſaniæ proceſſit, vt eorum vni promittere auſus fuerit, Regem illius filiam deſponſaturum, modo conatus ſuos promouere pro virili non grauaretur. Hæc molienti Regina vxor erepta eſt;

puellam

1548. puellam enixa, menſe Septembri, in puerperio deceſſit. Neque defuere qui veneno mariti opera ſublatam augurarentur. Nam ad cupitas olim nuptias Elizabethæ Principis illico poſt uxoris mortem multo quam antea importuniùs anhelabat; id omnibus nervis enitens, ut matrimonio vel clanculum ei coniungeretur, quomodo priorem coniugem olim duxerat, venia à Rege aut tutoribus non petita, donec poſtea quam nuptiæ celebratæ ſunt.

ANNO CHRISTI 1549. REG. 3.

Tho. Seimerus Admirallius decapitatus.

SVB initium huius anni, aut fortè paulò ante, Parliamentum coactum eſt, cuius authoritate, Seimerus Admirallius Regis avunculus, criminum prædictorum reus factus, in turrim Londinenſem coniectus, & lata lege inauditus ad mortem damnatus eſt. Cumque decimo quarto Martij conventus ſolutus eſſet, ſexto poſt die in publicum productus, ſecuri percuſſus eſt, prius vehementer obteſtatus, adverſus Regem aut rempub. nunquam volentem aliquid perpetraſſe, aut ut perpetraret in animo habuiſſe. De morte eius variæ hominum ſententiæ, varia iudicia memorantur. Protectorem, quod fratrem indicta cauſa tam facile plecti permiſerit, alij vituperabant, & ignaviæ ſummæ tribuebant, dicentes iuvenilis ſervoris errores huiuſmodi condonandos potiùs fuiſſe, quam vel Regem avunculi, vel ſe fratris adminiculo deſtituendum. Ipſúmque qui monerent non defuiſſe, audivi ſæpe à maioribus natu, quid ageret caveret: noſſe ſe qui fratres lachrymas effundere permiſerint forte nonnullos, qui ſanguinem, cum id prohibere poſſent, vix quenquam. Metuendum valde, ne mors fraterna ipſi aliquando exitio verteret, imo & Regi tandem talibus amicis orbato, periculum crearet. Alij è contrario, quod fraternam neceſſitudinem publicæ ſaluti poſtpoſuiſſet, laudibus tollebant; nihil in publica adminiſtratione inconcuſſum & firmum permanſurum diſſerentes, ſi authoribus rerum novarum quantumvis Regi ſanguine coniunctis, impune ſit futurum. Alij deinde de Protectore, ſua maxime intereſſe aiebant, hominem è medio tollere, ſi vel ſuam vel Regis ipſius ſalutem ſpectaret. Quid enim aliud his conſilijs petitum, quam ut

poſtquam

poſtquam regij corporis cuſtodiam nactus fuiſſet, & fratrem dignitate ſpoliaſſet, Elizabetham etiam Regis ſororem coniugio ſibi copulaſſet : Regem infirmum puerum ac propinquis orbatum, veneno aut alia quavis ratione vita privaret, & regnum ipſe tum demum invaderet, tanquam uxori debitum, utpote quòd Maria ſoror natu maior, ſed ex inceſto & parum legitimo matrimonio procreata, nulla ſibi ratione vendicare debebat. In hanc fermè ſententiam diſſertatum in concione ſacra coram Rege, ab Hugone Latimero, qui Epiſcopus olim Wigorniensis, præſulatum ante decem annos abdicarat, & à concionandi munere poſtea ſemper abſtinuerat, donec poſt mortem Henrici Regis ſuper candelabrum hæc lucerna iterum collocata eſt, ut eccleſiam DEI ſuis radijs illuſtaret. Quam vero rectè hanc Seimeri cauſam dijudicaret, ego non pronuntio. Sive ambitione ſua, ſive inimicorum invidia præceps datus, ſic vt retulimus is vitam finijt, vir bello ſtrenuus, & conſilio non poſtremus, ſuaque ruina fratrem brevi poſtea traxiſſe videtur. Menſe interim Maio per diverſas Angliæ regiones ingens exorta eſt ſeditio, cui occaſionem dediſſe videtur nobilium quorundam avaritia, qui agros publicos ad venationes & vſus privatos ſcrobibus ſepibúſque paſſim includebant. Quod cum graviter ferre populares, conſiliarijs regijs innotuiſſet; rémque ad ſeditionem ſpectare, niſi de remedio maturè proviſum eſſet; Miſſi ſunt in Cantium (vnde primum de huiuſmodi rebus querimonia emanarat) qui de tota re cognoſcerent, & ſontes admonerent, ut complanatis foſsis & munimentis deiectis, publici iuris iterum ſpontefacerent, quæ per vim & iniuriam reip. eripuiſſent, niſi mallent non ſolum ad id authoritate regia cogi, ſed etiam pœnam luere, qua cæteri omnes ab huiuſmodi maleficio deterrerentur. Plurimi his auditis morem geſſerunt, & grato plebi ſpectaculo, quæ ipſi ſtruxerant ſepimenta, diſijci ac diſturbari curarunt. Cum ad vicinas regiones eiuſce rei fama perveniſſet, indignati populares quòd ſibi quoque agri iam dudum non eſſent reſtituti, haud expectato magiſtratuum mandato, quaſi poteſtate ſingulis facta ut ſuarum in hâc parte iniuriarum & judices & vindices eſſe liceret: arma rapientes, ad revellenda agrorum clauſtra huiuſmodi turmatim convolant, quando illud effeciſſent, nihil aliud (ut videbatur) molituri

1549.

Seditio ruſticorum.

Digitized by Google

1549. moliturі. Sed ut aqua marina littus vel paululum ſupergreſſa, viam ſibi paulatim aperiens, agros tandem, villas totáſque regiones inundat, nec niſi magno molimine coerceri poteſt: Sic iſti, poſtquam legum præſcripta ſemel tranſcenderant, in omne genus licentiæ paulatim effuſi, oppida villáſque quacunque tranſiere diripuerunt, multóſque mortales cœptis ſuis non faventes, trucidarunt: & aggregantibus ſeſe ad hanc colluviem tenuiori plebe, aut quibus præſens rerum conditio non placeret, ad tantam multitudinem excreverunt, ut magno exercitu opus videretur, ad horum conatibus reſiſtendum. Et

In Norfolciâ. quamvis atrocius in Comitatu Norſolcienſi quam alibi vſpiam hic furor, & omnia perturbandi libido exarſit; tamen per omnes ferè regni partes lues vndíque diffuſa, paucas intactas & ſinceras reliquit. Nam Cantianos, Oxonienſes, Surreienſes, Buckingamenſes, Eaſtſaxones, Cantabrigienſes, Eboracenſes, Lincolnienſes, & præcipuè Devonienſes, Somerſetenſéſque ijſdem tumultibus implicuit. In ſola Norfolcia 20. numerabantur millia, qui viribus iam ſuis confiſi, non ampliùs de incluſis agris mentionem faciunt, ſed de rebus multo maioribus querimoniam inſtituentes, à paucis nobilibus ingenuam plebem vbíque premi, opprimi & conculcari dicunt, ut ij nimirum in ſummis delicijs helluentur, dum ipſi aſſiduis laboribus attriti, miſeram vitam in duriſſimâ ſervitute, iumentorum inſtar degant. At enim corporis & præſentis vitæ ærumnas à conſtante viro vtcunque preferendas, animarum iacturam vel mille mortibus redimendam. Sacrorum ritus à maioribus acceptos aboleri, novos invectos, novam religionis formam obtrudi. Morte cætera finiri mala: Impietate huiuſmodi ſi animas ſinant contaminari & pollui, quid illis miſerius, quibus exitus præſentium, initium ſit futurorum, pænarum videlicet infernalium, quas in æternum nulla mors terminaverit. Quidni igitur regiam petant, & Principi propter ætatis teneritudinem ſui nondum compoti fidos conſtituant Conſiliarios, amotis illis qui rerum modo potiti, ſacra, prophana, agant, ferant, miſceant, haud aliud ſpectantes, quam ut ſeſe locupletent, ex reip. opibus, & in publicis malis feſtos dies ducant? Hæc omnium ubíque vox erat, ac Devonienſium in primis, qui ex ſuis duces ſibi præponentes, copias in unum coniungere ſatagebant.

Digitized by Google

bant. Id ne fieret, immiſſi in eos regij, alij in Norfolciam, in Devoniam alij. In Norfolciam 1500. neque plures, ductore Gul. Parro Marchione Northantonenſi. Norwicum (civitatem amplam, ſed infirmis mœnibus tunc temporis cinctam) contra ruſticorum vim aliquandiu egregie tutati ſunt. Sed amiſſo Sheffeldio Barone, & alijs ſuorum permultis: pulſi, civitatem tandem coacti ſunt hoſtibus relinquere, qui omnia diripientes, tectis etiam ad extremum ignem ſubiecerunt, & magnam ædificiorum partem incenderunt. Hoc poſtquam Conſiliarijs nuntiatum eſt, Warwicenſi Comiti Dudlæo maiores adhuc copiæ traditæ ſunt, qui vir egregiè fortis, & in bello Dux præſtantiſſimus, non ſolum civitate ruſticos excedere coegit, ſed etiam abeuntes inſequens ad confligendum compulit. Poſtquam pugnam devitandi nullam rationem invenirent ſcelerati iſti, captivos omnes (nobiles ij erant pleríque) in prima acie vinctos & concatenatos, ordine longo pro vallo collocaſſe dicuntur, ut primum noſtrorum impetum ij ſoli ſuſtinerent: qui tamen penè omnes periculum evaſerunt, & hoſtes nihilominus profligati, capti fere cuncti aut interempti ſunt, niſi quod manus quædam hominum inter cæteros ſtrenuiſſimorum ſe recipiens è fuga, & pugnam redintegrare conata, propoſita delictorum venia (cum arma ſponte omnes abieciſſent) incolumis dimiſſa eſt. Seditionis anteſignani magno numero in crucem acti, ſuſpendio interiêrunt. At omnium Dux & Princeps Rob. Kettus (qui coriarius extitit, ſed homo ut in illa fortuna dives, ad 6. millia aureorum opes poſſidebat) extructo ſupra turrim editiſsimam arcis Norwicenſis patibulo, in eo laqueo prius ſtrangulatus, diu pependit, donec turpi tabo cadaver defluxiſſet, quod genus ſupplicij noſtri omnium graviſsimum & maxime intolerandum cenſent. Iſta dum fierent in orientali regni parte, in occidente nihilo minus tumultuatum eſt. Devonienſium & Cornugallenſium (quibus etiam ex agro Somerſetenſi nonnulli acceſſerunt) ad 15. millia hominum ob cauſas ſupradictas arma ſumpſerunt, ac poſtquam non multum regionis peragraſſent: Exoniam (civitatem totius occidentis celeberrimam) obſidione cinxerunt, quam cives 40. totos dies (quanquam ab omnibus rebus imparatiſſimi) fortiſſimè pertulerunt, ad Auguſti nimirum diem

1549.

In Devoniâ.

Digitized by Google

1549. ſextum, quo tempore, Io. Baro Ruſſellius (poſtea Comes Bedfordienſis creatus) cum copijs & commeatu vrbem ingreſſus, obſidionem ſolvit, & ſeditioſos perſequens, plus minus 4. hominum millia vel occidit vel cepit, ex quibus poſtea multi capitali ſupplicio affecti ſunt, ac Dux in primis, Humfredus Arundellus arcis quæ eſt ad Montem Sancti Michaëlis in Cornubia præfectus, homo nobili ortus familia & bene opulentus, ut iure mireris quænam væſania eum propulerit ſe tam ſtolidis perditiſſimorum hominum conatibus adiungere. Cum illo ſuſpenſi feruntur 8. ſacerdotes Rob. Bochinus, Io. Tomſonus, Rogerus Barettus, Io. Vlcocus, Gul. Aſa, Iacobus Mortonus, Io. Baro, & Ric. Benettus, prætereáque Roſogani duo, Io. & Iacobus. Io. Paynus, Tho. Vnderillus, ac Io. Solmanus, qui omnes ſeditionis huius faces & tumultus concitandi præcipui authores noſcebantur. Cives Exonienſes in memoriam liberationis à tanto periculo, diem prædictum Aug. 6. inter feſtos numerant, & anniverſaria ſolemnitate in hodiernum vſque pergunt colere. Quod ad reliquas ſeditiones attinet in diverſis regionibus concitatas, tempeſtive & in initijs oppreſſæ ea fuere, punitis authoribus, ut de illis multa ſcribere res non exigat. Domeſticis ſeditionibus bella externa hic annus coniunxit. Nam Gallorum Rex Henricus, nos cernens tumultibus huiuſmodi domi implicitos, arrepta inde occaſione; paternis pactionibus reſciſſis, primum in agrum Bolonienſem impetum fecit: & cum res ibi non peſſime ſucceſsiſſe videret, claſſem emiſit ſatis numeroſam ut inſulas caperet Ierneſiam & Garneſiam, quæ iam inde ab eo tempore quo Dux Normanorum Gul. Angliæ Rex factus eſt, Anglicæ ditionis ſemper fuerunt, & ex omni ducatu Normannico, ſolæ nobis relictæ ſunt. Ibi Galli cum magna ſuorum ſtrage repulſi ſunt, exigua noſtrorum iactura. Mille Gallos in eo conflictu cecidiſſe, ex noſtris pauciſsimos, Io. Stous in Annalibus teſtatur. Circa Boloniam aliquot munitiones amiſſæ ſunt, Mons Lamberti, Sellaqua, Blanconetium & Ambletellium. Sellaqua à duobus ſignis defendebatur, & tormentis aliquandiù verberata, dum noſtri cum Gallis incautiùs colloquuntur, vi capta eſt Auguſti 25. Ambletellij 6. erant ſigna peditum, qui locum aliquot dies fortiter tutati: cum tantis copijs ſe impares ſenſiſſent, incolumitatem

Munitiones aliquot in agro Bolon. capta.

tatem

Digitized by Google

tatem pacti, caſtellum dediderunt. Qui Blanconetium tenebant, haud expectato impetu, miſſis ex ſuo numero nuntijs vt vita & re ſaluis abire liceret, impetrarunt. Nec vero hic terror ſtetit:qui in Lamberti Monte erant,hoſte non expectato,incenſis tabernaculis,& commeatu corrupto, retro, Guineam petierunt. Caſtellum ad turrem ordinis extructum, in loco ſatis munito, Gallorum vim diu ſuſtinuit, donec ingruente hyeme exercitum dimitterent. Munitionum iſtarum iactura, Protectori apud vulgus magnam creauit inuidiam, & æmulis anſam præbuit adminiſtrationem eius vt pravam obtrectandi. Inter cæteros omnes conſiliarios, longè eminebat Dudlæus, Comes Warwicenſis, qui eouſque euectus, animi ingentis homo, & ob res domi foríſque geſtas clariſſimus, Somerſetenſem vt ſe vera æſtimatione minorem cœpit contemnere, & hoc ſimul perſuaſum habere, ſi loco eum poſſet pellere, non alteri cuiquam quàm ſibi ipſi tantam potentiam obuenturam. Et fratris auxilio orbatum,

1549.

Simultas inter Somerſetium & Warwicenſem.

(En quo diſcordia fratres
Perducit miſeros)

Haud magno iam molimine euerti à ſe poſſe, modo paululum conniteretur, ſperabat. Accuſationum igitur materiam dum vbique conquirit, Somerſetenſi conatus eius patefacti ſunt: qui ſe oppugnatum ſentiens, & adhuc fortaſſis non bene gnarus vtrum vi & armis, an iure & legibus ſecum Warwicenſis contendere decreuiſſet, ſexto die Octobris, Rege ad Hantoni curiam moram faciente, literas ad Londinenſes ſcripſit, in quibus mille homines armatos ad ſe confeſtim mitti poſtulauit, qui Regem ſéque aduerſus vim intentatam tuerentur. Deinde, in Regione Hantoni curiæ vicina delectum habuit, ac poſtquam mediocrem manum contraxiſſet, Regem Windeſoram eâdem nocte avexit (arcem videlicet egregiè munitam 12. milliaribus ab Hantoni curia diſtantem) & procerum conſiliariorumque regiorum quot potuit nanciſci ſecum deduxit. Verum Warwicenſis, maximam conſiliariorum partem Londinum convocauerat, & multa de Somerſetenſi conqueſtus, vt ſibi contra eum adeſſent obſecrabat, qui capiti eius (ſic perhibebat) inſidias ſtruxiſſet. Quapropter illi etiam miſſâ ad Londinenſes e-

 piſtolâ,

Digitized by Google

1549. ſextum, quo tempore, Io. Baro Ruſſellius (poſtea Comes Bedfordienſis creatus) cum copijs & commeatu vrbem ingreſſus, obſidionem ſoluit, & ſeditioſos perſequens, plus minus 4. hominum millia vel occidit vel cepit, ex quibus poſtea multi capitali ſupplicio affecti ſunt, ac Dux in primis, Humfredus Arundellus arcis quæ eſt ad Montem Sancti Michaelis in Cornubia præfectus, homo nobili ortus familia & bene opulentus, ut iure mireris quænam væſania eum propulerit ſe tam ſtolidis perditiſſimorum hominum conatibus adiungere. Cum illo ſuſpenſi feruntur 8. ſacerdotes Rob. Bochinus, Io. Tomſonus, Rogerus Barettus, Io. Vlcocus, Gul. Aſa, Iacobus Mortonus, Io. Baro, & Ric. Benettus, prætereáque Roſogani duo, Io. & Iacobus. Io. Paynus, Tho. Vnderillus, ac Io. Solmanus, qui omnes ſeditionis huius faces & tumultus concitandi præcipui authores noſcebantur. Cives Exonienſes in memoriam liberationis à tanto periculo, diem prædictum Aug. 6. inter feſtos numerant, & anniverſaria ſolemnitate in hodiernum vſque pergunt colere. Quod ad reliquas ſeditiones attinet in diverſis regionibus concitatas, tempeſtive & in initijs oppreſſæ eæ fuere, punitis authoribus, ut de illis multa ſcribere res non exigat. Domeſticis ſeditionibus bella externa hic annus coniunxit. Nam Gallorum Rex Henricus, nos cernens tumultibus huiuſmodi domi implicitos, arrepta inde occaſione; paternis pactionibus reſciſsis, primum in agrum Bolonienſem impetum fecit: & cum res ibi non peſsime ſucceſsiſſe videret, claſſem emiſit ſatis numeroſam ut inſulas caperet Ierneſiam & Garneſiam, quæ iam inde ab eo tempore quo Dux Normanorum Gul. Angliæ Rex factus eſt, Anglicæ ditionis ſemper fuerunt, & ex omni ducatu Normannico, ſolæ nobis relictæ ſunt. Ibi Galli cum magna ſuorum ſtrage repulſi ſunt, exigua noſtrorum iactura. Mille Gallos in eo conflictu cecidiſſe, ex noſtris pauciſsimos, Io. Stous in Annalibus teſtatur. Circa Boloniam aliquot munitiones amiſſæ ſunt, Mons Lamberti, Sellaqua, Blanconetium & Ambletellium. Sellaqua à duobus ſignis defendebatur, & tormentis aliquandiu verberata, dum noſtri cum Gallis incautiùs colloquuntur, vi capta eſt Auguſti 25. Ambletellij 6. erant ſigna peditum, qui locum aliquot dies fortiter tutati: cum tantis copijs ſe impares ſenſiſſent, incolumitatem

Munitiones aliquot in agro Bolon. captæ.

Digitized by Google

tatem pacti, caſtellum dediderunt. Qui Blanconetium tenebant, haud expectato impetu, miſſis ex ſuo numero nuntijs vt vita & re ſaluis abire liceret, impetrarunt. Nec vero hic terror ſtetit: qui in Lamberti Monte erant, hoſte non expectato, incenſis tabernaculis, & commeatu corrupto, retro, Guineam petierunt. Caſtellum ad turrem ordinis extructum, in loco ſatis munito, Gallorum vim diu ſuſtinuit, donec ingruente hyeme exercitum dimitterent. Munitionum iſtarum iactura, Protectori apud vulgus magnam creauit inuidiam, & æmulis anſam præbuit adminiſtrationem eius vt pravam obtrectandi. Inter cæteros omnes conſiliarios, longè eminebat Dudlæus, Comes Warwicenſis, qui eouſque euectus, animi ingentis homo, & ob res domi foriſque geſtas clariſſimus, Somerſetenſem vt ſe vera æſtimatione minorem cœpit contemnere, & hoc ſimul perſuaſum habere, ſi loco eum poſſet pellere, non alteri cuiquam quàm ſibi ipſi tantam potentiam obuenturam. Et fratris auxilio orbatum, 1549. *Simultas inter Somerſetium & Warwicenſem.*

(*En quo diſcordia fratres*
Perducit miſeros)

Haud magno iam molimine euerti à ſe poſſe, modo paululum conniteretur, ſperabat. Accuſationum igitur materiam dum vbique conquirit, Somerſetenſi conatus eius patefacti ſunt: qui ſe oppugnatum ſentiens, & adhuc fortaſſis non bene gnarus vtrum vi & armis, an iure & legibus ſecum Warwicenſis contendere decreuiſſet, ſexto die Octobris, Rege ad Hantoni curiam moram faciente, literas ad Londinenſes ſcripſit, in quibus mille homines armatos ad ſe confeſtim mitti poſtulauit, qui Regem ſéque aduerſus vim intentatam tuerentur. Deinde, in Regione Hantoni curiæ vicina delectum habuit, ac poſtquam mediocrem manum contraxiſſet, Regem Windeſoram eâdem nocte avexit (arcem videlicet egregiè munitam 12. milliaribus ab Hantoni curia diſtantem) & procerum conſiliariorumque regiorum quot potuit naſciſci ſecum deduxit. Verum Warwicenſis, maximam conſiliariorum partem Londinum convocauerat, & multa de Somerſetenſi conqueſtus, vt ſibi contra eum adeſſent obſecrabat, qui capiti eius (ſic perhibebat) inſidias ſtruxiſſet. Quapropter illi etiam miſſâ ad Londinenſes epiſtolâ,

Digitized by Google

1549. piſtola, copias petebant, quibus Regem ex hoſtis ſui manibus (ita Somerſetenſem appellabant) eruerent. Tum edicta publicè proponebant, in quibus eum grauiſſimè criminabantur; ac criminationis quidem capita hæc præcipua extitere. Quòd pacatum reip. ſtatum quem Henricus Rex moriens reliquerat, diſcordiarum ſemina iaciendo turbaſſet, & non paucis hominum millibus in bello ciuili nuper ſublatis exitij cauſa extitiſſet: Quòd munitiones plurimæ ab Henrico Rege cum proprij corporis & vitæ periculo acquiſitæ, illius ſiue ignauia ſiue perfidia amiſſæ fuiſſent: Quòd cæterorum qui eſſent Regi à ſecretis, conſilia parui pependiſſet: Quòd Henrici præſcripta de Regnis Angliæ & Hiberniæ adminiſtrandis plane neglexiſſet: Et denique, quòd huic duntaxat rei ſtuduiſſet, vt ſibi opes quàm maximas accumularet, regni proceres inter ſe committeret, factioſos ſibi homines quo ad nutum quiduis molienti adeſſent adiungeret, ac palatia ſumptuoſa, priuatumque modulum ſupergreſſa, extrueret, eo ipſo tempore, quando bellis tàm inteſtinis quàm externis reſp. grauiſſime premebatur. De hiſce omnibus rebus Somerſetenſis certior factus, & ſe à cunctis deſertum videns (nam Londinenſes non ſolum auxilij nihil petenti ſunt largiti, ſed aduerſario Warwicenſi 500. milites dederunt, & procerum fere vnuſquiſque ad illum, Warwicenſem dico, ſe aggregarunt) hoc ſolum deprecatus vt à vi abſtineretur, & in ſe ſecundum leges ageretur, in manus illorum ſéque Regémque tradidit, à quibus in turrim ſiue arcem Londinenſem Octob. 14. coniectus eſt, vnà cum Mich. Stanhopo, Tho. Smitho & Io. Thinno equitibus auratis, ac alijs præterea nonnullis. Hoc anno Nouemb. 10. mortem obijt Paulus III. Papa cum annos plus minus 15. ſediſſet. Eo defuncto Cardinales de more conclaue ingreſſi vt nouum Pontificem eligerent, de Reginaldo Polo Cardinale noſtro ſtatim agere cœperunt, in quo, ſanguinis nobilitas (nam proxima cognatione Regem contingebat) & morum grauitas cum eximia eruditione coniuncta extitit. Cardinales tunc ſuffragaturi in duas præcipuè factiones diſtracti erant: pars Cæſarianis rebus ſtudebat, pars Gallo: nonnulli etiam fuere (eorum Princeps Farneſius defuncti Papæ nepos) qui à factione integri,

Somerſetenſis in carcerem.

Papa moritur.

Card. Polus in Papam eligitur.

Digitized by Google

gri, ſe medios inter vtrumque gerebant. Iſti Cæſarianis coniuncti vota vnanimiter in Polum contulerunt. Quod ipſi quàm primum innotuit, temeritatis eos accuſauit, iterum atque iterum admonens, ne quam animi perturbationem in conſilium adhiberent, aut aliquid amicitiæ & gratiæ darent, ſed omnes ſuas cogitationes ad DEI honorem & Eccleſiæ vtilitatem referrent. Ita negotio per ipſum Polum mora iniecta, Galli Cardinales rationem habendam clamitabant, multorum è collegio ſuo qui propter viæ longinquitatem adeſſe nondum valuiſſent, iniquum eſſe dicentes, electionem præcipitari antequam omnes potuiſſent conuenire. Vnus enim vero qui cæteris authoritate videbatur eminere, ſperans ſi Polum deieciſſet, ſeſe fortaſſis eligendum (is erat Caraffa, qui aliquot annos poſtea Papa factus. Paulus IIII. appellatus eſt) ad calumnias & obtrectationes ſe conuertens, hæreſis & incontinentiæ ſuſpicionem Polo obiecit, in Germania dicens atque Tridentina legatione, Lutheranis aliquot nimium fuiſſe familiarem, cum Imm. Tremellio multam conſuetudinem habuiſſe, Anthonium vero Flaminium Lutheraniſmi ſuſpectum inter domeſticos ſuos aliquandiu numeratum & eccleſiaſticis dignitatibus ab eo locupletatum, in Viterbienſi legatione ſontibus plerunque peperciſſe, & paucos modico ſupplicio, nullos autem morte affeciſſe. Neque vero eam vultus grauitatem à luxuriæ ſuſpicione tam immunem eum præſtare, vt puellam quandam apud moniales enutritam, à ſe genitam plurimi non exiſtiment. Mirari proinde quid ſibi velint, quòd tanto impetu ad hunc unum eligendum ferantur, quaſi homines Pontificatu dignos Italia non progigneret, ab vltima ſcilicet Britannia hunc accerſendum: at quem in finem? nempe vt Cæſar cuius hic totus eſſet, Romam iterum quaſi conuiuando diriperet. His ita reſpondit Polus, vt non ſolum à criminibus obiectis ſe purgaret, ſed etiam ſuffragatorum cupiditatem ad eum Pontificem conſtituendum amplius accenderet. Nocte igitur quadam ad cubile eius concurrentes, Ludouicum Priulum Venetum familiarem ſuum, & ſibi ob morũ ſimilitudinem percharũ, excitare dormientem iubent, ideo veniſſe teſtati, vt Pontificem eum electũ, pro more adorarent, atque ita iam tandẽ negotium ad vmbilicum perducerent. 1549.

Quod

1549. Quod poſtquam expergeſacto Priulus gaudio geſtiens nunciaſſet, increpuit hominem amicè, & iam ad ſe accedentes Cardinales repulit: Nolle ſe nimirum tantam rem (quam pertimeſcendam potiùs quàm appetendam cenſebat) tumultuoſe & temere, ſed recte atque ordine agi: alienum eſſe noctis tempus, DEVM lucis non tenebrarum DEVM eſſe, rem igitur in proximam lucem differri debere: tum enim (ſi DEO placeret) meliùs confici poſſe. Cunctationem huiuſmodi Itali Cardinales ignauiæ & ſtupiditati tribuentes, hominem cœperunt contemnere, & mutatis ſententijs, non multo poſt Montanum Cardinalem Pontificem crearunt, qui Iulius III. nuncupatus eſt.

ANNO DOMINI 1550. REGN. 4.

CVM menſes plus minus tres in carcere iacuiſſet Somerſetenſis Dux, Regis Regnique paulo ante Protector, nec quicquam poſſet reperiri quod illi mortis pœnam irrogaret: neque vero conuenire videretur vt tantus vir ob leuius aliquod crimen vitam ibi perpetuò degere cogeretur, per idoneos homines actum eſt cum illo, vt ſe pœna quam pertuliſſet dignum fateretur, aut etiam maiori, ac deinde clementiam regiam imploraret. Quod ille cum non grauate præſtitiſſet, Februarij ſexto libertati reſtitutus eſt, ſed dignitati non item, Protectoris munere excluſus, & in ſenatorum regiorum album aſcriptus Apr. 8. Tumque bonorum quorundam virorum opera ſibi mutuo reconciliati ſunt Dux & Warwicenſis, & ne facile diſſiliret hæc coniunctio, affinitatis nexu placuit aſtringi. Vicecomiti Liſleio Warwicenſis primogenito, filia Somerſetenſis collocata eſt, & nuptiæ in præſentia Regis celebratæ Iunij 3. Refert Thuanus (quo authore neſcio) de antiquo Religionis cultu reſtituendo Warwicenſem ſe occultè ſollicitũ ſimulaſſe, eaque vnica techna multorum gratiam & fauorem ſibi conciliaſſe. Verùm cum fraus retecta eſſet, metuentem, ne priſtina gratia deſtitutus, mox concideret, quòd Papiſmo ſtudentes ſe deluſos cernerent, & ad Somerſetenſem clementiori ingenio virum ſenſim tranſirent: præuertendum periculo exiſtimaſſe, & contractâ

Somerſet. è carcere liberatur.

cum

Digitized by Google

cum Somerſetio affinitate, ipſum carcere liberandum curaſſe. 1550.
Interim dum hæc fiunt (Ianuarij nempe decimonono) Io. Ruſſellius privati ſigilli cuſtos Comes Bedfordienſis creatus eſt: & Gul. Baro Sancti Ioannis, Comes fit Wiltonienſis, & Gul. Pagetus Baro Pagetus declaratur. Eorum duo, Bedfordienſis & Pagetus, tertio die poſt adeptos nouos hos honores in Galliam amandati ſunt, vnà cum Gul. Petero & Io. Maſono equitibus auratis, vt de componendâ pace agerent cum legatis à Gallo deſignatis. *Fœdus cum Scoto & Gallo.* Ij erant Mommorantius Picardiæ Præſes, Gaſpar Caſtellionæus Galliæ poſtmodum Admirallius, And. Gillarius Mortarius, & Gul. Bocetellus. Miſſus non ita pridem fuerat Pagetus ad Cæſarem, vt quereretur, bello hinc à Scotis, inde à Gallis nos foris premi, & inteſtinis ſeditionibus exagitari, ac proinde auxilium ab eo impetraret: ni ſuppetiæ ferantur, neceſſitatem imponi dicens, vt vel iniquis conditionibus cum Gallo tranſigamus. Ab eo cum nihil poſſet obtineri, ad pactiones huiuſmodi deſcenſum eſt, Boloniam & arces omnes in agro Bolonienſi extructas, Gallo in manus tradendas, vnà cum tormentis & omni bellico apparatu: pro quibus vt 400. aureorum millia duâbus penſionibus nobis Gallus dependeret, conuentum eſt. Landeram etiam ac Duglaſſiam in Scotia à noſtris occupatas reſtituendas, & Æmonem atque Roſemburgum quas munieramus, demoliendas (ſi ita Reginæ videretur) decretum eſt. In eo fœdere Cæſar comprehenſus eſt, quemadmodum etiam (vt habet Ia. Henric. Petrus) Scotiæ Regina, qui porro addit, ad hanc concordiam ſtabiliendam, non ſolum equeſtri dignitate ſe mutuo Reges honoraſſe (quod conſtat) ſed etiam (quod alibi nuſquam reperi) promiſſum vtrinque, vt vnam è Galli filiâbus Rex noſter duceret, quàm primum ad ætatem matrimonio habilem perveniſſet. Hæc vt rata eſſent, Apr. 8. obſides vtrinque dati ſunt, videlicet,

1550.

A noſtris,

Suffolciæ Dux.
Comes Hertfordienſis Somerſetenſis Ducis primogenitus.
Matreuetus Arundelliæ, Strangius Derbiæ, Fitz-walterus Bathoniæ — Comites.

A Gallis,

Dux Angianus.
Meduaniæ Marchio.
Conneſtabilis Mommorantij filius.
Lud Tremollius.
Fr. Viudocinus Carnutum Vicedominus.
Cl. Annebaldus.

Martij 3. de pace huiuſmodi inter nos & Gallum confectâ, in ciuitate Londinenſi publicè proclamatum eſt, & April. 25. Bolonia Gallis tradita, obſides remiſſi. Iulij deinde 30. mortem obijt Tho. Wriothſlæus Georgiani ordinis eques auratus, qui Angliæ non ita pridem Cancellarius, poſtquam primis noui regni diebus Southantoniæ Comes creatus eſſet, Concellarij munus breui poſtea ceſſit Richardo Richio Baroni. cumque ante ſex menſes ipſe cum Arundellio Comite Senatu Regio (neſcio quam ob cauſam) amotus eſſet, iam demum, ceu ægritudine animi, ſiue quacunque alia de cauſa, in morbum incidens è vitâ migrauit, & honorem Henrico filio reliquit, à quo genitus eſt Henricus, qui vtranque fortunam expertus, aduerſam olim tam fortiter pertulit, quam nunc moderatè ſe gerit in proſperâ, ad quam euexit eum clementiſſimus Rex noſter, omnium ſummâ cum gratulatione.

ANNO CHRISTI 1551. REGN. 5.

Sudor Anglicus.

OPPIDVM eſt quoddam ad limites Walliæ ſitum quod Salopia nuncupatur. Ibi loci Apr. 15. morbus grauis ac peſtilens originem ſumpſit, qui plurimas Angliæ Regiones hoc

Digitized by Google

hoc anno pervagatus, in Septentrionali regni plagâ circa Cal. Octobr. vix tandem euanuit, edita prius vbique tanta mortalium ſtrage, vt defunctorum numerus iniri omnino non potuerit. In ſola Londinenſi ciuitate, 800. intra ſeptem dierum ſpatium abſumptos conſtat. Hæc lues temporibus Henrici ſeptimi primum in hac noſtra Inſula olim graſſata anno 1486. ad alias poſtea nationes emanavit, & à loco vbi primum nata eſt ſudor Anglicus appellata. Eâ nempe correpti, ſudore affatim affluebant, & intra horas 24. animam plerunque exhalabant, multis ne ad duodecimam quidem perdurantibus. A Ioanne Stoo proditum reperi, honeſtos homines 7. qui patresfamilias extiterunt, ſimul veſperi conuiuatos hoc tempore, eorumque 6. ante horam 8. diei ſequentis (hoc eſt hora 13. vix dum elapſa) extinctos eſſe. Fœminæ, pueri, aut ſenes, hoc malo raro correpti, nec alij fere quam iuuenes in mediâ ætate conſtituti, qui ſi in principio morbi vel paululum obdormiſſent, illico interibant. Pauci etiam euaſerunt, quos morbus ſaturos inuaſit. Imo & cæterorum vix centeſimus quiſque ab initio reualuit, donec tempus malo remedium monſtrauit: quod huiuſmodi eſt. Si quis interdiu cœperit ægrotare, ſic vt erit veſtitus decumbat. Sin noctu & in lecto, quieſcat, nec ſe è loco moueat vſque ad 24. horas exactas. Interim ita ſe ſtragulis oneret, vt non prouocetur ſudor, ſed ſua ſponte molliter ſtillet, cibi nihil capiat ſi tam diu famem tolerare poſſit, neque plus potus conſueti ac calefacti hauriat, quàm modicè ſatis ſit ad ſitim reſtinguendam. Super omnia verò in primis cauendum, ne manum æger aut pedem ſui refrigerandi cauſa extra ſtragula proferat, quod facere lethale eſt. Huius morbi nouitatem adeo non miror: teſte Plinio lib. 26. cap. 1. Imo & experientia quotidiana, nouos ſubinde exoriri. Illud maxime mirabile iudico, noſtræ gentis homines hac tempeſtate vbiuis terrarum degentes, hoc malum afflixiſſe, intactis incolis, niſi in noſtra duntaxat Anglia. Peſtis igitur hæc tam dira & immanis multos mortales abſumpſit, interque cæteros, nonnullos ſpectatos claróſque viros, quorum facile princeps, Henricus Suffolciæ Dux ac deinde frater ſuus, qui Brandoni filij regiſque conſobrini, indolis præclaræ adoleſcentes, hoc morbo interierunt, primus nempe Henricus,

1550.

Suffolciæ Dux moritur.

1551. Henricus, tumque paucarum horarum interuallo ſecutus eum frater, cum Ducis titulum ad ſe germani morte delatum, ne integrum quidem diem vſurpaſſent. Ita is honor ad Henricum Graium Dorſetiæ Marchionem hæreditario iure deuolutus videbatur, qui Franciſcam Brandoni filiam natu maximam habebat in matrimonio. Octobris itaque 11. Suffolciæ Dux declaratus eſt. Quo etiam tempore Io. Dudlæus Comes Warwicenſis, Northumbriæ Dux renuntiatur: Gul. Powlettus Wiltoniæ Comes, fit Marchio Wintonienſis, & Gul. Herebertus eques auratus, Baro Cardifenſis, equorum regiorum præfectus, Comes tum Pembrochiæ creatus eſt. Dudlæi Graijque ſtirps maſcula iam dudum defecit: de Powlettis antea dictum eſt: Herebertus autem qui Catharinæ Parræ reginæ ſororius, à Gul. Hereberto ſub Edw. IIII. Pembrochiæ Comite ſtemma deduxit, filium reliquit Henricum, Gulielmi & Philippi patrem, quorum ille, auiti honoris hæres, in iuuenilibus annis prudentiam grauitatémque adeptus ſenilem, in ſenatum arcani concilij nuper allectus: iſte vero Mongomerius Comes à Iac. Rege non ita pridem creatus eſt. Eodem porro tempore quo proceres prædicti honoribus aucti ſunt, equeſtri dignitate honeſtati feruntur Io. Checus præceptor Regius, Henricus Dudlæus, Hen. Neuillius, & (quem honoris cauſâ libenter nomino) Gul. Cecilius. Cecilius inquam ille, qui Secretarius tunc Regius, propter ſummas animi virtutes vniuerſæ Europæ poſtmodum innotuit, & totius Angliæ Theſaurarius ſub Elizabetha Regina factus, Baro item Burleienſis, reip. noſtræ dum vixit alterum columen, ætatem longam, ſed perpetuis curis & laboribus pro publicâ ſalute ſuſceptis attritam, piâ tandem morte terminauit Aug. 4. 1598. magno certe deſiderio ſui apud omnes bonos relicto. Filios is reliquit duos, Thomam qui nunc floret Exoniæ Comes à Iacobo Rege creatus, & Robertum quem idem Rex poſtquam Sariſburiæ Comitem renuntiaſſet, ad ſummi porro Quæſtoris, ſiue (vt nunc loquimur) Theſaurarij munus euexit. Circa hoc tempus gratia male ſarta inter Somerſetenſem & Dudlæum in apertas tandem inimicitias erupit: adeo recrudeſcente hoc malo, vt Somerſetenſis homo manſuetiſſimus, crebris Dudlæi iniurijs prouocatus (furor fit ſæpius læſa

Duces & Comites creati.

Pembrochiæ Comites.

Inimicitiæ inter Somerſetium & Dudlæum redintegratæ.

læſa patientia) conſilium ſumpſerit (vt nonnulli ſcribunt) 1551.
eum interimendi. Ad decumbentem proinde, ſpecie illum viſendi acceſſit, occultâ loricâ tectus, & alios ſecum armatos trahens, quos in proximo cubiculo reliquit. Sed cum ad Dudlæum nudum in ſtrato cubantem introductus, humaniter ac beneuolè acceptus fuiſſet: vir miti ingenio pœnitentiâ ductus, quod deſtinauerat exequi noluit, atque inde re infectâ diſceſſit. Ferunt è coniuratis vnum, ab exeunte Duce percontatum, Anne effeciſti? atque illo negante, adieciſſe, ergo periiſti. Hoc Somerſetenſis conatu, ſuis ipſum prodentibus, detecto, iterum aduerſus eum accuſatio inſtituitur. Re ad conſilium delatâ, Octobris 16. in Turrim denuo coniectus eſt, vnà cum vxore & magna amicorum caterua, Graio Barone, Radulpho Vano, Tho. Palmero, Milone Partrigio, Mich. Stanhopo, Tho. Arundellio equitibus auratis, & aliis deinde permultis. Tum primo Decemb. in iudicium protractus, duplici crimine oneratur, proditionis nempe, quaſi publicam rem non prauè tantum ſed perfidè etiam adminiſtraſſet, ac coniurationis in Dudlæum antedictæ. Proditionis crimen facile diluit, de coniuratione vero non poterat inficiari, propter quam, ex lege quam ipſe nuper ferendam curaverat, ad mortem damnari ipſum oportebat. Ea nimirum conſtitutum erat, vt ſi quis aliquem ex regio ſenatu occidendi conſilium cepiſſe deprehenderetur, quamuis rem non perfeciſſet, id ipſum morte lueret. Apud noſtros in more eſt, vt proceribus de proditione accuſandis ad tribunal euntibus, ſecuris ingens præferatur, à reo auerſa acie, qui eo abſoluto abiicitur, damnato vero, iterum ad carcerem redeunti præfertur, ſed acie ad eum conuerſâ. Quàm primum igitur proditionis crimine abſolutus eſt Somerſetenſis, ſecuris illa terribilis depoſita eſt. Sed propter coniurationem, ad mortem nihilo ſecius damnatus eſt. In aula illa Weſtmonaſterienſi laxiſſima vbi habentur huiuſmodi iudicia, verba iudicum viciniorum pauci poterant audire, ſed quod factum erat cuncti videntes, abſolutum omnino Ducem exiſtimantes, ſublata voce tantum clamorem præ gaudio ediderunt, vt vltra crucem Charingiam (ad dimidium ferme milliare) exauditus feratur. Quo tanto popularis beneuolentiæ teſtimonio vehementer territi proceres perhibentur. Quid enim

1551. aliud exſpectandum erat, quam ut hic populi affectus Regem adultum ad avunculi mortem aliquando vindicandum extimularet,& quantumvis invitum vel nolentem propelleret? Id fortaſſis in cauſa fuit quod de Duce ſupplicium illico ſumptũ non fuerit. Hoc anno Epiſcopi aliquot qui reformationi eccleſiæ nolebant conſentire, amoti ſunt, & alij in eorum loca ſubſtituti. Gardinerus Wintonienſis (de quo anteà) Feb. 14. deprivatus eſt, ſicut etiam Daius Cicestrenſ. & Heathus Wigornienſ. ambo Octobr. 10. Tonſtallus Dunelmenſis Decemb. 20. in Turrim coniectus eſt. Bonerus Londinenſis Octobr. 1. 1549. exauthoratus fuerat. Omnes, ne quid moverent, in carcere detenti. Pridie Cal. Septemb. Franc. Engelfeldius, Walgravius & Rocheſtrius, Mariæ Principis miniſtri, in Turri ſunt incarcerati, ſicut & Franc. Malettus Theologiæ Doctor eiuſdem Principis ſacellanus. Cauſa mihi comperta non eſt, niſi de Maletto ſolo. Huic cum permiſſum eſſet ad Cæſaris petitionem ut coram Domina miſſi ficaret, ſed ne alibi id faceret interminatũ: quod in abſentiâ eius id auſus fuiſſet, puniri placuit. Cum ipſa omnibus modis diligentiſſime actũ eſt, vt reformatoribus ſeſe vellet adiungere, non ſolum crebris Epiſtolis ad eam perſcriptis quibus ad id hortati ſunt enixè Rex & conſiliarij ſui, ſed miſſis etiam hominibus idoneis, ut verbis & rationibus coram perſuaderent. Quæ omnia flocci faciens, ſuperſtitionem qua per matrem fuerat imbuta pertinaciſſime retinuit, religionem quippe exoſa, iuxta cuius ſcita, ipſa ſpuria, & regni (ſi fortè frater ſine prole decederet) nullo modo capax cenſenda eſſet. Apr. 14. Georgius quidam, Pariſienſis nomine, patria Germanus, ob Arrianiſmum Londini combuſtus eſt. Maij 25. regio quædam ad decimum à Londino lapidem in Comitatu Surreiæ (re apud noſtros valde inſolita) terræ motu concuſſa eſt Croydona nempe, ubi Archiepiſcopus Cantuarienſis domum habet ſatis magnificam, & 7. vel 8. pagi vicini. Sub initium Novembr. Maria Scotorum Regina, Iacobi nimirum quinti vidua, ad Portemutham appulit, ac miſſo ad Regem nuncio, ut iam in Scotiam liceret terreſtri itinere proficiſci, veniam rogavit, qui cum id conceſſit, tum Londinum etiam humaniter invitavit. Eo Novembr. ſecundo pervenit, & honorifice accepta, non ſolum à Rege, & proceribus, apud Regiam, ſed

Epiſcopi deprivati.

Cum Maria agitur de religione.

Famuli eius incarcerati.

Arrianus combuſtus.

Terræ Motus

Scotiæ Regina in Anglia.

ſed Londini à civibus, & à popularibus omnium regionum qua iter fecit: qui nimirum ſuis ſumptibus cuncta neceſſaria donec in Scotiam uſque perveniſſet itineranti ſibi ſuiſque omnibus ſuppeditarunt. Londino Scotiam verſus diſceſſit Novemb. ſexto. Sub idem quoque tempus Arundelliæ Comes & Gul. Baro Pagetus in Turrim (quam verò ob cauſam me latet) coniecti ſunt. Pageto Georgiani equitis inſigne periſcelis aurea, menſe Aprili ſequenti ablatum eſt, & Warwicenſis Comes Northumbrij primogenitus eodem ornatus. Ad Arundellium quod attinet, Decembris tertio anni ſequentis libertati reſtitutus eſt. Decemb. 21. Rich. Richius Baro, Cancellarij munere ſe abdicare iubetur, quod in Thomam Goodricum Elienſem Epiſcopum protinus collatum eſt.

1552. *Incarcerati Arundellius & Pagetus.* *Epiſcopus Elienſis Cancellarius.*

ANNO CHRISTI 1552. REG. 6.

NONO Cal. Februarij Dux Somerſetenſis cum duos fere menſes poſt damnationem in carcere iacuiſſet, quantumvis renitente Rege (cuius erat avunculus, & cuius pueritia ſub eo adoleverat) ad locum procerum ſupplicijs deſtinatum productus, ſecuri percutitur. Quamprimum pegma conſcendiſſet in quo plectendus erat, orationem inſtituit, in qua, ſe quod iuxta leges ad mortem damnatus eſſet, ad huiuſmodi pœnam ſubeundam ſemetipſum libenter exhibere teſtabatur, ut ſe legibus morigerum & obedientem oſtenderet. Porro magnas DEO gratias habere ſeſe, quod huiuſmodi exitum è vitâ conceſſiſſet, quo præparandi ſe & peccata deflendi tempus nactus fuerit, multo verò maximas, quod Evangelij doctrinam non ſolũ cognoſcere ipſum, ſed genti etiam Anglicanæ ſua opera proponi voluerit. Hoc ſibi magnopere ſe gratulari, in hoc vnicè triumphare: optare deinde, & omnibus votis à DEO contendere, ut Eccleſia ad antiquæ illius & primitivæ normam iam reformata, ſecundum doctrinæ traditæ puritatem vitam moreſque omnes inſtituere nitantur. Plura dicturum, tumultus quidam mirabilis, & repentina cunctorum qui aderant conſternatio interturbavit. Quaſi una voce omnes derepente fugiamus, fugiamus, clamitarent, unde ex infinita hominum multitudine qui ad tale ſpectaculum (ut fit) concurrerant, quotquot poterant, in fugam ſe coniecerunt, multi fugientium pedibus

Dux Somerſet. ſecuri percutitur. *Terror Panicus.*

Digitized by Google

1549. piſtola, copias petebant, quibus Regem ex hoſtis ſui manibus (ita Somerſetenſem appellabant) eruerent. Tum edicta publicè proponebant, in quibus eum grauiſſimè criminabantur; ac criminationis quidem capita hæc præcipua extitere. Quòd pacatum reip. ſtatum quem Henricus Rex moriens reliquerat, diſcordiarum ſemina iaciendo turbaſſet, & non paucis hominum millibus in bello ciuili nuper ſublatis exitij cauſa extitiſſet: Quòd munitiones plurimæ ab Henrico Rege cum proprij corporis & vitæ periculo acquiſitæ, illius ſiue ignauia ſiue perfidia amiſſæ fuiſſent: Quòd cæterorum qui eſſent Regi à ſecretis, conſilia parui pependiſſet: Quòd Henrici præſcripta de Regnis Angliæ & Hiberniæ adminiſtrandis plane neglexiſſet: Et denique, quòd huic duntaxat rei ſtuduiſſet, vt ſibi opes quàm maximas accumularet, regni proceres inter ſe committeret, factioſos ſibi homines quo ad nutum quiduis molienti adeſſent adiungeret, ac palatia ſumptuoſa, priuatumque modulum ſupergreſſa, extrueret, eo ipſo tempore, quando bellis tàm inteſtinis quàm externis reſp. grauiſſime premebatur. De hiſce omnibus rebus Somerſetenſis certior factus, & ſe à cunctis deſertum videns (nam Londinenſes non ſolum auxilij nihil petenti ſunt largiti, ſed aduerſario Warwicenſi 500. milites dederunt, & procerum fere vnuſquiſque ad illum, Warwicenſem dico, ſe aggregarunt) hoc ſolum deprecatus vt à vi abſtineretur, & in ſe ſecundum leges ageretur, in manus illorum ſéque Regémque tradidit, à quibus in turrim ſiue arcem Londinenſem Octob. 14. coniectus eſt, vnà cum Mich. Stanhopo, Tho. Smitho & Io. Thinno equitibus auratis, ac alijs præterea nonnullis. Hoc anno Nouemb. 10. mortem obijt Paulus III. Papa cum annos plus minus 15. ſediſſet. Eo defuncto Cardinales de more conclaue ingreſſi vt nouum Pontificem eligerent, de Reginaldo Polo Cardinale noſtro ſtatim agere cœperunt, in quo, ſanguinis nobilitas (nam proxima cognatione Regem contingebat) & morum grauitas cum eximia eruditione coniuncta extitit. Cardinales tunc ſuffragaturi in duas præcipuè factiones diſtracti erant: pars Cæſarianis rebus ſtudebat, pars Gallo: nonnulli etiam fuere (eorum Princeps Farneſius defuncti Papæ nepos) qui à factione integri,

Somerſetenſis in carcerem.

Papa moritur.

Card. Polus in Papam eligitur.

gri, ſe medios inter vtrumque gerebant. Iſti Cæſarianis coniuncti vota vnanimiter in Polum contulerunt. Quod ipſi quàm primum innotuit, temeritatis eos accuſauit, iterum atque iterum admonens, ne quam animi perturbationem in conſilium adhiberent, aut aliquid amicitiæ & gratiæ darent, ſed omnes ſuas cogitationes ad DEI honorem & Eccleſiæ vtilitatem referrent. Ita negotio per ipſum Polum mora iniecta, Galli Cardinales rationem habendam clamitabant, multorum è collegio ſuo qui propter viæ longinquitatem adeſſe nondum valuiſſent, iniquum eſſe dicentes, electionem præcipitari antequam omnes potuiſſent conuenire. Vnus enim vero qui cæteris authoritate videbatur eminere, ſperans ſi Polum deieciſſet, ſeſe fortaſſis eligendum (is erat Caraffa, qui aliquot annos poſtea Papa factus, Paulus IIII. appellatus eſt) ad calumnias & obtrectationes ſe conuertens, hæreſis & incontinentiæ ſuſpicionem Polo obiecit, in Germania dicens atque Tridentina legatione, Lutheranis aliquot nimium fuiſſe familiarem, cum Imm. Tremellio multam conſuetudinem habuiſſe, Anthonium vero Flaminium Lutheraniſmi ſuſpectum inter domeſticos ſuos aliquandiu numeratum & eccleſiaſticis dignitatibus ab eo locupletatum, in Viterbienſi legatione ſontibus plerunque pepercilſe, & paucos modico ſupplicio, nullos autem morte affeciſſe. Neque vero eam vultus grauitatem à luxuriæ ſuſpicione tam immunem eum præſtare, vt puellam quandam apud moniales enutritam, à ſe genitam plurimi non exiſtiment. Mirari proinde quid ſibi velint, quòd tanto impetu ad hunc unum eligendum ferantur, quaſi homines Pontificatu dignos Italia non progigneret, ab vltima ſcilicet Britannia hunc accerſendum: at quem in finem? nempe vt Cæſar cuius hic totus eſſet, Romam iterum quaſi conuiuando diriperet. His ita reſpondit Polus, vt non ſolum à criminibus obiectis ſe purgaret, ſed etiam ſuffragatorum cupiditatem ad eum Pontificem conſtituendum amplius accenderet. Nocte igitur quadam ad cubile eius concurrentes, Ludouicum Priulum Venetum familiarem ſuum, & ſibi ob morũ ſimilitudinem percharũ, excitare dormientem iubent, ideo veniſſe teſtati, vt Pontificem eum electũ, pro more adorarent, atque ita iam tandẽ negotium ad vmbilicum perducerent.

1549.

Quod

1549. Quod poſtquam expergefacto Priulus gaudio geſtiens nunciaſſet, increpuit hominem amicè, & iam ad ſe accedentes Cardinales repulit: Nolle ſe nimirum tantam rem (quam pertimeſcendam potiùs quàm appetendam cenſebat) tumultuoſe & temere, ſed recte atque ordine agi: alienum eſſe noctis tempus, DEVM lucis non tenebrarum DEVM eſſe, rem igitur in proximam lucem differri debere: tum enim (ſi DEO placeret) meliùs confici poſſe. Cunctationem huiuſmodi Itali Cardinales ignauiæ & ſtupiditati tribuentes, hominem cœperunt contemnere, & mutatis ſententijs, non multo poſt Montanum Cardinalem Pontificem crearunt, qui Iulius III. nuncupatus eſt.

ANNO DOMINI 1550. REGN. 4.

CVM menſes plus minus tres in carcere iacuiſſet Somerſetenſis Dux, Regis Regnique paulo ante Protector, nec quicquam poſſet reperiri quod illi mortis pœnam irrogaret: neque vero conuenire videretur vt tantus vir ob leuius aliquod crimen vitam ibi perpetuò degere cogeretur, per idoneos homines actum eſt cum illo, vt ſe pœna quam pertuliſſet dignum fateretur, aut etiam maiori, ac deinde clementiam regiam imploraret. Quod ille cum non grauate præſtitiſſet, Februarij ſexto libertati reſtitutus eſt, ſed dignitati non item, Protectoris munere excluſus, & in ſenatorum regiorum album aſcriptus Apr. 8. Tumque bonorum quorundam virorum opera ſibi mutuo reconciliati ſunt Dux & Warwicenſis, & ne facile diſſiliret hæc coniunctio, affinitatis nexu placuit aſtringi. Vicecomiti Liſleio Warwicenſis primogenito, filia Somerſetenſis collocata eſt, & nuptiæ in præſentia Regis celebratæ Iunij 3. Refert Thuanus (quo authore neſcio) de antiquo Religionis cultu reſtituendo Warwicenſem ſe occultè ſollicitũ ſimulaſſe, eaque vnica techna multorum gratiam & fauorem ſibi conciliaſſe. Verùm cum fraus retecta eſſet, metuentem, ne priſtina gratia deſtitutus, mox concideret, quòd Papiſmo ſtudentes ſe deluſos cernerent, & ad Somerſetenſem clementiori ingenio virum ſenſim tranſirent: præuertendum periculo exiſtimaſſe, & contractâ cum

Somerſet. è carcere liberatur.

Digitized by Google

cum Somerſetio affinitate, ipſum carcere liberandum curaſſe. 1550.
Interim dum hæc fiunt (Ianuarij nempe decimonono) Io. Ruſſellius privati ſigilli cuſtos Comes Bedfordienſis creatus eſt: & Gul. Baro Sancti Ioannis, Comes fit Wiltonienſis, & Gul. Pagetus Baro Pagetus declaratur. Eorum duo, Bedfordienſis & Pagetus, tertio die poſt adeptos nouos hos honores in Galliam amandati ſunt, vnà cum Gul. Petero & Io. Maſono equitibus auratis, vt de componendâ pace agerent cum legatis à Gallo deſignatis. Ij erant Mommorantius Picardiæ Præſes, Gaſpar Caſtellionæus Galliæ poſtmodum Admirallius, And. Gillarius Mortarius, & Gul. Bocetellus. Miſſus non ita pridem fuerat Pagetus ad Cæſarem, vt quereretur, bello hinc à Scotis, inde à Gallis nos foris premi, & inteſtinis ſeditionibus exagitari, ac proinde auxilium ab eo impetraret: ni ſuppetiæ ferantur, neceſſitatem imponi dicens, vt vel iniquis conditionibus cum Gallo tranſigamus. Ab eo cum nihil poſſet obtineri, ad pactiones huiuſmodi deſcenſum eſt, Boloniam & arces omnes in agro Bolonienſi extructas, Gallo in manus tradendas, vnà cum tormentis & omni bellico apparatu: pro quibus vt 400. aureorum millia duabus penſionibus nobis Gallus dependeret, conuentum eſt. Landeram etiam ac Duglaſſiam in Scotia à noſtris occupatas reſtituendas, & Æmonem atque Roſemburgum quas munieramus, demoliendas (ſi ita Reginæ videretur) decretum eſt. In eo fœdere Cæſar comprehenſus eſt, quemadmodum etiam (vt habet Ia. Henric. Petrus) Scotiæ Regina, qui porro addit, ad hanc concordiam ſtabiliendam, non ſolum equeſtri dignitate ſe mutuo Reges honoraſſe (quod conſtat) ſed etiam (quod alibi nuſquam reperi) promiſſum vtrinque, vt vnam è Galli filiâbus Rex noſter duceret, quàm primum ad ætatem matrimonio habilem perveniſſet. Hæc vt rata eſſent, Apr. 8. obſides vtrinque dati ſunt, videlicet,

Fœdus cum Scoto & Gallo.

Digitized by Google

1550.

A noſtris,

Suffolciæ Dux.
Comes Hertfordienſis Somerſetenſis Ducis primogenitus.
Matreuerus Arundelliæ
Strangius Derbiæ
Fitz-walterus Bathoniæ
} Comites.

A Gallis,

Dux Angianus.
Meduaniæ Marchio.
Conneſtabilis Mommorantij filius.
Lud Tremollius,
Fr. Vindocinus Carnutum Vicedominus.
Cl. Annebaldus.

Martij 3. de pace huiuſmodi inter nos & Gallum confectâ, in ciuitate Londinenſi publicè proclamatum eſt, & April. 25. Bolonia Gallis tradita, obſides remiſſi. Iulij deinde 30. mortem obijt Tho. Wriothſlæus Georgiani ordinis eques auratus, qui Angliæ non ita pridem Cancellarius, poſtquam primis noui regni diebus Southantoniæ Comes creatus eſſet, Concellarij munus breui poſtea ceſſit Richardo Richio Baroni. cumque ante ſex menſes ipſe cum Arundellio Comite Senatu Regio (neſcio quam ob cauſam) amotus eſſet, iam demum, ceu ægritudine animi, ſiue quacunque alia de cauſa, in morbum incidens è vitâ migrauit, & honorem Henrico filio reliquit, à quo genitus eſt Henricus, qui vtranque fortunam expertus, aduerſam olim tam fortiter pertulit, quam nunc moderatè ſe gerit in proſperâ, ad quam euexit eum clementiſſimus Rex noſter, omnium ſummâ cum gratulatione.

ANNO CHRISTI 1551. REGN. 5.

Sudor Anglicus.

OPPIDVM eſt quoddam ad limites Walliæ ſitum quod Salopia nuncupatur. Ibi loci Apr. 15. morbus grauis ac peſtilens originem ſumpſit, qui plurimas Angliæ Regiones hoc

hoc anno pervagatus, in Septentrionali regni plagâ circa Cal. Octobr. vix tandem euanuit, edita prius vbique tanta mortalium ſtrage, vt defunctorum numerus iniri omnino non potuerit. In ſola Londinenſi ciuitate, 800. intra ſeptem dierum ſpatium abſumptos conſtat. Hæc lues temporibus Henrici ſeptimi primum in hac noſtra Inſula olim graſſata anno 1486. ad alias poſtea nationes emanavit, & à loco vbi primum nata eſt ſudor Anglicus appellata. Eâ nempe correpti, ſudore affatim affluebant, & intra horas 24. animam plerunque exhalabant, multis ne ad duodecimam quidem perdurantibus. A Ioanne Stoo proditum reperi, honeſtos homines 7. qui patresfamilias extiterunt, ſimul veſperi conuiuatos hoc tempore, eorumque 6. ante horam 8. diei ſequentis (hoc eſt hora 13. vix dum elapſa) extinctos eſſe. Fœminæ, pueri, aut ſenes, hoc malo raro correpti, nec alij fere quam iuuenes in mediâ ætate conſtituti, qui ſi in principio morbi vel paululum obdormiſſent, illico interibant. Pauci etiam euaſerunt, quos morbus ſaturos inuaſit. Imo & cæterorum vix centeſimus quiſque ab initio reualuit, donec tempus malo remedium monſtrauit: quod huiuſmodi eſt. Si quis interdiu cœperit ægrotare, ſic vt erit veſtitus decumbat. Sin noctu & in lecto, quieſcat, nec ſe è loco moueat vſque ad 24. horas exactas. Interim ita ſe ſtragulis oneret, vt non prouocetur ſudor, ſed ſua ſponte molliter ſtillet, cibi nihil capiat ſi tam diu famem tolerare poſſit, neque plus potus conſueti ac calefacti hauriat, quam modicè ſatis ſit ad ſitim reſtinguendam. Super omnia verò in primis cauendum, ne manum æger aut pedem ſui refrigerandi cauſa extra ſtragula proferat, quod facere lethale eſt. Huius morbi nouitatem adeo non miror: teſte Plinio lib. 26. cap. 1. Imo & experientia quotidiana, nouos ſubinde exoriri. Illud maxime mirabile iudico, noſtræ gentis homines hac tempeſtate vbiuis terrarum degentes, hoc malum afflixiſſe, intactis incolis, niſi in noſtra duntaxat Anglia. Peſtis igitur hæc tam dira & immanis multos mortales abſumpſit, interque cæteros, nonnullos ſpectatos claróſque viros, quorum facile princeps, Henricus Suffolciæ Dux ac deinde frater ſuus, qui Brandoni filij regiſque conſobrini, indolis præclaræ adoleſcentes, hoc morbo interierunt, primus nempe

1550.

Suffolciæ Dux moritur.

1551. Henricus,tumque paucarum horarum intervallo ſecutus eum frater, cum Ducis titulum ad ſe germani morte delatum, ne integrum quidem diem vſurpaſſent. Ita is honor ad Henricum Graium Dorſetiæ Marchionem hæreditario iure deuolutus videbatur, qui Franciſcam Brandoni filiam natu maximam habebat in matrimonio. Octobris itaque 11. Suffolciæ Dux declaratus eſt. Quo etiam tempore Io. Dudlæus Comes Warwicenſis, Northumbriæ Dux renuntiatur: Gul. Powlettus Wiltoniæ Comes, fit Marchio Wintonienſis, & Gul. Herebertus eques auratus, Baro Cardifenſis, equorum regiorum præfectus, Comes tum Pembrochiæ creatus eſt. Dudlæi Graijque ſtirps maſcula iam dudum defecit: de Powlettis antea dictum eſt: Herebertus autem qui Catharinæ Parıæ reginæ ſororius, à Gul. Hereberto ſub Edw. IIII. Pembrochiæ Comite ſtemma deduxit, filium reliquit Henricum, Gulielmi & Philippi patrem, quorum ille, auiti honoris hæres, in iuuenilibus annis prudentiam grauitatémque adeptus ſenilem, in ſenatum arcani concilij nuper allectus: iſte vero Mongomerius Comes à Iac. Rege non ita pridem creatus eſt. Eodem porro tempore quo proceres prædicti honoribus aucti ſunt, equeſtri dignitate honeſtati feruntur Io. Checus præceptor Regius, Henricus Dudlæus, Hen. Neuillius, & (quem honoris cauſâ libenter nomino) Gul. Cecilius. Cecilius inquam ille, qui Secretarius tunc Regius, propter ſummas animi virtutes vniuerſæ Europæ poſtmodum innotuit, & totius Angliæ Theſaurarius ſub Elizabetha Regina factus, Baro item Burleienſis, reip. noſtræ dum vixit alterum columen, ætatem longam, ſed perpetuis curis & laboribus pro publicâ ſalute ſuſceptis attritam, piâ tandem morte terminauit Aug. 4. 1598. magno certe deſiderio ſui apud omnes bonos relicto. Filios is reliquit duos, Thomam qui nunc floret Exoniæ Comes à Iacobo Rege creatus, & Robertum quem idem Rex poſtquam Sariſburiæ Comitem renuntiaſſet, ad ſummi porro Quæſtoris, ſiue (vt nunc loquimur) Theſaurarij munus euexit. Circa hoc tempus gratia male ſarta inter Somerſetenſem & Dudlæum in apertas tandem inimicitias erupit: adeo recrudeſcente hoc malo, vt Somerſetenſis homo manſuetiſſimus, crebris Dudlæi iniurijs prouocatus (furor fit ſæpius læſa

Duces & Comites creati.

Pembrochiæ Comites.

Inimicitiæ inter Somerſetium & Dudlæum redintegratæ.

læſa patientia) conſilium ſumpſerit (vt nonnulli ſcribunt) eum interimendi. Ad decumbentem proinde, ſpecie illum viſendi acceſſit, occultâ loricâ tectus,& alios ſecum armatos trahens, quos in proximo cubiculo reliquit. Sed cum ad Dudlæum nudum in ſtrato cubantem introductus, humaniter ac beneuolè acceptus fuiſſet: vir miti ingenio pœnitentiâ ductus, quod deſtinauerat exequi noluit, atque inde re infectâ diſceſſit. Ferunt è coniuratis vnum, ab exeunte Duce percontatum, Anne effeciſti? atque illo negante, adiecisſe, ergo periiſti. Hoc Somerſetenſis conatu, ſuis ipſum prodentibus, detecto, iterum aduerſus eum accuſatio inſtituitur. Re ad conſilium delatâ, Octobris 16. in Turrim denuo coniectus eſt, vnà cum vxore & magna amicorum cateruа, Graio Barone, Radulpho Vano, Tho. Palmero, Milone Partrigio, Mich. Stanhopo, Tho. Arundellio equitibus auratis, & aliis deinde permultis. Tum primo Decemb. in iudicium protractus, duplici crimine oneratur, proditionis nempe, quaſi publicam rem non prauè tantum ſed perfidè etiam adminiſtraſſet, ac coniurationis in Dudlæum antedictæ. Proditionis crimen facile diluit, de coniuratione vero non poterat inficiari, propter quam, ex lege quam ipſe nuper ferendam curaverat, ad mortem damnari ipſum oportebat. Ea nimirum conſtitutum erat, vt ſi quis aliquem ex regio ſenatu occidendi conſilium cepiſſe deprehenderetur, quamuis rem non perfeciſſet, id ipſum morte lueret. Apud noſtros in more eſt, vt proceribus de proditione accuſandis ad tribunal euntibus, ſecuris ingens præferatur, à reo auerſa acie, qui eo abſoluto abiicitur, damnato vero, iterum ad carcerem redeunti præfertur, ſed acie ad eum conuerſâ. Quàm primum igitur proditionis crimine abſolutus eſt Somerſetenſis, ſecuris illa terribilis depoſita eſt. Sed propter coniurationem, ad mortem nihilo ſecius damnatus eſt. In aula illa Weſtmonaſterienſi laxiſſima vbi habentur huiuſmodi iudicia, verba iudicum viciniorum pauci poterant audire, ſed quod factum erat cuncti videntes, abſolutum omnino Ducem exiſtimantes, ſublata voce tantum clamorem præ gaudio ediderunt, vt vltra crucem Charingiam (ad dimidium ferme milliare) exauditus feratur. Quo tanto popularis beneuolentiæ teſtimonio vehementer territi proceres perhibentur. Quid enim 1551.

Google

1551. aliud exſpectandum erat, quam ut hic populi affectus Regem adultum ad avunculi mortem aliquando vindicandum extimularet,& quantumvis invitum vel nolentem propelleret? Id fortaſſis in cauſa fuit quod de Duce ſupplicium illico ſumptū non fuerit. Hoc anno Epiſcopi aliquot qui reformationi eccleſiæ nolebant conſentire, amoti ſunt, & alij in eorum loca ſubſtituti. Gardinerus Wintonienſis (de quo anteà) Feb. 14. deprivatus eſt, ſicut etiam Daius Ciceſtrenſ. & Heathus Wigornienſ. ambo Octobr. 10. Tonſtallus Dunelmenſis Decemb. 20. in Turrim coniectus eſt. Bonerus Londinenſis Octobr. 1. 1549. exauthoratus fuerat. Omnes, ne quid moverent, in carcere detenti. Pridie Cal. Septemb. Franc. Engelfeldius, Walgravius & Rocheſtrius, Mariæ Principis miniſtri, in Turri ſunt incarcerati, ſicut & Franc. Malettus Theologiæ Doctor eiuſdem Principis ſacellanus. Cauſa mihi comperta non eſt, niſi de Maletto ſolo. Huic cum permiſſum eſſet ad Cæſaris petitionem ut coram Domina miſſi ficaret, ſed ne alibi id faceret interminatū: quod in abſentiâ eius id auſus fuiſſet, puniri placuit. Cum ipſa omnibus modis diligentiſſime actū eſt, vt reformatoribus ſeſe vellet adiungere, non ſolum crebris Epiſtolis ad eam perſcriptis quibus ad id hortati ſunt enixè Rex & conſiliarij ſui, ſed miſſis etiam hominibus idoneis, ut verbis & rationibus coram perſuaderent. Quæ omnia flocci faciens, ſuperſtitionem qua per matrem fuerat imbuta pertinaciſſime retinuit, religionem quippe exoſa, iuxta cuius ſcita, ipſa ſpuria, & regni (ſi fortè frater ſine prole decederet) nullo modo capax cenſenda eſſet. Apr. 14. Georgius quidam, Pariſienſis nomine, patria Germanus, ob Arrianiſmum Londini combuſtus eſt. Maij 25. regio quædam ad decimum à Londino lapidem in Comitatu Surreiæ (re apud noſtros valde inſolita) terræ motu concuſſa eſt, Croydona nempe, ubi Archiepiſcopus Cantuarienſis domum habet ſatis magnificam, & 7. vel 8. pagi vicini. Sub initium Novembr. Maria Scotorum Regina, Iacobi nimirum quinti vidua, ad Portemutham appulit, ac miſſo ad Regem nuncio, ut iam in Scotiam liceret terreſtri itinere proficiſci, veniam rogavit, qui cum id conceſſit, tum Londinum etiam humaniter invitavit. Eo Novembr. ſecundo pervenit, & honorificè accepta, non ſolum à Rege, & proceribus, apud Regiam, ſed

Epiſcopi deprivati.

Cum Maria agitur de religione.

Famuli eius incarcerati.

Arrianus combuſtus.

Terræ Motus

Scotiæ Regina in Anglia.

Digitized by Google

ſed Londini à civibus, & à popularibus omnium regionum qua iter fecit: qui nimirum ſuis ſumptibus cuncta neceſſaria donec in Scotiam uſque perveniſſet itineranti ſibi ſuiſque omnibus ſuppeditarunt. Londino Scotiam verſus diſceſſit Novemb. ſexto. Sub idem quoque tempus Arundelliæ Comes & Gul. Baro Pagetus in Turrim (quam verò ob cauſam me latet) coniecti ſunt. Pageto Georgiani equitis inſigni periſcelis aurea, menſe Aprili ſequenti ablatum eſt, & Warwicenſis Comes Northumbrij primogenitus eodem ornatus. Ad Arundellium quod attinet, Decembris tertio anni ſequentis libertati reſtitutus eſt. Decemb. 21. Rich. Richius Baro, Cancellarij munere ſe abdicare iubetur, quod in Thomam Goodricum Elienſem Epiſcopum protinus collatum eſt.

1552.

Incarcerati Arundellius & Pagetus.

Epiſcopus Elienſis Cancellarius.

ANNO CHRISTI 1552. REG. 6.

NONO Cal. Februarij Dux Somerſetenſis cum duos fere menſes poſt damnationem in carcere iacuiſſet, quantumvis renitente Rege (cuius erat avunculus, & cuius pueritia ſub eo adoleverat) ad locum procerum ſupplicijs deſtinatum productus, ſecuri percutitur. Quamprimum pegma conſcendiſſet in quo plectendus erat, orationem inſtituit, in qua, ſe quod iuxta leges ad mortem damnatus eſſet, ad huiuſmodi pœnam ſubeundam ſemetipſum libenter exhibere teſtabatur, ut ſe legibus morigerum & obedientem oſtenderet. Porro magnas DEO gratias habere ſeſe, quod huiuſmodi exitum è vitâ conceſſiſſet, quo præparandi ſe & peccata deflendi tempus nactus fuerit, multo verò maximas, quod Evangelij doctrinam non ſolũ cognoſcere ipſum, ſed genti etiam Anglicanæ ſua opera proponi voluerit. Hoc ſibi magnopere ſe gratulari, in hoc vnicè triumphare: optare deinde, & omnibus votis à DEO contendere, ut Eccleſia ad antiquæ illius & primitivæ normam iam reformata, ſecundum doctrinæ traditæ puritatem vitam moreſque omnes inſtituere nitantur. Plura dicturum, tumultus quidam mirabilis, & repentina cunctorum qui aderant conſternatio interturbavit. Quaſi una voce omnes derepente fugiamus, fugiamus, clamitarent, unde ex infinita hominum multitudine qui ad tale ſpectaculum (ut fit) concurrerant, quotquot poterant, in fugam ſe coniecerunt, multi fugientium pedibus

Dux Somerſet. ſecuri percutitur.

Terror Panicus.

Digitized by Google

1552. pedibus obtriti & conculcati ſunt, reliqui attoniti ſtabant, ad ſingula momenta exitium expectantes, etſi nihil videbant metuendum. Et cum ab alijs alij ſciſcitarentur quid rei eſſet: hic tonitru exauditum referebat, ille equeſtris turmæ adventantis ſonitum, alius aliud quippiam comminiſcebatur: nec deerant, qui lætis clamoribus adveniſſe nuncios indulgentiæ regiæ, pœnámque Duci remiſſam & condonatam contenderent. Huiuſmodi terroris (verè Panici) cauſam fuiſſe teſtatur Stous, quòd homines quidam armati, ex illis quibus in mandatis datum fuerat ut Ducem ad locum ſupplicij deducerent, ſeriùs venientes quam conſtitutum fuerat, ſe mutuo hortarentur ut gradum adderent, clamantes Anglicè *away, away*, quod noſtra vernacula ſonat, non ſolum properate, properate, ſed etiam abite ociùs, abite. Vocem igitur huiuſmodi qui proximi erant audientes, & ſimul armatos in ſe (vti rebantur) incurrere conſpicati, fugam protinus ceperunt. Et alij deinde eorum exempla ſequuti, omnia tumultu terroréque compleverunt. Poſtquam verò non ſine magno negotio omnia ſedata ſunt: Dux populum enixè hortatus vti ſe pauliſper quietum vellet tenere, ut eo pacatiori animo liceret ipſi è vita diſcedere, precibus animam DEO commendavit, túmque ſupplicium conſtantia planè admirabili pertulit, ne minimâ quidem vel voce vel geſtu vel vultu conſternationis aut pavoris ſigno edito, niſi quod genæ, quando oculos ſuos ipſe ſudario velavit, paululum vltra quam ſolebant rubere cœperunt. Pleríſque mortem eius vehementer doluiſſe conſtat, multíque feruntur extitiſſe qui ſtrophiola ipſiùs cruore tincta ſecum domum auferrent: inter quos magni animi matronam repertam dicit Thuanus, quæ biennio poſtea, cum Northumbriæ Dux à Maria regina captus per vrbem traduceretur, ſudarium Somerſetti ſanguine fœdatum occurrenti in platea ob oculos ingerens, En inquit ſanguinem præſtantiſſimi viri, ac Regis optimi avunculi, qui nefaria tua proditione effuſus, nunc vindictam de te expoſcit. Idem etiam tradit, Radulphum Vanum qui cum Milone Partrigio 26. Febr. ſuſpenſus eſt in eodem loco vbi Dux paulò anteà plexus, quando etiam Mic. Stanhopus & Tho. Arundellus ibidem decapitati, quo tempore ad ſupplicium ducebatur, denunciaſſe fore, vt ſanguis ſuus Northumbrio quoad viveret

verct

Digitized by Google

veret pro cervicali futurus eſſet. Equites quatuor prædicti ſupplicium ſubituri, DEVM ſinguli teſtati feruntur, contra Regem aut quenquam de conſiliarijs eius, nunquam quidquam ſe molitos. Cæterum ut ad Somerſetenſem redeamus, ita quidem ut retulimus, e medio is ſublatus eſt, homo pius & iuſtus, magnus reformationis zelator, ſalutis regiæ cuſtos fidiſſimus, ac uſquequaque planè bonus, reíque publicæ amantiſſimus habendus, niſi quod communi temporum errore abreptus, à patrimonio ſacro ſpoliando temperandas manus non duxit, id quod Eccleſiarum Cathedralium non pauci conqueruntur. Mortem eius plurima prodigia ſequuta ſunt, unde multi ſuccedentium temporum calamitates præſagiebant. Menſe Auguſto ſex Delphini (in noſtro mari inuſitatum genus piſcis) capti ſunt in oſtio Thameſis fluvij, tres nempe prope Quinburgum, & tres alij vbi aqua dulceſcit, paulò ſupra Grenuicum. Deinde Octob. 7. tria Cete ad Graveſendam eiecta ſunt in littus. Et Auguſti 3. Monſtrum natum eſt ad Middeltonam in Agro Oxonienſi, quale pauci memorant ſcriptores, duo id habebat capita, duo etiam Corpora vmbilico tenus, ubi ita coniuncta ſunt: ut egeſtionis viam unicam haberent, & capita ſibi ſemper mutuò contraria, uno orientem ſpectante ſi iacentis alterum in occidentem protenderetur. Pedes & crura unius alterius trunco adiacebant. Vixit hoc Monſtrum (ſexu fœmininum) dies 18. & diutiùs victurum credebatur, niſi tam crebro nudatum fuiſſet, quo viſentium curioſitati ſatisfieret, vt ex frigore morbum lethalem contraxerit. Hoc anno cœnobium Franciſcanorum Londini in pædotrophum nobiliſſimum converſum eſt, vbi nempe egeni pueri fere 400. iam inde ab eo tempore alimenta percipiunt, & educationem liberis hominibus dignam ſortiuntur. Hoſpitale CHRISTI hodie id appellatur. Tunc etiam pauperibus ægris Xenodochium inſtitutum divi Thomæ dictum in ſuburbio Civitatis quod Soutwerka nuncupatum eſt.

1552.

Monſtrum.

1553.

ANNO DOMINI 1553. REGN. 7.

Rex ægrotare incipit.

SVB initium huius anni, menſe nimirum Ianuario, ex acris humoris ad pulmones defluxione cœpit Rex laborare, unde brevi poſtea hecticus evaſit & tabifica phthiſi abſumptus eſt, non ſine veneni ſuſpicione, ſparſo vbique apud vulgus rumore, quaſi in Calend. Ianuarij regi à neſcio quo pro ſtrena novi anni oblato florum odoratorum faſciculo, venenum infuſum fuiſſet, ex cuius odoramento pulmones vitium mortiferum ac lethale contraxiſſent. Hanc famam dedita opera poſt mortem eius diſſeminatam non dubito, ad creandam illis invidiam qui rerum paulo antea potiebantur: De tanto ſiquidem facinore nunquam poſteà inquiſitum eſt, id quod nullo modo Maria ſoror facere neglexiſſet, ſi vel minimam ſuſpicandi occaſionem nacta fuiſſet. Vtut fuerit, proceres cum ex medicis didiciſſent deploratam eſſe Regis valetudinem, neque ſpem convaleſcendi ullam ſupereſſe, ſuis unuſquiſque commodis proſpicere cœperunt. Ac cæteris omnibus cum authoritate & potentiâ Northumbriæ Dux longe emineret, conſilium inijt, regni ſceptrum ad poſteros ſuos transferendi. Mariæ & Elizabethæ Henrici filiabus natalium vitium probabiliter obijci poſſe exiſtimabat. Poſt eas deinde cum ad Henrici ſeptimi filias regnum devolvi nemo ambigeret, de Scotiæ regina (quæ neptis erat ex filio Iacobo quinto Margaretæ natu maximæ) parum erat ſollicitus. Nam propter diuturna cum Scotis bella, & ex bellis odia acerrima, quamlibet vel umbram rationis ſufficere exiſtimabat ad eam ſolio noſtro depellendam, cum præſertim Gallo deſponſata eſſet, cuius dominatum (ſi nihil aliud eſſet) noſtros nunquam laturos autumabat. Proxima tum videbatur Franciſca filia Mariæ Franciæ Reginæ, ſecundæ Henrici ſeptimi filiæ ex Carolo Brandono Suffolciæ Duce. Henrico Graio Marchioni Dorſetiæ ea nupta fuerat, viventibus etiamnum duobus fratribus. Quibus ex ſudore peſtifero (ut retulimus) extinctis, Graius propter uxorem, Suffolciæ Dux renuntiatus eſt. Hic igitur ambitioni hominis alius adhuc obex obijcitur. Vt eum tolleret, hanc ſibi rationem

Agitur de Iana Graia ad regnum evehenda.

ineundam

Digitized by Google

ineundam putavit. Re cum Suffolcio communicatâ, Gilfordo filio ſuo ordine quarto (cæteris iam anteà coniugatis)uxorem dari petit Ianam Suffolcij filiam natu maximam. Deinde quia ſi hæreditatis duntaxat ius obtenderetur, mater Iana Franciſca filia potior videri poterat Regi perſuadendi partes in ſe recepit, ut teſtamento condito,non ſolum ſororem utránque exhæredaret, ſed etiam Ianam poſt ſe Reginam conſtitueret. Hæc poſtquam Suffolcius probavit, ut cæteri etiam proceres ad aſſentiendum pellicerentur, potentiſſimos illorum ad affinitatem cum alterutro iungendam invitari placuit. Eodem igitur die quo infauſto ſydere Iana Gilfordo nuptui data eſt, minores duas Suffolcij filias, Catharinam & Mariam, duxerunt Henricus Pembrochiæ Comitis primogenitus,& Caius Ianitorum regiorum Princeps, Henr. nempe Catharinam, & Caius Mariam gibbo deformem. Northumbij deinde filia ætate minima, nomine Catharina, Haſtingio tradita eſt Huntingdoniæ Comitis filio natu maximo. Hæ nuptiæ menſe Iunij Rege graviter ægrotante Londini celebratæ ſunt. Quibus rebus ex animi ſententia confectis: Northumbrius Regi diligenter cœpit exponere, quam vehementer periclitaretur Religionis cauſa, ſi ipſo brevi moriente, de ſucceſſore pio & rectè de rebus ſacris ſentiente proviſum prius non eſſet. Maria ſoror ut foret animata nemini dubium eſſe dicens. De Elizabetha meliùs fortè ſperandum, ſed huius cauſam cum illius adeo validè arctéque connexam, ut aut utránque à ſucceſſionis iure amoveri aut Mariæ regnum relinqui oporteat. Pij boníque Principis eſſe neceſſitudines quaſcunque D E I gloriæ ſubditorúmque commodo poſtponere. Manere illis qui aliter feciſſent ultionem à D E O, cum vita hac (quæ brevis eſt) elapſa, ad D E I tribunal ſiſtentur, ſempiternæ vitæ præmium, aut æternæ mortis pœnam laturi. Suffolciæ Ducem filias habere tres, quæ ipſum proxima cognatione attingunt, quas honeſti mores & natalium dignitas abunde commendet,& à quibus violatæ religionis metus procul abſit: quippe quæ cum lacte nutricis pietatem & puriorem doctrinam imbibiſſe videantur, & porro maritos habeant veræ religionis non minùs quam ipſas ſtudioſos. Optare proinde ſeſe & conſulere, ut ad regni ſucceſſionem illæ ordine vocentur, ſed ea ſemper lege, ut religionem ante

1553.

Nuptiæ.

Rex Teſtamentum condit & ſorores ſuas exhæredat.

1553. ante omnia ſaluam tueantur. Quanquam igitur natu grandior Iana filio ſuo nupſerit, ſe tamen non recuſare quin ſacramentum ab vtraq; exigatur, omnia Regis acta ſe rata & grata habituras: neq; enim tam ſuum quam vniuerſi regni negotiũ eſſe quod agat. His rationibus puero regi non difficulter perſuaſum eſt, vt Teſtamentum conderet, in eoque ſororem vtranque à regni ſucceſſione quantum in ſe fuit excluderet, & porro quoſcunque alios præter Suffolcij filias. Teſtamentum huiuſmodi coram conſiliarijs & ſummis regni Iudicibus recitatum eſt, atque ſingulorum aſſenſu firmatum, omnibus deinde interdictum, ne quod factum eſſet enuntiarent, ſeditionis aut turbarum occaſiõ ne daretur. Tho. Cranmerus Cantuarienſis Archiepiſcopus inter cæteros ſubſcribere aliquandiu recuſauit, legitimæ ſucceſſionis ius violari neutiquam æquum exiſtimans. Sed ad Regem decumbentem vocatus, cum ille vrgeret, & religionis periculum ante oculos poneret, poſt longam diſceptationem aſſenſum & ipſe præbuit, cunctatione huiuſmodi adeo nihil adiutus, vt rerum poſtea potita Maria, nemo omnium prior ad exitium deſignatus fuerit. Paucos poſtquam hæc ita conſtituta ſunt dies, Edwardus Rex nondum 16. annos natus, Grenouici animam exhalauit, Iulij nempe ſexto, cum annos 6. menſes 5. dieſque 19. ſub tutoribus regnum tenuiſſet, iam in illa tam tenera ætate magno virtutis ſpecimine edito: pietate in DEVM, conſtantia animi, amore recti, & ſtudio literarum incredibili. Tribus nec amplius horis antequam expiraret, neminem arbitratus adeſſe, huiuſmodi precatione ſe DEO fertur commendaſſe: Domine DEVS libera me ex hac miſera & ærumnoſa vita, & recipe me inter electos tuos ſi ita viſum fuerit: quanquam non mea ſed tua ſola voluntas fiat. Tibi Domine commendo ſpiritum meum. Tu noſti ô Domine quam beatus ſim ſi tecum in cœlo agere liceat: at tamen propter electos tuos vtinam viuam & conualeſcam, vt tibi ſeruiam fideliter: ô Domine DEVS benedic populo tuo, & ſaluam fac hæreditatem tuam. O Domine DEVS ſaluum fac populum tuum Anglicanum. O Domine DEVS tuere hoc Regnum à Papiſmo, & conſerua veram religionem in eodem, vt ego & populus meus nomini tuo ſanctiſſimo benedicamus propter filium tuum IESVM CHRISTVM.

Rex moritur.

Precatio morientis.

CHRISTVM. Oculos tum poſtea aperiens (quos clauſos antea tenuerat) & videns prope aſſidentem Owinum medicum (qui hac oratione totidem verbis vſum retulit) Anne tam prope inquit ades? haud equidem putaram. Illo deinde reſpondente, audiui loquentem, ſed verba non percepi: Ego vero (ſubiecit Rex) DEVM comprecatus ſum. Non multum deinde poſtea, exclamauit ſubito, deficio, Domine miſerere mei, & accipe ſpiritum: eaque vix aut ne vix edita voce, reuera defecit. In huius Principis laudes multa eſſent dicenda, ſed inſtitutæ breuitatis memor, Cardani tantum verba ſubijciam, qui annum plus minus ante mortem eius per Angliam in Scotiam iter faciens, ad Regis colloquium admiſſus eſt, quod his verbis poſtea deſcripſit. Aderant illi (de Rege loquitur) gratiæ: Linguas enim multas puer callebat, Anglicanam natalem, Latinam, Gallicam, non expers vt audio Græcæ, Italicæ, & Hiſpanicæ, & forſan aliarum. Propriam Gallicam & Latinam exactè tenebat, & ad omnia docilis erat. Non illi Dialectica deerat, non naturalis Philoſophiæ principia, non muſica: humanitas mortalitatis noſtræ imago, grauitas Regiæ maieſtatis, indoles tanto principe digna. In vniuerſum magno miraculo humanarum rerum tanti ingenij & tantæ expectationis puer educabatur. Non hæc Rhetoricè exornata veritatem excedunt, ſed ſunt minora. Decimum quintum adhuc agebat annum: Interrogabat Latine non minus quàm ego politè, & promptè loquebatur. Quid (ait) continent libri tui de rerum varietate? (hos enim nomini Maieſtatis ſuæ dedicaueram) Tum ego, Cometarum primum cauſam, diu fruſtra quæſitam in primo capite oſtendo. Quænam? (inquit ille) concurſus (ego) luminis erraticorum ſyderum. At Rex, quo modo cùm diuerſis motibus aſtra moueantur, non ſtatim diſſipatur aut mouetur eorum motu? At ego, mouetur, equidem, ſed longe celerius illis ob diuerſitatem aſpectus, velut in Chryſtallo & ſole cum Iris in pariete relucet, parua enim mutatio magnam facit loci differentiam. At Rex & quonam pacto abſque ſubiecto illud fieri poteſt? iridi enim paries ſubiectum eſt. Tum ego, velut in lactea via, & luminum reflexione cum plures candelæ propè accenſæ medium

1553.

Laus Edw. R. apud Cardanum in lib. de Genituris.

Digitized by Google

1553. dium quoddam lucidum & candidum efficiunt. Itaque ex Vngue leonem vt dici ſolet. Fuit hic in maxima omnium aut bonorum aut eruditorum expectatione ob ingenuitatem & ſuauitatem morum. Prius cœperat fauere artibus quàm noſceret, & noſcere antequam vti poſſet. Conatus quidam humanæ conditionis, quem non ſolum Anglia ſed orbis ereptum immaturè deflere debet. O quàm bene dixerat ille, Immodicis breuis eſt ætas & rara ſenectus. Specimen virtutis exhibere potuit, non exemplum: Vbi grauitas regia requirebatur, ſenem vidiſſes: vt blandus erat & comis, ætatem referebat. Cheſi pulſabat, publicis negotijs admouebatur, liberalis animo, &c. Hæc Cardanus. Defuncti Regis corpus cum funebri pompa mediocri apud Weſtmonaſterium Auguſti nono tumulatum eſt, prope avum eius paternum, Henricum ſeptimum. Sic tempora Edwardi concludere properabam, quando eiuſdem Regis cœptum generoſiſſimum occurrebat nullo modo prætermittendum.

Seb. Cabota Aquilonares mundi regiones luſtratur.

Luſitanus erat quidam, Sebaſtianus Cabota nomine, quem Rex propter Coſmographiæ & rerum nauticarum peritiam inſignem, ſtipendio honeſtauit 166. librarum noſtratium, aureorum vero Gallicorum plus quam 500. Illius ſuaſu. 3. naues emiſſæ ſunt Maij duodecimo, Ductore Hugone Willobæo aurato equite, ad regiones incognitas in Aquilonari orbis parte luſtrandas. Spes erat in Orientis regna ampliſſima Cathaiæ & Sinarum illuc viam, vſitata multo propiorem aperiendam. Paulo ſupra Norvegiam hæ naues vi ventorum abreptæ & ſemel diſſipatæ conuenire poſtea nunquam valuerunt. Vna periculorum magnitudine deterrita, curſum mox retro direxit.

Hu. Willobæus frigore enecatur.

Willobæus, in terram delatus deſertam & noſtris hominibus nunquam antea viſam, ſub latitudine graduum 74. & ibi hyemare coactus; frigoris intolerandi vehementia oppreſſus, tam ipſe quam ſui omnes extincti ſunt. Reperta eſt nauis poſtea à noſtris, & in ſcrinijs equitis, ſcriptum quoddam actus diurnos referens, teſtamentum etiam eiuſdem, vnde ad Ianuarium vſque menſem vitam produxiſſe conſtat.

Cum Moſcouitis commercium.

Tertia vero nauis fortuna vſa meliore, poſt longum errorem, in Ruſſiam vſque & Moſcouiam penetrauit. Hanc ducebat Ricardus quidam Cancellarius,

cellarius, qui paucos poſt annos ſecundum iter in illas 1553.
Regiones inſtituens, in reditu ad littus Scoticum nauem
fregit, & dum legatum Moſcouitæ ſeruare nititur,
ipſe perijt, fluctibus abſorptus. Viam interim
is monſtrauit, quam ingreſſi noſtri
mercaturam iam inde ab eo
tempore bene quæſtuoſam
in illis oris exercuerunt.

Finis Libri ſecundi

Digitized by Google

RERVM
ANGLICARVM
ANNALIVM LIBER
TERTIVS.

MARIA REGINA.

ANNO CHRISTI 1553. REG. PRIMO.

Maria in Norfolciam.

CVM Maria Regis modo defuncti ſoror, de clandeſtina molitione Northumbrij iam olim certior facta, de morte etiam fratris inaudiuiſſet; prope Londinum haud tuto agi exiſtimans, vbi hoſtes cum ſummo imperio omnia regebant; Edmundoburgo (nam ibi tum commorabatur) ſe proripit, & cauſata contagionis periculum ob vnum è domeſticis ſuis peſte correptum, 40. milliaria vno die emenſa, ad Framingamiam Caſtellum ſeceſſit. In Suffolcienſi Comitatu id ſitum eſt, ad 80. ab vrbe lapidem, haud procul à mari, qua, ſi ita fors tuliſſet, in Galliam via pulſæ patuiſſet. Eo quamprimum peruenit, Reginæ ſtatim nomen aſſumpſit, & ad amicos nobilitatémque perſcriptis literis, ad ſe diligenter arceſſendos curauit. Northumbrius interim poſtquam totum biduum de ſumma rerum cum

cum amicis conſultaſſet: nondum evulgata Principis morte 1553.
Londinenſis vrbis prætorem Grenouicum euocauit, iubens, vt ſex è ſenatoribus vrbis 24. (quos Aldermannos dicimus) & 12. alios ciues primarios ſecum adduceret. Iis, cum aduenissent, ſimul exceſſiſſe regem, & rerum potiri Ianam nuntiat, oſtenſis Teſtamento & diplomate Regio, ante 14. dies confectis, in quibus, de regni ſucceſſione ita fuerat conſtitutum ſicut antea retulimus. Ad ſacramentum deinde Ianæ dicendum ſiue minis ſiue promiſſis omnes adegit: & ne cuiquam audita enuntiarent pœna magna propoſita edixit. Quantum acceſſionis rebus ſuis factum eſſet ſi ciuitatem eam hâc ratione in partes traxiſſet, virum prudentem non latuit; & Mariam omnium rerum (vt putabat) ignaram, opprimi poſſe, ſpes erat, ſi mortis regiæ fama pauliſper ſuppreſſa foret. Vt vero manibus eorum elapſam in Suffolciam profectam nuntiatum eſt, haud vltro morati, regni proceres fere cuncti Ianam ad arcem ſiue Turrim Londinenſem honorificè & regia cum pompa deductam, Reginam declarant, & ea de re edictum cum buccinæ clangore per vicos ciuitatis promulgandum curant. *Iana Regina declaratur.* Erat illa annos nata circiter ſedecim, forma non infœlici, literarum cognitione incredibili, ingenio acutiſſimo, & prudentia in illa etiam ætate plus quam muliebri, pietatis puriorisque doctrinæ ſtudioſiſſima, & adeo honoris delati neutiquam appetens, vt regia ornamenta ſine gemitu & lachrymis non ſuſceperit, & cunctis palam & manifeſtum foret à parentibus & amicis plane inuitam coactam eſſe vt id faſtigij conſcenderet. Quando ad arcem proficiſcens, per ciuitatem inceſſit, ingenti populi concurſu, ſed nullis acclamationibus lætis accepta eſt, vt ad rei nouitatem excitati, ſpectatum potius quàm gratulatum veniſſe viderentur, quod amicos Mariæ animum hucuſque deſpondentes, non leuiter erexit ad attentandum pro ea aliquid quam primum occaſio data foret. Obſtabat adhuc Northumbrij præſentia, hominis acerrimi, conſilijque magni, quo minus aliquid moliri auderent: hunc ſi aliquo pacto ad tempus ablegare poſſent, aliquid pro Maria ſe confecturos ſperabant. Eodem quo Iana Turrim ingreſſa eſt die, allatæ ſunt Mariæ literæ & in conſilio recitatæ, quibus regni ſenatori-

 bus

Digitized by Google

1553. bus mandabat vt ad ſe tanquam regni hæredem venirent, & debitum obſequium iam tandem præſtarent, poſtquam ab vniuerſa fere Anglia vt legitima Regina agnita ac ſalutata fuerit. Eodem etiam tempore nuntiatum eſt, Norfolcienſes & Suffolcienſes in verba Mariæ iuraſſe, & animaduerſum facile à prudentioribus, populum fere vbique alieno à Iana animo exiſtere. Quapropter de exercitu primo quoque tempore conſcribendo initur conſilium, vt comprehenſa Maria Londinum ad cauſam dicendam vi adduceretur. Harum copiarum Dux Suffolcienſis deligitur, pater Reginæ. Cæterum qui Mariæ rebus clanculum fauebant, ſibi grauem Northumbrium amoliri ſatagentes, nouæ Reginæ authores fuerunt vt patrem apud ſe retineret, Northumbrium amandaret, hunc dicentes vel ſolo nominis ſui terrore plus effecturum (quod rebelles nuper Norfolcienſes profligaſſet) quàm ille vel vi vel conſilio vel alia quauis ratione valeret, & filiæ magis fidum cuſtodem quàm patrem, quemnam exiſtimarent? Ad res vrbanas quòd attinet, conſiliarios adeſſe vniuerſos qui illas fide prudentiaque ſolita procurarent. His rationibus adducta Regina, Northumbrium multum obteſtata eſt (cui tandem licet ægrè perſuaſum) vt hoc onus in ſe ſuſciperet. Magnopere nimirum metuebat ille, ne aliquid ſe abſente turbatum foret, ſed cum renitendi nullus locus relictus eſſet, expeditioni ſe accinxit, & militum 6000. ſecum trahens, Iulij 13. Londino profectus eſt. Vrbe ferunt egredientem, ad Baronem Graium (qui vnâ aderat) conuerſum dixiſſe, viden' vt populus ad ſpectandum certatim confluat? Ex tanta tamen multitudine qui bene precetur, ne vnum quidem exaudis. Erant Londinenſes in cauſâ religionis optimè animati, quemadmodum etiam Suffolcienſes & magna ex parte Norfolcij: & Papiſmo Mariam addictiſſimam omnes nouerunt. Tali tamen & tam conſtanti veneratione nos Angli legitimos reges proſequimur, vt ab eorum debito obſequio nullis fucis aut coloribus, imo ne religionis quidem obtentu nos diuelli patiamur: cuius rei lanx hic caſus mox perſcribendus indicium poterit eſſe plane memorabile. Quamuis enim dominationis illius fundamenta validiſſima iacta fuiſſent, cui & ſumma arte ſuperſtructum eſt, quod ex ſupradictis ſatis patet: quamprimum tamen

Northumbrius invitus in expeditionē extruditur.

tamen regni vera & indubitata hæres ſe ciuibus oſtendit, 1553.
omnis hæc tam accurata ſtructura concidit illico, & quaſi in ictu oculi diſſipata eſt, idque eorum præcipuè opera, quorum propter religionis cauſam propenſiſſimus fauor Ianæ adfuturus ſperabatur. Nam concionatores, quos bene multos Londini conſtituit Northumbrius vt Mariæ cauſam impugnarent, nihil, ne Londini quidem profecerunt. Imo ne egregius ille doctrina vitæque ſanctitate vir, Nic. Ridlæus Londinenſis poſt amotum Bonerum Epiſcopus, æquis auribus auditus eſt. Vtinam vir optimus hâc in re lapſus non fuiſſet. Nam ad Mariam quod attinet, ſi verum non ſit illud Iuridicorum, Matrimonij bona fide contracti, etiamſi poſtea vt illicitum diſſoluatur, eam eſſe vim, vt liberi ex eo ſuſcepti pro legitimis habeantur: Elizabetham ſororem à regni gubernaculis quare putarint arcendam, equidem ſatis mirari nequeo, neque cauſam aliquam vel probabilem aſſignandam puto ab ijs quibus Mariæ natalia non probantur. Vt nihil dicam de Maria Scotiæ Regina, cui poſt ſobolem Henrici octaui, regni ius ſine dubio competebat. Quales quales fuerint concionatorum rationes; apud vulgum nihil effeciſſe conſtat: Et ad Mariam plebs quacunque incedebat ingenti numero confluebat: nec vero plebs duntaxat, nam primarij viri non pauci ſe illi primo quoque tempore adiunxerunt. Inter hos, Comites numerantur Bathonenſis, & Suſſexienſis, Tho. Whartonus, & Io. Mordantus Baronum primogeniti, equites deinde aurati, Drurius, Sheltonus, Benefeldus, Iernigamus, Sulierdus, Freſtonus, & alij quamplurimi. Inter omnes vero eminebat longè Edw. Haſtingius Huntingdoniæ Comitis frater, cui cum 4000. peditum legendorum negotium datum fuiſſet à Northumbrio, delectu ſtatim habito, ad Mariam tranſijt. Ob quod facinus Baro Lowboroenſis ab illa poſtmodum creatus eſt, quem etiam honorem (Baronis dico) retulit Io. Gulielmus ob fidelem operam tunc navatam. Morganus porro cauſidicus, ſiue (vt noſtri loquuntur) Seruiens ad legem, cum inter cæteros faceret pro virili, breui poſtea vnus ex duobus ſummis regni Iudicibus conſtitutus eſt. Maximum vero momentum Mariæ rebus huiuſmodi caſus attulit. Naues 6. in orâ quæ Belgicum littus ſpectat, Northumbrius inſtrui curauerat,

 vti

Digitized by Google

1553. *Naues 6. hoſtium Mariæ tradita.*

vti Mariam ſi forte fugam adornaret, interclüdere, & in omnem euentum, quicunque tandem incidiſſet, præſto eſſe poſſent. Ventorum vi in portum Yarmuthenſem eæ forte coniectæ ſunt, eo ipſo tempore quando in oppido pro Mariæ delectus habiti fuere. Partim igitur minis, partim precibus nautæ militeſque inducti, ad Mariam deſciſcentes, naues Iernegamo (duci cuidam Mariano) tradiderunt: quod momentum adeo magnum rebus eius attulit, vt nunciatum, ingenti eam gaudio perfuderit: Nam inde deducto milite, machiniſque bellicis atque omni apparatu inſtructior, contra Ianam nunc vadere decreuit, Northumbrij copias nihil verita. Proceres vero qui cum Iana erant, de his rebus facti certiores, pertimeſcere vehementer cœperunt, quonam tandem hæc res euaderet. Et amici Mariæ in regia degentes, audaciores facti, mentem ſibi mutuo paulatim aperuerunt, nihil aliud magis cupientes, quàm ex arce in Ciuitatem egrediendi facultatem, vt colloquia liberè miſcere liceret. Accidit per eos dies, vt Northumbrius ſcriptis ad ſenatores literis, auxilia adhuc maiora ſummitti poſtularet. Profectus ille Iulij decimotertio (ſicut antea dictum eſt) præter quatuor filios ſuos, Marchionem Northantonenſem Parrum, Huntingdoniæ Comitem Haſtingum, Graium Baronem, alioſque primarios permultos, habebat in Caſtris 8000. peditum, 2. millia equitum quo tempore Cantabrigiam peruenit. Inde cum mouiſſet Edmondoburgum, militum quàm plurimos à ſignis dilapſos comperit, & de reliquis ne idem plerique facerent vehementer metuebat. Quapropter Cantabrigiam reuerſus, alijs ſuper alios nuncijs ad ſingula penè momenta amandatis, à Conſiliarijs vehementer flagitabat, vt nouis copijs fugitiuorum loca ſupplere maturarent. Occaſionem hanc Mariani arripientes, habendum primo quoque tempore delectum decreuerunt: verum non placere dicunt, vt hoc negotium alijs quam ſibijpſis demandetur, ne idem fiat quod nuper ab Haſtingo Huntingdonij fratre. Ita permittente Suffolcio, ex arce omnes quaſi ex ergaſtulo euolantes, in diuerſas vrbis regiones feruntur. Inter eos Marianis partibus plurimum ſtuduiſſe viſi, Wintonienſis Marchio Theſaurarius, Pembrochiæ Comes Herbertus, Comes Arundellius (quem vnà cum Pageto per integrum annum

Miles Northumbrij à ſignis dilabitur.

annum incarceratum non ita pridem Northumbrius tenuerat) & Th. Cheynæus quinque (vt loquimur) portuum Præfectus. Horum induſtria, Conſiliarij omnes quotquot reperiri poterant (excepto ſolo Suffolcio) aliorum etiam procerum permulti qui non alieno à Maria animo eſſe noſcebantur, ad Palatium Pembrochij conuocati ſunt, quod antiquo nomine Bainardi caſtrum nuncupatur, ſpecie quidem colloquendi cum Galli oratore Lauallo, quocum neſcio quid tractandum comminiſcebantur; reuera autem vt de lana in ordinem redigenda conſultarent. Ibi Henricus Arundelliæ Comes in Northumbrium plenis quod aiunt velis inuectus, poſtquam priorum temporum acta commemoraſſet, & omnium quæ Edwardo regnante iniquè, crudeliter, aut perperam geſta viderent inuidiam in eum vnum conieciſſet, de liberis Henrici à ſucceſſionis in regnum iure contra ius faſque exturbatis querimoniam inſtituit; & mirari ſe imprimis retulit, quo pacto tales tantoſque viros (præſentes innuens) in eam ſeruitutem redegerit, vt ſcelerum ſuorum adminiſtros eos facere potuerit. Illis nempe ſuffragantibus, perſona regni indutam Suffolcij filiam, nurum ſuam, dominationis vim & poteſtatem ad ipſum delatam, vt in omnium capita & fortunas tanquam ex arce tyrannidis impunè graſſaretur. Obtentui quidem ſumptam religionis cauſam: Sed vt vocem Apoſtoli meminiſſe nolint, (quod malum eſt non pepetrandum vt inde bonum proueniat: & principibus vel malis non ob metum tantum ſed conſcientiæ gratia obtemperandum) cuinam quæſo compertum eſt (ait) Mariam in rebus ad religionem ſpectantibus quicquam mutaturam? Certe Suffolcienſium nonnullis hac de re nuperrimè eam interpellantibus (Et verum id fuit) æquiſſime dicitur reſpondiſſe. Et quæ (malùm) iſta animi imprudentia ac cæcitas eſt (inquit) quo incertum periculum euitemus in certam perniciem nos fortunaſque noſtras præcipites dare? In hac re vtinam peccatum non fuiſſet. Sed cum errori nulla melior ſit medicina quam matura reſipiſcentia, operam hortor iam omnes adhibeamus, vt Maria Regni legitima & indubitata hæres veſtra authoritate publicè declaretur. Poſtquam in hanc ſententiam pluribus peroraſſet Pembrochij Comes, Arundellij ſub-

1553.

Decretum procerum de Mariâ in regnum recipienda.

1553. ſcribere ſententiæ alta & generoſa voce profeſſus eſt, & manu ad gladij capulum appoſita, ſubiecit, ſe ferro quoque paratum decernere cum eo qui contrariam tueri præſumeret. Ab omnibus tum pedibus in eam ſententiam itum eſt. Accerſitis igitur Prætore (quem Maiorem dicimus) & ſenatoribus vrbis, universi ſimul omnes in celeberrimum civitatis vicum perrexerunt, Chepſide nuncupatum, & ibi tubæ ſonitu convocata plebe, edictum promulgarunt, quo Maria Regina pronuntiatur. Inde tunc omnes in Baſilicam Paulinam proficiſcuntur, vbi hymno decantato qui à BB. Ambroſio & Aug. conſcriptus dicitur, miſerunt protinus ad Turrim qui arcem in poteſtatem redigerent, & Suffolcium ut ſe conſilio ſiſteret adigerent. Ille

Iana in ordinem redigitur.

ut hæc nunciata ſunt, in Ianæ filiæ cubiculum ingreſſus, inſignia regalia protinus amovit, & eam ut ad privatam vitam redire non ægre ferret admonuit. Ad quæ illa, nihil turbato vultu, Æquioribus inquit auribus hunc nuncium accipio pater, quàm cum me inuitam & adactam ad hoc faſtigium rapuiſti; ut tibi & matri inprimis morem gererem, peccavi graviter, & vim mihi attuli; nunc ſponte facio, & mihi morem gero, cum regno abdicare me & culpam alienam emendare compellor, ſi modò tantus error ſola abdicatione & culpæ confeſſione corrigi poteſt. His dictis, in ſecretius cubiculum ſe recepit, de capite ſollicita magis, quàm quòd ægrè regno cedere videretur. Suffolcius inde ad conſilium pergit, & decreto ſubſcripſit. Iulij 19. hoc edictum promulgatum eſt, tanto populi gaudio, ut Mariæ nomine recitato, exaudiri poſteà cætera non potuerint, præ lætis exultantium clamoribus. Arundellius & Pagetus poſtquam ex animi ſententia rem ſic confectam vidiſſent, equis eâdem ſtatim nocte conſcenſis, & equitibus 30. ſecum aſſumptis, quanta poſſunt celeritate ad reginam contendunt: quæ poſtquam ei demonſtratum eſt quid actum ſit, ob tam lætum nuncium ingenti gaudio perfunditur. Ad Northumbrium interea Conſiliarij dant literas, & eorum quæ acta erant ipſum certiorem faciunt, mandantque, vt decreto ſubſcribat, & exercitum dimittat. Illas literas nondum acceperat quando rem tamen præſentiens, & alto corde dolorem premens, Mariam Reginam edicto publicè promulgato ipſe Cantabrigiæ declaravit, & ipſe iecto in altum pileo (ceſſuſæ lætitiæ apud nos id ſignum

Nortumbrius edicto Cantabrigiæ promulgato Mariam reginam declarat.

num

1553.

num eſt) gaudere ſe cum cæteris ſimulavit. Exercitus tunc illico diſſolvitur, & nobilitas univerſa ad Mariam tranſiens, omnémque culpam in Northumbrium conijciens, veniam præteritorum impetravit. Iana, poſtquam Reginæ perſonam tanquam in ſcenâ decem tantum egiſſet dies, cuſtodiæ traditur, & illuſtres matronæ quæ in Comitatu illius erant, ad ſuas unaquæque ædes ſe recipere iubentur. Northumbrius etiam Reginæ iuſſu ab Arundelliæ Comite comprehenditur, & Londinum in turri aſſervandus mittitur.

Comprehenditur & incarceratur.

Sunt qui referunt, animi dubio, quid faceret, & de fugâ cogitanti, manus iniectas à regij corporis cuſtodibus, dum ocreas indueret, (Iohanne Gatzio Duce, ſatellitum præfecto, Northumbrium in eam expeditionem ij ſequuti fuerant) Æquum eſſe dicentes ut eius teſtimonio à perduellionis crimine ſe tueantur. Illo reſtitante, adeóque orta inter eos contentione, advenere eo ipſo articulo literæ à conſiliarijs regijs ſupradictæ in quibus ſuper ea quæ antea memoravi, imperatum fuit, ut abiectis armis domum ſuam unuſquiſque ſe reciperet. Illis viſis & recitatis, Ducem protinus liberum prætoriani dimiſerunt. Libertas verò huiuſmodi diuturna illi non fuit. Nam proximo ſtatim mane cum equum conſcenſurus videretur, à Regina veniens Arundellius, captivum eum abduxit, unáque alios permultos, Huntingdoniæ videlicet Comitem, & primogenitum ſuum Warwicenſem, Ambroſium & Henricum Northumbrij filios, Andream Dudlæum fratrem eius, Tho. Palmerum & Iohannem Gatzium equites, Henricum Gatzij fratrem, ac Edwinum Sandium Theologum, qui Iulij 25. Londinum pervenerunt, & in Turrim ſtatim coniecti ſunt.

Procerum item alij.

Huntingdonius non multo poſt, filius vero illico liberatus eſt. Io. Gatzius, cuius conſilio Northumbrius quicquid peccaſſet tribuebat, & Palmerus, capitali poſtea ſupplicio affecti ſunt. Warwicenſis Comes in cuſtodia morbo extinctus eſt. Ambroſio & Henrico Dudlæjs condonatum, quorum iſte glande tormentariâ percuſſus in oppugnatione S. Quintini poſtea interemptus, ille vero meliori uſus fortuna, ad Eliz. Reg. tempora perduravit, & Comes factus Warwicenſis annos quamplurimos in magna apud eam authoritate fœliciſſimè tranſegit.

Ambr. Warwic. Comes.

Andreæ quoque Dudlæo ad mortem damnato Regina poſtmodum ignovit. Sandius Theologiæ Doctor & Academiæ

Digitized by Google

1553. cademiæ Cantabrigienſis Rector ſive (ut loquimur) Vicecancellarius, à Northumbrio iuſſus, Mariæ cauſam ex ſuggeſtu apud Academicos habita concione impugnarat, Ianæ defenderat, ea vero & prudentiâ & moderatione, quamvis pauciſſimarum horarum intervallo ad ſe præparandum conceſſo, ut Duci abunde ſatisfactum ſit, & tamen ex altera parte offenſionis tantum contractum non fuerit, quin amici eius à Regina veniam pro eo impetrare potuerint. Poſtquam igitur annum ferè integrum in carcere detentus fuiſſet, dimiſſus, in Germaniam protinus evolavit; vnde poſt mortem Mariæ rediens, ad Epiſcopatum primum Wigornienſem, deinde Londinenſem evectus, ad Archiepiſcopatum tandem Eboracenſem conſcendit, eruditione, probitate, prudentia, addo etiam genere vir clariſſimus, & ſobole ſuper omnia fœliciſſimus. Nam liberos reliquit permultos ex quibus tres equites vidimus auratos, animicorporiſque dotibus ornatiſſimos. Iulij 26. ad eundem carcerem deducti ſunt Marchio Northantonenſis (poſteà damnatus, dimiſſus tamen) Ridlæus Epiſcopus Londinenſis, Oxoniæ poſt biennium combuſtus: & deinde præter multos alios, Robertus Dudlæus alter Northumbrij filius, magnus ille ſub Elizabetha Leceſtriæ Comes, cuius gratia ſumma quæque adeptus, magnam potentiam in ætate non adeo provecta morte terminavit. Iul. 27. incarcerati, Suffolciæ Dux, cui poſt quatriduum admirabili clementia veniam dedit Regina, Io. Checus Edw. præceptor, Rogerus Chomleus, & Edw. Montacutus ſummi Regni Iudices, qui omnes Sept. 3 libertati reſtituti ſunt. Iulij 30. Elizabetha reginæ ſoror à domo ſuâ in ſuburbijs civitatis Londinenſis ſita, (in vico nempe quæ Stranda dicitur) profecta, cum ingenti tam fœminarum quam nobilium virorum comitatu (alij 500. numerant, alij 1000.) facto per vrbem itinere, ſorori ad regnum aſſumptæ gratulatura obviam proceſſit: quæ demum Aug. 3. Wanſtedæ ſexto ab urbe lapide cum conſediſſet, dimiſſo iam antea exercitu (qui ad 13. millia hominum neque amplius excreverat) habuit illic obvios regni primores & principes matronas, & urbem magno comitatu ingreſſa, in Turrim venit. Venientem ſupplices exceperunt Norfolciæ Dux (cuius filium, Surreiæ Comitem ab Henrico moriente necatum memoravimus, à quo tempore in carcere hucuſque

D. Sandius Archiepiſcopus poſteà Eborac.

Robertus Leceſtriæ poſtmodum Comes.

Regina Londinum.

huсuſque hic detentus fuerat) Edw. Cortineus Cortinei anno 1538. decapitati filius, Gardinerus ante biennium Epiſcopatu Wintonienſi multatus, & Anna Somerſetenſis non ita pridem ſecuri percuſſi vidua. Quibus in genua procumbentibus, Gardinerus reliquorum nomine orationem habuit, in qua, poſtquam Reginæ omnia fauſta precatus fuiſſet, illa benignè ſingulos levavit, ac oſculo ſalutavit. Hi (ſimul inquiens) mei proprij ſunt captivi, deinde dimitti omnes extemplo iubet. Ac Cortinæum quidem poſtridie ad paternos honores reſtituit, Marchionatum nempe Exonienſem. Ad Gardinerum vero quod attinet, non ſolum in Epiſcopatu unde fuerat amotus eum denuo collocavit, ſed etiam ſummum Angliæ Cancellarium paulo poſtea Auguſti nempe 23. conſtituit, quanquam is olim ſententiæ de divortio contra Catharinam matrem ſuam latæ ſubſcripſiſſet, & libris editis Henrici VIII. cauſam defendiſſet. Aug. 5. Bonerus & Tunſtallus, hic Dunelmenſis, ille non ita pridem Londinenſis Epiſcopus, brevi etiam poſtea Daius Ciceſtrenſis, & Hethus Wigornienſis, carceribus emiſſi quibus detenti fuerant, ad Epiſcopatus quos tenuerant redire iubentur, modernis poſſeſſoribus ne lite quidem intentata, eiectis. Aug. 10. Edwardo Regi, iuſta (ut diximus) perſoluta ſunt, concionem habente Daio Ciceſtrenſi Epiſcopo, qui etiam ſacrum peregit vernacula uſus Anglicana, & Euchariſtiam præſentibus exhibuit more ſub Edw. Rege inſtituto. Nondum de religione actum fuerat. Cum igitur Auguſti 13. Burnus ad D. Pauli Canonicus, poſtea Bathonienſis Epiſcopus, reformationem ſub Edwardo factam ad crucem Paulinam pro concione inſectaretur, & iactantius inſuper commemoraret, quomodo Bonerus ob concionem ibidem loci eodémque ipſo tempore ante quadriennium habitam præſulatu iniuſte per vim pulſus, & carcere poſtea diuturno mulctatus fuiſſet, nunc vero per clementiam regiam reſtitutus: plebs puriori doctrinæ iam bene aſſueta, tumultuari cœpit, & à lapidibus vix aut ne vix abſtinuit: nam aſtantium quidam, coniecto in concionatorem pugione, parum abfuit quin eum confodiſſet: idque tanto vicinorum conſenſu factum, ut quamvis diligentiſſime indagatum, reſciri nunquam potuerit vivente Maria quis eius facinoris author extitiſſet. Alijs tum clamantibus, alijs in

1553.

Captivos aliquot nobiles liberat.

Gardinerus fit Cancellarius.

Deprivati olim epiſcopi reſtituti.

Edw. VI. ſepultura.

Concionante Burno ad crucem Paulinam tumultuatum.

Digitized by Google

1553. ſuggeſtum irrumpere ſatagentibus, Burnus concionator, à duobus miniſtris plebi acceptiſſimis protectus, Bradfordo & Rogerio, qui poſtea religionis cauſa combuſti ſunt, in ludum literarium vicinum magnâ cum difficultate incolumis tandem deductus eſt. Aug. 18. de coniuratorum cauſâ cœptum cognoſci. Rei tum facti proditionis Northumbriæ Dux Io. Dudlæus, Io. item primogenitus eius Comes Warwicenſis, & Gul. Parrus Northantoniæ Marchio. Eius diei & ſequentium geſta ſic ut à Thuano (clariſſimo certe ſcriptore) traduntur, quanquam à me omnino non probentur quæ habet, tamen quòd ad veritatem proxime accedant, & diſcrepantes ſententias audire lectorem quandoque iuvat, huc integra tranſcripta inſerere non pigebit. Decimo tertio Cal. Maij (inquit ille) Weſtmonaſterium deducti, ut coram à Iudicibus interrogarentur: Ibi Northumbrius, cum ſe nihil niſi ex ſenatus decreto egiſſe diceret, excuſatione minime admiſſa, tanquam perduellis ad mortem damnatur. Pronuntiata ſententia, generis mortis gratiam ſibi fieri ſuppliciter petijt, & in mitiorem pœnam mutari. Item ut filijs parceretur, & eorum ætatis ratio haberetur. Poſtremò, ut ſibi cum Theologo colloqui liceret poſtulavit, & cum 4. ex delectis primoribus ſermones de rebus ad rem publicam pertinentibus conſerere. Tum interrogatur Northantoniæ Marchio, qui poſtquam nullum tumultus tempore publicum munus ſe exercuiſſe dixit, ſed venationibus intentum, turbis ſe minime immiſcuiſſe: cum contra conſtaret eum Northumbrij partes ſecutum eſſe, pariter ad mortem damnatus eſt. Ac poſt eum Warwicenſis Comes Northumbrij natu grandior filius, qui ubi in tam gravi crimine ætatis excuſationem non admittere iudices vidit, ingenti animi conſtantia ſententiam mortis excepit, hac ſola petita gratia, ut omne æs ſuum alienum exolveretur, nam perduellionis damnatorum bona ſine æris alieni onere regni lege ad fiſcum tranſeunt. Ij mox in Turrim reducti. Poſtridie pariter damnati ſunt Andreas Dudlæus Northumbrij frater, Io. Gatzius prætorianorum præfectus, qui primus de Iana adoptanda in Northumbrij gratiam author fuiſſe credebatur, & Henricus Gatzij frater, ac poſtremo Tho. Palmerus equeſtris ordinis vir. Vndecimo Cal. Septemb. ad ſupplicium producuntur, cum biduo ante ſacro ſolemni celebrato,

Northumbrius, Warwicenſis & Northantonius damnati.

Imo 15. nam 13. Cal. fuit dies Dominicus & tali negotio minimè aptus.

Proditorum ſupplicium apud nos quale, vide *pag....*

Digitized by Google

brato, in carcere ſacræ cœnæ viaticum accepiſſent. Et Northumbrius ex conſilio Nic. Hethi. qui poſtea Archiepiſcopus Eboracenſis creatus fuit, oratione ad populum habitâ, culpam confeſſus, & venia delictorum petita, cunctos aſtantes admonuit vt priſcam maiorum religionem amplecterentur, reiecta nuper inuecta doctrina, vt quæ, malorum omnium quæ 30. ab hinc annis paſſi eſſent, cauſa extitiſſet, in primis nouæ religionis concionatores vt ſeditionum buccinas regno exigerent, ſi innocentes ſe coram DEO & ſaluam rempublicam vellent: ſe quidem non aliam quàm maiorum religionem ſemper in ſinu coluiſſe, eiuſque rei teſtem appellare Wintonienſem Epiſcopum ſummum amicum ſuum, ſed ambitione cæcum multa tempori condonaſſe, quorum pœniteat & ex animo tædeat: proinde ſponte mortem, quam cōmeruiſſe agnoſcat, ſubire. His dictis, cum ſe circumſtantium precibus apud DEVM cōmendaſſet, ad mortem ſe compoſuit. Ac ſtatim carnifex petita prius venia lege in ipſum egit. Monitis Northumbrij variè affecti ſunt aſtantium animi, mirantium, illum religionem, quam 16. amplius annos profeſſus eſſet, & cuius præcipuè ratione Edwardo de exhæredandis ſororibus conſilium dediſſet, improbare. Plerique ſcripſere, ſpe impunitatis hominem aſtutum vitæque cupidum, id feciſſe: & poſtea cùm circumſpiceret, & verba ſibi data videret, pœnituiſſe. Inſimulatus fuerat (nec leues erant coniecturæ) quaſi regi venenum propinaſſet: ſed in quæſtione eius rei nulla facta eſt mentio, quòd iudices non tam Edwardi mortem quàm coniurationem contra Mariam factam ſibi vindicandam propoſuiſſent. Eadem pœna ſecundum eum Io. Gatzius & Tho. Palmerus affecti ſunt: Hucuſque Thuanus. Sub hoc ipſum tempus Epiſcopi plurimi qui in cauſa religionis cœteris paulo acriores cenſebantur, Londinum euocantur, & ibidem cuſtodiæ mancipantur: Hooperus Gloceſtrenſis, Ferrarius Meneuenſis (qui poſtea combuſti) & Couerdalus Exonienſis, qui Chriſtiano III. Danorum Regi literis pro eo deprecanti condonatus eſt. Omnes autem cuiuſcunque conditionis eccleſiaſtici qui vxores neque repudiare vellent, vel qui ſacerdotia tenerent vnde ob Pontificiam doctrinam pertinaciter defenſam exturbatus quiſquam fuiſſet, imo qui vel eam poſthac tueri ac

1553.

Northumbrius decapitatus.

Epiſcopi incarcerati.

1553. *Petrus Martyr.* ac defendere non promitterent, ſacerdotijs huiuſmodi indiſcriminatim vniuerſi exacti ſunt. Petrus Martyr Vermilius Oxonij tunc erat, de quo ſupra. Illi, Edw. Rege defuncto denunciatum ſtatim fuit, ne domo pedem efferret. Poſt aliquantum temporis, amicorum precibus Londinum proficiſcendi facultatem impetrauit, & in ſinum Cranmeri Cantuarienſis vt vnici patroni confugit. Verum is iam dudum nutare cœperat, fremente Reginâ, quæ præterquam quod tota erat in poteſtate Gardineri, qui eum cane peius & angue oderat; iram in eum propter divortium matris conceptam, iam tot annos coquebat. *Cranmerus in carcerem.*

Manet altâ mente repoſtum
Iudicium latum, ſpretaque iniuria matris.

Henricum Regem ferunt, cum Mariæ filiæ contumaciam carceribus coercere ſtatuiſſet, quòd Pontificiam doctrinam pertinaciter adeo defenderet, ad Cranmeri ſolius interceſſionem mutaſſe ſententiam. Deinde, cum eandem à fratre Edwardo exhæredari oportuit, longâ oratione ne id fieret Archiepiſcopus (etſi fruſtra) contendit: neque vt ſubſcriberet decreto induci potuit, donec iuris peritis vna voce aſſerentibus, legibus illud eſſe conſentaneum, Rex multis & aſſiduis precibus id ab eo evicerit. Apud ingratos adeo plus valet vnius iniuriæ opinio (ne dicam ſenſus) quàm mille beneficiorum recordatio. Incerto rumore ferebatur eo tempore, religionem cum fortuna Cranmerum mutaſſe: adeo vt, Reginæ gratificaturus exequias Edw. Regis Pontificio more celebrare pollicitus fuerit. Quare, ſcripto ſub initium Nouem. edito, ſe purgauit, & decreta de religione ab Edwardo ſe authore facta, vt DEI verbo & Apoſtolorum doctrinæ congruentia, tueri ſe paratum oſtendit, in eoque propoſito à P. Martyre confirmatus, ipſum ſibi ſocium & adiutorem in hoc negotio popoſcit. Sed à verborum diſputatione res ad vim vocatur. De nece eius omnino decretum erat: de modo patrandi ambigebatur. Placuit primo in eum vt perduellem lege agi. Nouembr. itaque 13. cum in Turri aliquandiu iacuiſſet, vt exiſtimationem eius apud populum imminuerent, maieſtatis læſæ reum peragunt,

Digitized by Google

peragunt, vnà cum Ambroſio & Gilfordo Dudlæi filijs, ac Iana Gilfordi vxore, quæ Reginæ perſonam aliquandiu non ita pridem geſſerat. Ac eius quidem delicti omnes vt ſontes ad mortem damnati ſunt. Ad Cranmerum quod attinet, adeo cœpti eos puduit, vt venia ſtatim ei à Regina impetrata fuerit ab illis ipſis, qui hæreſeos crimen ſtatim ei impegerunt. Antequam cuſtodiæ traderetur, vt à certiſſima pernicie fuga ſe eriperet confratrum aliquot ſuorum exemplo qui in Germaniam iamdudum aufugerant, amicorum multi hortabantur. Quibus ille, Si furti inquit, parricidij, aut cuiuſvis ſceleris poſtularer, quantumuis inſons, induci fortaſſis poſſem ad fugam capeſſendam. Nunc verò cum de mea non in homines, ſed in DEVM fide, & ſacrarum ſcripturarum veritate contra Pontificios errores agendum eſſe video, conſtantia vſus Chriſtiano Præſule dignâ, vitâ conſtitui potiùs quàm regno hoc in tempore cedere. Sed Cranmerum iam in carcere relinquamus. Cætera quæ ad eum ſpectant ſuo loco memoraturi. De P. Martyre in conſilio aliquandiu diſceptatum eſt, vtrum cum illo etiam vt hæretico agendum non eſſet, vtpote qui religioni Catholicæ multum damni dediſſet. Itum eſt tandem in eam ſententiam, vt quia publicâ fide in Angliam venerat, cum ſuis incolumis dimitteretur. Itaque publicis literis acceptis manu Reginæ ſubſcriptis, Antuerpiam, & inde Coloniam, ac poſtremo Argentoratum vnde profectus fuerat, cum Bernardino Ochino ſe contulit. Interea dum hæc fiunt, Regina primo die Octob. Weſtmonaſterij magna cum pompa à Stephano Gardinero Wintonienſi Epiſcopo more maiorum regno [illegible]urata, vncta & coronata eſt. Quinto deinde eiuſdem [illegible]nſis Parliamentum Weſtmonaſterij coactum, in quo omnes propemodum leges ac ſanctiones quæ ab Henrico & Edwardo regibus in Pontificem & Pontificios latæ fuiſſent, reſciſſæ & penitus antiquatæ ſunt. In Synodo, eodem quoque tempore conuocatâ, Londini habita, de ſacra ſynaxi magna contentione, per dies plurimos diſputatum eſt. Præſentiam CHRISTI carnalem & realem in ſacramento aſtruebant multi, ſub anteſignano Weſtono Synodi moderatore, aut (vt loquimur) Prolocutore. Inter alios paucos qui contrariam ſententiam tue-

1553.

Damnati ad mortem Archiep. Iana cum marito & Ambroſio Dudleo.

Coronatio.

Diſputatio.

 bantur,

Digitized by Google

1554. bantur, numerantur præcipuè Io. Ælmerus & Ric. Cheynæus, (quorum hic Gloceſtrenſis, Londinenſis Epiſcopus ille poſtea ſub Elizabethâ Reginâ floruerunt) Io. Philpottus Archidiaconus Winton. qui ſanguinis effuſi teſtimonio eam doctrinam tandem confirmavit, Iac. Haddonus Exonienſis, & Walt. Philippus Roffenſis eccleſiarum Decani. Poſt longum & acre certamen, multitudine noſtri non rationibus vincuntur. In eorum itaque ſententiam pedibus itum eſt, quibus Papiſmus in eccleſiam denuo recipiendus videbatur. Eiuſdem proinde Synodi authoritate & mandato, Decembris viceſimo primo miſſa Pontificio more in omnibus regni eccleſiis celebrari cœpta. Quo tempore Northantonenſis Marchio & Henricus Gatzius ad mortem paulo antea damnati, è cuſtodia emiſſi ſunt, facta delictorum venia. Dudlæi fratres, & Iana, in cuſtodiâ quàm ante multo laxiori habentur, facta etiam impunitatis ſpe.

Papiſmus reſtituitur.

ANNO DOMINI 1554. REGN. 1. & 2.

De nuptijs reginæ deliberatio.

REGINA quæ triceſimum ſeptimũ ætatis annum iam ferme expleuerat, & à matrimonio ineundo animo putabatur hucuſque alieniori, ſiue naturâ, ſiue quod formâ non erat adeo venuſta vt viri gratiam & amorem magnopere demereri ſe confideret, iam tandem rebus ſuis ita poſcentibus, de marito cogitare cœpit. Verebatur nimirum, ne ob ſexus imbecillitatem in contemptum ſuorum deueniret, nondum ſtabilito ſolio, & regno à recenti factionum memoria adhuc fluctuante. Ac tres quidem erant qu[illegible]a popularis tunc temporis ad nuptias eius deſtinabat [illegible]hilippus Hiſpaniarum Princeps Cæſaris filius, Reginaldus Polus Cardinalis, & Cortinæus Marchio Exonienſis. Hos maiorum ſplendor & patriæ caritas commendabat, quòd ſub vtroque & libertatis & regni immunitatum conſeruandarum ſpes eſſet. Deinde cum in omnibus ſpectaretur ſanguinis propinquitas (nam ſinguli genere aut paterno aut materno eam cognatione proximâ attingebant) Polum morum grauitas & vitæ ſanctimonia, cum ſummâ animi manſuetudine & prudentiâ coniuncta; Cortinæum vero flos ætatis & comis ac perurbana conſuetudo

Poli genus Vide p..... & Cortinæi p....

Digitized by Google

ſuetudo cariſſimum reginæ reddiderunt. Sed de iſto neſcio quomodo ſuſpicio excitata quaſi de religione non optimè ſentiret, & reformationi faveret. Et Polus tertium ſupra quinquageſimnm ætatis annum agens, ætate provectior erat quàm ut de liberis ex eo ſuſcipiendis magnopere confideret. Eorum igitur ſententia facilè obtinuit, quibus regno impacato opus eſſe potenti rege videbatur, qui & domeſticos motus componeret, & adverſus Gallôs (Scotia nuper occupata) utrinque & terra & mari vicinos iuxta & infeſtos hoſtes Angliam tueretur. His ſe rationibus ambitioſa fœmina vinci facile paſſa eſt, & in Philippi nuptias conſenſit. Earum conciliandarum gratia ampliſſimam legationem (cuius erat Princeps Lamorallus Egmondanus Comes, adiunctis ei Carolo Lalanio & Io. Mommorantio Currerio) ſub exitum anni ſuperioris in Angliam Cæſar miſerat. Ineunte Ianuario, legati prædicti ubi Londinum venerunt, poſt aliquot dies rem conficiunt. Pactis dotalibus hæ conditiones appoſitæ ſunt: ut nuptijs inter Philippum & Mariam contractis, Philippus omnium uxoris regnorum & provinciarum titulos ſibi ſumat, ſociúſque in regnorum adminiſtratione ſit, integris regni privilegijs & conſuetudinibus, plena item ac libera beneficiorum, gratiarum, ac functionum diſtributione penes Reginam remanente. Viciſſim Regina in ſocietatem omnium regnorum Philippi mariti quæ ipſe iam poſſideret, & ei poſtea obventura ſunt, vocetur: & ſi Philippo ſuperſtes ſit, donationis propter nuptias nomine 60. millia librarum (aureorum id facit 200. millia) annua penſio, uti olim Margaretæ Anglicæ Caroli Burgundionis viduæ ei aſſignetur: quarum 40. millia in Hiſpaniâ & Arragonia exolvantur, 20. millia in Belgio & provincijs Belgicæ ditionis pendantur, utque litibus ac diſſidijs obviam eatur, conventum, uti in dividenda hæreditate, quicunque ex hoc matrimonio naſcentur, in omnia regna ac dominia Reginæ, prætereáque in omnes Belgij & Burgundiæ quos Cæſar poſſidet principatus ſuccedant: Carolus natu grandior Philippi ex priore matrimonio filius, viciſſim in cætera omnia tam patris quàm aviæ & Cæſaris avi in Italiâ & Hiſpaniâ regna ſuccedat, ad ſolutionem tamen 40. millium librarum eorum bonorum ratione teneatur. Si ex hoc matrimonio filiæ naſcantur, primogenita in omnes

1554.

Pacta nuptialia.

Digitized by Google

1554. omnes Belgij ditiones ſuccedat hac lege, ut maritum in Anglia aut Belgio ex conſilio & conſenſu Caroli fratris deligat; ſi aliunde ſine fratris conſenſu ſumat, Belgij ſucceſſione privetur, & iura integra in Belgio penes Carolum fratrem & eius hæredes maneant. Illi tamen ac ſororibus dos conveniens iuxta locorum leges ac conſuetudines aſſignetur. Si contingat Carolum & qui illi ſucceſſerint, hæredibus ſuis defici, eo caſu, qui primus ex matrimonio naſcetur, etiam ſi fœmina ſit, in omnia utriúſque coniugum regna tàm Belgij quàm Hiſpaniarum, atque in omnes Italiæ principatus ſuccedat, idémque regni cuiúſque iura, privilegia, immunitates, conſuetudines, inviolatas ſervare teneatur. Inter Cæſarem, Philippum, eiuſque hæredes, inter Reginam eiuſque liberos & hæredes, & vtrorumque regna ac ditiones, conſtans amicitia, concordia, & fœdus perpetuum ſit atque inviolabile. Nuper facta anno huius ſeculi 42. Weſtmonaſterij, & quadriennio poſt Vltraiecti 17. Cal. Febr. fœdera, renoventur ac confirmentur. Vt de nuptijs huiuſmodi decretum vulgo innotuit, multi quibus præſentia diſplicebant, calumniandi anſam arripuêrunt, quaſi rerum ſummæ Hiſpanus iam præficiendus eſſet, ut is cum ſuis pro libitu omnia adminiſtraret, & everſis maiorum legibus ac inſtitutis, genti noſtræ tanquam bello devictæ iugum nullo modo ferendum imponeret. Hæc apud omnes & palam iactitata. Clanculum vero & apud ſingulos pro illorum quibuſcum agebant ingenio, actiones reginæ vellicabant. eccleſiaſticos ritus mutatos apud alios quiritantes, cum id non futurum Suffolcienſibus illa promiſiſſet. Apud alios deinde vicem Ianæ miſerantes, clariſſimæ fœminæ à faſtigio regio per vim deiectæ & ad indignam immeritámque necem crudeliter condemnatæ. Multos commovit miſeratio, nonnullos religio, longe vero plurimos externi iugi metus: alios etiam ſpes ſuæ & rerum novarum cupiditas ad novos tumultus ciendos ſtimulabant. Cumque Dux ſolus deeſſe videretur, rem primus ſuſcepit Tho. Wiatus eques nobilis è Cantia oriundus, qui re cum Suffolciæ Duce Ianæ patre clam communicata, ſicut etiam cum Petro Caroo Devonienſi equite, & alijs nonnullis; nihil attentandum ſtatuebat donec adveniſſet Philippus, ut quicquid demum haberent in animo, contra externi principis dominatum pro patriæ

Wiatiana coniuratio.

Digitized by Google

patriæ libertate pugnaturi, neque aliam ullam ob cauſam arma ſumpſiſſe viderentur. Aſſenſere cæteri, & ſinguli ad ſua diſceſſerunt, in Cantiam Wiatus (quæ regio Londino propinqua, à Caletenſi urbe freto non ita magno diſiungitur) Carous in Devoniam (quæ Galliæ item obiacet in occidentali Inſulæ parte) & Suffolcius ad prædia ſua in agro Warwicenſi Angliæ meditullium obtinente. His in locis arma, commeatum, pecuniam, & omne genus bellici apparatus undíque(ſed clanculum)corrogabant,& quotquot poterant partibus ſuis adiungere nitebantur, cum Carous, ceu fato quodam, ceu quod in mora periculum eſſe exiſtimabat, militem occulte per Cornubiam cepit cogere: réque citiùs ſpe detecta, oppreſſus, cum aliud perfugium non haberet, conſcenſa nave, in Galliam vela fecit, ubi ad tempus delituit, donec tandem regi in ſpeciem reconciliatus, captus Bruxellis, & captivus in Angliam deductus eſt. Quomodo poſtea evaſerit non habeo compertum. At ſub Elizabetha Regina multos annos floruiſſe, & Roſſæ in Lagenia (Hiberniæ provincia) morbo extinctum anno 1577. viventibus plurimis notiſſimum, & teſtatur monumentum quod in ecclesia Chathedrali Exonienſi viſitur, ſumptibus extructum Petri nepotis eius, qui frater fuit Georgij viri fortiſſimi, prudentiſſimíque, à Iacobo Rege ob egregias virtutes in Baronum album non ita pridem aſcripti. Cum Petro antedicto captus eſt eodem tempore Io. Checus Edw. Regis præceptor, cum petito prius commeatu, Argentina Bruxellas veniſſet, oratorum regiorum ibi degentium ſalutandi cauſa (ſic Foxus noſter) aut potiùs uxoris ducendæ gratia ſi Thuano credimus. At quæcunque demum fuerit profectionis cauſa, comprehenſum conſtat, ac miniſtris regijs in ipſâ viâ quæ Antuerpia Bruxellas ducit equo deturbatum, & funibus ad plauſtrum religatum, donec obvoluto capite, in navem coniectus, & ad turrim Londinenſem (ignarus quo veheretur) abductus eſt. Ibi minis ac terroribus ad palinodiam adactus, cum à Pontificijs erroribus toto animo abhorreret. Cuius rei pœnitentia ductus, mœrore paulo poſt contabeſcens, mortuus eſt. Hæc eo diligentiùs à me perſcripta ſunt, quod non deſint qui tradant vtrunque: Caroum (inquam) & Checum, ad palum ſimul alligatos, religionis cauſa crematos eſſe, ídque Idibus

1554.

Io. Checus capitur & moritur.

Digitized by Google

1554. Iunij hoc ipſo anno. Cæterum ut ad Wiatum revertamur, is evulgata iam ſua conſilia videns, nec aliud quam in virtute præſidium ſupereſſe: in Cantia ſua populum ad ſeditionem vocavit, rebellium & ſeditioſorum, fere omnium eam vocem uſurpans, pravis conſultoribus uſam Reginam, multa & patraſſe nuper, & quotidiè moliri, reipublicæ Anglicanæ pernicioſa. Dandum itaque operam, ut amotis iſtis, alij ſubſtituantur, qui Regni negotia ſic tractent, ut fideles decet conſiliarios, & publici potius quam ſui commodi & emolumenti ſollicitos. Ante omnia vero manibus pedibúſque elaborandum clamitabat, ut coniugio deſtinato impedimentum aliquod inijceretur, quo nimirum graviſſima ſervitute Angliam premendam & Papiſticam ſuperſtitionem nuper invectam perpetuò ſtabiliendam, clariſſimè ſeſe aiebat prævidere. Hoc igitur quod moliretur, ipſi in primis reginæ (cui omnia fauſta precabatur) & vniverſo deinde regno, vtile ac ſalutare futurum. Quicquid vero in ſpeciem iactaretur, quando ſub idem tempus nunciatum eſt, Suffolcium Warwicenſes ad arma vocaſſe, nemo erat tam parum naſutus qui non ſentiret, eò hos conatus tendere, ut de regni ſolio deiecta Maria, Iana tum captiva ad regni gubernacula iterum eveheretur. Ianuarij 25. de tumultu in Cantia excitato Londinum fama pervenit. Quod ſimul ac auditum eſt, eodem ſtatim ipſo die ad ſeditionem eam compeſcendam emiſſus eſt Norfolciæ Dux cum levi manu, quæ ex ſatellitibus regijs plurimum conſtabat. Poſtridie vero per civitatem Londinenſem 500. milites coacti ſunt, qui lembis impoſiti, ſecundo fluvio Grauesendam pervenerunt die ſequenti, vbi nimirum eos Dux præſtolabatur. Cum his copijs Wiatum aggredi ſtatuit, qui Roffæ ſe continebat (urbecula parum munita) & in civitatis illius arce ſemidiruta, caſtra collocarat. Prope Medwegam fluvium hæc civitas ſita eſt, vbi freti inſtar violentus & æſtuans non procul ab oſtio ponte iungitur ſaxeo, arcuato opere ſpectatiſſimo. Hunc Wiatiani occuparant, & aliquot tormentis æneis munierant, ut duci (quem adventare exploratores monuerant) tranſitum præcluderent. Ille nihilo ſecius progreſſus, fœcialem iubet præcedere, & veniam præteritorum factam omnibus edicere, qui abiectis armis ſeditioſorum caſtra desererent. Quod quidem cum ille præſtitiſſet (ſed ita ut à pauciſſimis exaudiri

1554.

exaudiri poſſet, nam prope aſtabat qui admoto pectori ſcloppo, mortem interminatus eſt, ni ſummiſſa voce quæ haberet enuncianda proloqueretur) reſponſum ab omnibus qui fortè paulo viciniores audiviſſent, nullius ſe peccati adverſus reginam ſibi conſcios eſſe ut venia huiuſmodi opus habeant. Solus inter omnes G. quidam Harperus, nobilis eques, reſipiſcentiam ſimulans, ad Norfolcium protinus contendit, ut Brettum qui 500. illos Londinenſes ducebat (quorum antea mentionem fecimus) de transfugio tentaret. Id quod ille fecit tam probe, ut priuſquam ad hoſtes perventum eſſet, Brettus, evaginato derepente gladio, ad milites ſuos converſus, his verbis eos fuerit alloquutus, videte obſecro populares etiamq; atque etiam cogitate, quid ſit quod agitis, quò, & contra quos tendatis. Annon ſocij ſunt, & cognati quos pergimus oppugnatum, quique pro nominis Anglici incolumitate arma ſumpſerunt, ut ſanguinis ſui periculo ab Hiſpanorum crudelitate & ſuperbia nos vindicent in libertatem? Vos quibus cordi eſt ſervitutem ſervite, cum Norfolcienſi imperatore veſtro bonis avibus manete. Ego (cui millies mori potius quam Hiſpano ſervire decretum) quod fœlix fauſtúmque ſit, auſpicia ſequar Ducis huius inclyti Wiati, & non defuturos inter vos confido, qui hoc meum & conſilium laudent, & exemplum imitentur. Vix finem loquendi fecerat, quando univerſi Wiati nomen inclamantes in ſocios qui ſequebantur machinas convertere ſatagebant. Quo caſu attonitus Norfolcienſis, Arundelliæ Comes, & Iernegamus ſatellitum præfectus (nam & ij ſimul aderant) fugam arripuerunt. Sed Wiatus eo ipſo momento (ſicut conſtitutum inter ipſos videtur) accurrens cum equitatu, cæteros omnes fugere prohibuit, & 8. tormentis æneis cum omni Norfolcienſis bellico apparatu potitus eſt. Ad copias tum regias converſus: ut in bello tam iuſto operam navare vellent hortatus, edixit nihilo minus, ſi qui redire mallent ad reginam, ſe illis impedimento neutiquam futurum. Hoc ſolum ſe rogare dicens ab huiuſmodi patriæ deſertoribus, ut omnibus, domum reverſi, atque adeo ipſi in primis Reginæ nuncient, DEVM atque homines Wiatum teſtari, non contra Principem, ſed contra exterorum machinationes pro patriæ libertate arma à ſe ſuíſque ſumpta eſſe. Londinenſes tum illi 500. quos Brettus

Brettus deſciſcit ad Wiatum cum 500. Londinenſib.

1554. duxerat, ſatellitum regiorum permulti, & cæterorum pars longe maxima Wiato ſe protinus coniunxerunt, qui tanta virium acceſſione elatus, Londinum iam recta ducere maturauit. Dum hæc in vrbe & in Cantia geruntur, Suffolcius, qui Ianuarij 25. Londino cum duobus fratribus Ioanne & Leonardo exceſſerat, edicta multis in locis propoſuit, quibus populares ad arma contra Hiſpanos aduentantes ſumenda hortatus eſt. Sed cum ſurdis ſe canere animaduerteret, de capeſſenda fuga cœpit cogitare, quando Huntingdonij Comitem aduentare nuntiatum eſt, à Regina cum equitatu miſſum, vt eum comprehenderet. In Comitatu tunc temporis habebat circiter 50. homines, à quibus, cum Huntingdonio, in regione infeſta minime reſiſti poſſe perſpiceret: diſtributa illis omni pecunia, fugam ſimulauit, & amandatis fratribus, cæteriſque omnibus, ſalutem ſuam commiſit fidei Vnderodi cuiuſdam, quem vivario Aſtleyenſi præfecerat. Hic cum eum occultum apud ſe habere promiſiſſet, donec pro tempore aliud ſumpſiſſet conſilium: ſeu metu, ſeu præmij ſpe corruptus, Huntingdonio patronum prodidit, à quo trecentorum equitum cohorte ſtipato, Londinum deductus eſt, & Febr. 11. in Turrim coniectus. Regina interim de Londinenſibus in officio retinendis ſollicita, ac præcipuè poſtquam de Brettianorum tranſſugio audiuiſſet, ipſa in vrbem venit Febr. 1. & conuocatis primoribus, ex plebe etiam ingenua quotquot locus capere potuiſſet admiſſis, orationem habuit, in qua vehementius in Wiatum inuecta, conſilia illius quam eſſent ſcelerata, ipſa vero quam egregiè in rempublicam animata, pluribus oſtendere ſatagebat, prætextu (dicens) dirimendi matrimonium cum Hiſpano Principe mox ineundum, ad maxima eum & intoleranda plane flagitia velanda, abuti. Eò ſiquidem veſaniæ proceſſiſſe, auctis iam aliquanto viribus, vt non ſolum de nuptijs, ſed de regij etiam corporis cuſtodia, & de conſiliarijs vel retinendis vel mulctandis ſtatuendi facultatem ſibi nunc concedi poſtulet. In coniugij negotio nihil ſe feciſſe niſi de procerum conſilio, meliorem ætatis partem in virginitate exegiſſe, neque nunc adeo nupturire, quin ſi modo regni ordines ita expedire iudicent, in eo vitæ genere libenter ſit permanſura. Nam vt ſui connubij cauſa Anglia periclitetur, & ferro flammaque omnia miſceantur, id ſibi futurum

Suffolcius homines ad arma fruſtra vocat.

Proditus à ſuis.

Regina ad Londinenſes oratio.

turum

turum longè acerbiſſimum. Permanerent igitur in fide obteſtata, & in perfidia ſceleratorum hominum vlciſcenda ſibi præſto eſſent: hoc enim ad officium illorum pertinere, qui ſe tanquam legitimam patris ac fratris hæredem, communi conſenſu reginam ſalutauerint. Confirmatis ita ciuium animis, ad 500. homines (maiorem partem exteros) armat regina, & delectos ex ijs prope pontem Tamiſi fluuio impoſitum collocat, alios per idonea loca in vrbe diſtribuit. Biduo tum poſtea (3. nempe Febr.) Londinum venit Wiatus, armatorum ſecum adducens tria aut (vt nonnulli tradunt) 4000. Magnam ſpem conceperat futurum, vt in ciuitatem illico admiſſus, rem citra ſudorem & ſanguinem conficeret. Verum longe aliter euenit. Nam ad pontem accedens, reſciſſum comperit, & inſuper ab hoſtibus armatis inſeſſum, qui faceſſeret proditor alta voce clamitabant. Totum nihilominus biduum in ſuburbio Southwercano reſtitit, ſperans amicos, qui intus eſſent, aliquid pro ſe molituros. Poſtquam vero ibi loci fruſtra tempus teri intelligeret, Kingſtonam copias deduxit, oppidum ſupra Londinum ad decimum milliare ſitum, vbi ponte ſublicio Tameſis iungitur. Hunc etiam cum reſciſſum inueniſſet, paucarum horarum ſpatio, maxima vſus diligentia, refecit, & copias ſub veſperam in vlteriorem ripam traduxit. Tum omnem in celeritate ſpem collocans, nullo ad quieſcendum tempore militi conceſſo, Londinum contendit, quo ſe ante lucem ſperabat peruenturum, & Reginam inopinato aduentu imparatam oppreſſurum. Neque ſane ſpes eum fefelliſſet (quantum auguror) niſi DEVS qui conatibus rebellium & proditorum contra legitimos principes optatum raro largitur ſucceſſum, caſu quodam inexpectato, feſtinantium iter retardaſſet, vel potius dixerim, feſtinantibus mentem eripuiſſet, vt ex leui cauſa gradum ſiſterent, & moram non neceſſariam interponendo, rei bene gerendæ opportunitatem corrupiſſent. Ad ſextum ab vrbe lapidem iam peruenerant, quando ex æneis quas habebant machinis, vna, axe forte fortuna confracto, loco moueri non poterat. In ea reficienda aliquot horæ elapſæ ſunt, dum Wiatus nullo ſibi pacto perſuaderi patitur, vt omiſſa machina, profectionem maturare velit; vnde factum, vt ad horam ab amicis

1554.

Wiatus Londinum.

Digitized by Google

1554. Londinenſibus conſtitutam adeſſe non potuerit. Quod plurimi cum exploratum haberent, de omni meliori ſucceſſu deſperantes, vt ſaluti ſuæ conſulerent, à ſignis ſe ſubduxerunt, haud multum vltra dimidiam copiarum parte relicta. Inter cæteros vero Harperus, omnium Wiati arcanorum particeps, quo transfugij ſimulationem amicorum proditione compenſaret, ad Reginam recta perrexit, & quæ reſciuiſſet omnia ordine ipſi enarrauit. Quæ re tam inopinata vehementer conſternata, tumultuariam manum ſub auroram coegit, & Comiti Pembrochio tradidit. Wiatus vt in armis eſſe Pembrochium audiuit, de feſtinatione ſua multum remiſit, ne anhelos & laſſitudine confectos milites recenti hoſti obijcere cogeretur. Lento igitur paſſu procedens, ad ſuburbia paulo ante meridiem peruenit. Tum in colle quodam machinis collocatis, copiarum maximam partem ibi reliquit. Ipſe cum quinque ſignis ad portam Ludenſem contendit: Cuthbertus autem Vahanus cum duobus Weſtmonaſterium verſus duxit, domo regia quæ ad S. Iacobi eſt a læua relicta, eum credo in finem, vt à tam paucis iniecto aulicis terrore, facilior ad portam tranſitus pateret Wiato, cui per ſuburbia integrum milliare tranſeundum erat priuſquam illuc peruenire poſſet. Ad ipſum ſuburbiorum ingreſſum, obuium habuit Camerariorum principem Gagæum, ad crucem nempe Charingianam, qui ſatellitibus regijs comitatus, & alijs aliquot militibus, viam ipſi præcludere ſatagebant. Cæterum ij, ſiue vocante Regina (quæ forte à Vahano ſibi metuebat) ſiue impetum Wiatianorum non ferentes, fugam ſtatim arripuerunt, & contentiſſimo curſu regiam petierunt, quam magno deinceps terrore tumultúque compleuerunt: Pembrochius interim poſtremos Wiatinorum ordines carpſit, quibus, Duce auxilium non ferente propter feſtinationem, magna ſtrages edita eſt. Alacriter procedentes reliqui, Mariæ Reginæ omnia fauſta per vicos precabantur, à qua nimirum aiebant cuncta ſe impetraſſe quæ petierant. Hæc vbique inclamantes, ad portam tandem peruenerunt, & aperiri ſibi poſtularunt. At conuitijs præter ſpem excepti, eadem qua venerant via ad ſuos ſe recipere inſtiterunt, donec ab equitibus Pembrochianis ſe vndique circum-

Wiatiani à ſignis dilabuntur.

Pembrochiæ Comes in Wiatum ducit.

ſeptos

ſeptos intellexerunt. Tum Clarentius fœcialis ad Wiatum accedens, vt ſe victum agnoſceret hortatus eſt, néve tot fortium virorum ſanguine ſe piaret, aut extrema tentando omnem ad clementiam regiam aditum ſibi præcluderet. Milites vltimam pugnæ aleam libenter ſubituri videbantur. Sed Wiatus animum deſpondens, Mauritio Barklæo equiti aurato ſe dedidit, & eodem quo ille vehebatur equo ponè eum conſcenſo, ad reginam ſimul auectus eſt. Duce capto, cæteri amplius non repugnarunt. Pauci fugerunt: ex reliquis, ingens multitudo in carceres coniecti ſunt. Hæc 6. Febr. De pœna coniuratorum tum conſultatum, nec quicquam prius decretum quam de nece Ianæ, quæ Nouemb. 13. damnata fuerat, ſed hucuſque ſeruata, non ſine impunitatis ſpe. Iam vero poſtquam experimento patuiſſet, ex vita illius reginæ periculum creari, vt ſeditionis occaſio tolleretur, placuit eam primo quoque tempore plecti. Miſſus igitur ad eam Fecknamus Theologus qui moneret, vt ad mortem ſubeundam ſemet præpararet, & ſimul conaretur ad pontificiam doctrinam eam reducere. Mortis nuncium nihil territa adeo æquo animo excepiſſe viſa, vt inde ingentem DEI erga ſe bonitatem ſe diceret agnoſcere, cæterum vt controuerſijs religionis diſcutiendis iam vacaret, haud tantum temporis conceſſum, illud proinde quod ſupereſſet pijs precibus & ſupplicibus apud DEVM votis melius impendi poſſe. Fecknamus qui ſeriò id à Iana dictum credebat, quaſi moram vitæ longiorem expeteret, reginam adit, & triduum impetrat. Mox ad Ianam reuerſus, quid cum Regina egerit exponit, & vt ſe audiat & melius de religione ſentire velit, rogat. Tum illa, renidenti vultu, Non hæc inquit ideo à me dicta erant vt reginæ renunciarentur: nam caue putes me vllo amplius vitæ deſiderio tangi: ex quo enim abfuiſti, tantum me viuendi tædium cœpit, vt de ſempiterna vita tantum ſollicita, mortem prorſus contemnam, quam equidem (quoniam ita reginæ placet) ſponte ac libens ſum ſubitura. Multis poſtea cum illa egit Theologus prædictus, vt ad Eccleſiam Pontificiam redire vellet: quibus ita reſpondit, vt eam diſceptationem nemo hodie legat (nam poſtea vulgata eſt) quin in tantula ætate & eo præcipuè ſexu, talem animi conſtantiam,

1554.

Wiatus capitur.

Iana cum marito plectitur.

Digitized by Google

1554. ſtantiam, tantam doctrinam, ingenijque acumen magnopere admiretur. Antequam ad ſupplicium produceretur, cum Gilfordus vt ſibi cum vxore colloqui & extremum valedicere liceret impetraſſet, illa recuſauit, & hæc vt doloris pabula potius quàm mortis ſolatia miſſa faceret rogauit, breui enim fore vt arctiore nodo coniuncti, potiore loco & vitæ conditione ſe mutuo conſpecturi ſint. Poſtea tamen ad collem prope Turrim pergentem vt ibi plecteretur, è feneſtra ſpectare ſuſtinuit, & obtruncati cadauer plauſtro impoſitum vidit, quando ſacello quod intra Turrim habetur ad ſepulturam illatum eſt. Innocentis quodammodo necem inuidiâ non carituram neminem latebat. Ad eam vtcunque declinandam, in loco prædicto, procerum ſupplicijs deſtinato, illam plecti noluerunt. Sed in turris atrio pegma ædificatum vbi vna aut altera poſt maritum hora, Febr. 12. ſecuri percuſſa eſt. Cum exiret carcere, à Turris præfecto rogata vt ſibi monumentum ſui aliquod relinqueret, illa pugillares popoſcit, in ijſque tres ſententias breues Græcè & Latinè (nam vtranque linguam apprimè callebat) ac denique vernaculè conceptas deſcripſit quibus innocentiam ſuam conteſtabatur, & quamuis culpam morte dignam non diffiteretur, tamen ignorantiam ſuam apud homines ſaluis legibus errorem cum excuſare debuiſſe contendebat. Demum cum turbam obuiam nihil turbato vultu ſalutaſſet, & ſe pijs eorum precibus commendaſſet, ad locum ſupplicio deſtinatum venit, Theologum manu trahens, quem comiter complexa, DEVS tibi, inquit, abunde tribuat pro humanitate qua me proſequutus es, quamuis ex eâ plus faſtidij quàm ex proxima morte terroris hactenus ſenſerim. Tum ad aſtantes conuerſa, cum modeſta oratione facti ſeriem expoſuiſſet, Ream me (inquit) non quod Regnum affectauerim, ſed quod oblatum non repudiauerim facit, exemplum memorabile poſteris præbituram, innocentiam, facta grauia (quæ in publicam perniciem vergunt) non excuſare, abundè quippe ſceleris videri illum admiſiſſe, quiſquis alienæ ambitioni & libidini vel inuitus ſeruierit. His dictis, implorata DEI miſericordia, puellis pediſſequis adiuuantibus, togam exuit, capiti & collo mundum detraxit muliebrem, & cùm ſudario oculos

oculos velaſſet, ceruicem feriendam præbuit carnifici, quem tunctantem vt maturaret hortata eſt, & lege in ipſam ageret, id quod ille tandem fecit, non ſine circumſtantium lachrymis, etiam eorum, qui Mariæ cauſam ab initio amplexi fuerant. Hunc exitum habuit Iana, maiorum titulis illuſtris fœmina, ſed virtute & ingenij nobilitate longe illuſtrior, quæ dum Vitrici & imperioſæ matris ambitioni obſequitur (Thuanum audis cuius verba nonnunquam libenter vſurpo) funeſtum ſibi reginæ nomen ſumpſit, & ad ſupplicium à regno ſtatim rapta, alienæ culpæ pœnas luit, tot aduerſæ fortunæ ictibus conſtantiâ & innocentiâ ſuperatis. Clariſſimæ fœminæ necem huiuſmodi Wiatianorum pœna multo iuſtior poſt biduum ſequuta eſt. In 20. patibulis per diuerſas ciuitatis regiones ad terrorem aliorum erectis, ſeditioſorum 50. Febr. 14. & 15. ſuſpendio ſtrangulati ſunt. Et eiuſdem menſis 18. Alexander Brettus, qui Londinenſibus author fuerat à Norfolcio ad Wiatum deſciſcendi, in Cantiam amandatus eſt cum multis alijs, (inter quos ex nobilitate non pauci) vt ibi vltimo ſupplicio afficerentur Febr. 20. 400. ex illis qui Wiato militaverant, in collo reſtem ſinguli geſtantes, coram Reginâ producti ſunt, quæ ſupplicibus & humi proſtratis delictorum gratiam fecit, cunctoſque liberari iuſſit. Viceſimotertio Febr. Henr. Graius Suffolciæ Dux, Ianæ pater, (cui Regina ſemel antea ignouerat) capite plectitur, prout bene meritus fuerat, cum 17. eiuſdem menſis damnatus extitiſſet. April. 11. capitis pœnam luit Wiatus, qui impunitate propoſitâ, à quibuſdam maleuolis ſubornatus (vt creditur) cum coniurationis conſcios edere iuberetur, inter eos Cortinæum nominauerat, quaſi repulſam à Maria paſſus Elizabethæ ducendæ, & expulſa ſorore regni inuadendi conſilium inijſſet. Quæ delatio in cauſâ fuit, vt iſta Martij 18. ille vero Febr. 12. in Turrim conjecti fuerint. Sed fama eſt, ad ſupplicium pergentem, colloquium Cortinæi petijſſe, & coram præſente in genua procumbentem iniuriæ veniam petijſſe, quòd viuendi cupiditate ductus tanti criminis ſuſpicionem illi impegiſſet. Id vicecomites ciuitatis multique alij tunc præſentes poſtea teſtati ſunt. Wintonienſis tamen Cancellarius (qui metu religionis per Elizabetham mutandæ ſi ali-

1554.

Suffolciæ Dux ſecuri percutitur.

Wiatus etiam.

1554. quid humanitus Reginæ contigiſſet, nullum non mouiſſe lapidem credebatur vt anſam reperiret è medio illam tollendi) in Cameræ ſtellatæ Curia populo præſente evulgavit, ac teſtem eius rei citauit Chandoſium Baronem, Wiatum ad mortem proficiſcentem, enixè hortatum Cortineum vt crimen confiteri vellet, ac ſe totum clementiæ regiæ committere. Quod nullam omnino habet veriſimilitudinem. Hoc enim certum eſt omnibuſque notiſſimum, Wiatum poſtquam pegma ferale conſcendiſſet, & nulla ſpe vitæ reliqua ad mortem ſe compoſuiſſet, omnibus religioſa aſſeueratione elata voce & clarè denuntiaſſe, neque Elizabetham, nec Cortineum coniurationis ſuæ affines extitiſſe. Aprilis

& Tho. Graius. 27. Tho. Graius ſecuri percuſſus eſt, quod Duci Suffolcienſi fratri ſuo in ſeditionem non valde propenſo author fuiſſet tumultui Wiatiano ſe immiſcendi. Maij 16. Elizabetha Reginæ ſoror, & Maij 25. Cortineus Exoninenſis Marchio ex turri Londinenſi ad alias cuſtodias, ſed nihilominus arctas

Diſputatio Oxonij. educuntur: Elizabetha videlicet Wodſtochium, & Cortineus Foderingaiam. Sub idem tempus venerabilis ille Cranmerus Cantuarienſis adhuc Archiepiſcopus, Nic. Ridlæus Londinenſi ſede nuper exturbatus, & Hugo Latimerus, quem Wigornienſi Epiſcopatui iam olim renunciaſſe memorauimus, ex Turri prædicta Windeſoram, & inde Oxonium abducti ſunt, vt cum Theologis tam Cantabrigienſibus quam Oxonienſibus de ſacra ſynaxi ſolenni diſputatione confligerent. Iniquiſſima plane conditione certatum eſt: Nam ſolo biduo ad ſe præparandum conceſſo, ergaſtulis interim conclusi ſunt, nemine ad colloquium admiſſo, quem interrogarent aut conſulerent, à chartis & libris ſegregati, alienis tantummodo commodatis. Magnis clamoribus & tumultuoſiſſime res geſta eſt, plurimis vnum ſimul impetentibus, ſine ordine, ſine modo, ſine modeſtia. April. 14. ex carcere ad templum beatæ Mariæ producti, Pontificiorum ſententiæ ſubſcribere iubentur, & recuſantibus dies edicitur diſputandi: Cranmero quidem 16. Ridlæo 17. Latimero 18. eiuſdem menſis, quando ſolos oportuit omnium argumentis & rationibus reſpondere. Quanquam clamoribus obtundebantur, & varietate interrogantium diſtrahebantur, quanquam

ſannis

Digitized by Google

ſannis & conuitijs exagitati, ac multitudine obruti, ita tamen reſponderunt, vt aduerſarijs magnam ſui admirationem reliquerint, doctiſſimè nempe Cranmerus,& pro loci in quo tot annos floruerat dignitate, grauiſſimè: Ridlæus acutiſſimè promptiſſiméque: cum lepore quodam ſalſo Latimerus, & neruoſius, quàm expectares in ſene qui ad octogenariam ætatem proximè accederet. Hac diſceptatione finita,20. ſtatim eiuſdem Aprilis iterum ad D.Mariæ producti, & an perſtare vellent in ſententia interrogati, cum perſtituros ſeſe reſpondiſſent, hæretici adiudicati ſunt, & ad rogum damnati.Mortis ſententiam magna animi conſtantia omnes exceperunt. Latimerus exultationi propior, quòd ætatem longæuam mox aliter finiendam, tam fœlici clauſula DEVS voluerit terminari. De illis quid deinceps factum, in ſequentis anni narratione DEO volente exponemus. Interim dum hæc geruntur, regni ordines ad Parliamentum conuocantur Aprilis 2. inchoandum, vbi duo propoſuit Regina, de ſuo matrimonio, & reſtituendo Pontifici primatu: quorum hoc, reclamante nobilitate pro tempore impetrare non potuit, illud certis legibus obtinuit, nimirum, vt Hiſpaniarum Princeps nullum ad munus publicum aut dignitatem in Regno admittere poſſit, niſi qui in Anglia natus ſit,& Reginæ ſubditus: in familia ſua certo numero Anglos habeat, quos honorificè tractet, nec ab externis vlla iniuria affici patiatur: non poſſit Reginam ex Anglia,niſi ipſa roget ſecum abducere,nec filios quos ex ea ſuſceperit, qui in Anglia adoleſcent & educabuntur in ſpem ſucceſſionis, nec inde exire permittentur, niſi neceſſitas aut legitima cauſa inciderit, idque ex Anglorum conſenſu: Regina ſine liberis decedente, princeps nullum habeat in regno ius, ſed liberum regnum ei, cui iure competet relinquere teneatur: nihil in ijs quæ ad iura ſiue publica ſiue priuata, immunitates atque conſuetudines regni ſpectant, innouet: antiqua Regni iura confirmare & ſeruare teneatur, nihil gemmarum vel pretioſæ ſupellectilis ex Anglia permittat auehi, nihil ex regio patrimonio alienet: naues, machinas,& omnem apparatum bellicum conſeruet, arces & munita loca diligenter cuſtodiri curet: poſtremo, huius connubij ratione nihil fœderi inter Regem & Reginam nuper

1554.

Cranmerus, Ridlæus,& Latimerus damnati.

Pactionib. dotalibus authoritate parliamenti alia adhuc adijciuntur.

1554. inito derogetur, paxque inuiolata inter Gallos & Anglos maneat: principi tamen liberum ſit ex alijs regnis & ditionibus Cæſari patri ſuppetias mittere, ſiue ad iniuriam propulſandam, ſiue ad vltionem de acceptâ ſumendam. Cum nihil amplius impedimenti ſubeſſet quo minus nuptiæ celebrarentur, Philippus idoneam tempeſtatem nactus (cum Iulij 16. Iuliobriga Calecorum portu ſoluiſſet) afflante auſtro, triduo poſt Suthantonam cum Hiſpanica claſſe appulit. Ea erat 80. onerariarum nauium, & 40. minorum, quarum vtrinque latera 20. Anglicæ & totidem Belgicæ naues tegebant. Suthantonæ cum tridui ſpatio quieviſſet, ingenti nobilium tàm Hiſpanorum quàm Anglorum cateruâ comitatus, Iulij 24. tempore admodum pluvioſo Wintoniam venit ad Reginam. Dies B. Iacobo (quem Hiſpaniæ patronum credunt) ſacer nuptijs deſtinatus fuit, quæ Wintoniæ magna pompa celebratæ ſunt. Tum Io. Figueroa Cæſaris nomine regno Neapolitano ceſſit, & ius omne quod ipſi in eo competebat, in Philippum filium tranſtulit. Mox proclamationes titulorum vtriuſque publicè factæ, Latina, Gallica & Anglicana lingua. Sub initium Auguſti Baſingam vnà Reges profecti ſunt, atque inde Windeſoram, vbi eiuſdem menſis quinto in ordinem Georgianorum equitum Rex cooptatus eſt. Auguſti vndecimo Londinum honorifico ac ſplendido apparatu ingreſſi, à ciuibus ita ſunt excepti, vt nullum ſumptus aut magnificentiæ genus omiſiſſe videantur, quo lætitiam ſuam ob tantorum hoſpitum aduentum teſtatam redderent. Nouemb. 11. ordines iterum in Parliamento conueniunt. Primis huius conſeſſus diebus, in Angliam veniſſe nuntiatur Polus Cardinalis, quem hoſtem ab Henrico Rege declaratũ, Cardinalem à Paulo III. Pontifice creatum, & Papam eligendum ſi ipſe maturè conſenſiſſet, multorum etiam opinione ad Regias nuptias deſtinatum, iam antea perſcripſimus. Poſtquam ille Pontificatu alieno potiùs quam ſuo vitio excidiſſet, à nouo Papa Iulio impetrato commeatu, ad cœnobium quoddam ſeceſſit agri Veronenſis, quod Maguzanum dicitur, & à Benedictinis Monachis incolitur, cuius ordinis ille dum Romæ fuit Patronus extitit. Ibi cum ſemet abdere, & reliquam vitam transfigere ſtatuiſſet, fama quæ increbuerat

Phil. Hiſp. Pr. in Angliam.

Nuptiæ.

Cardinalis Polus in Angliam.

Digitized by Google

crebuerat de morte Edw. Regis & ſucceſſione Mariæ, intra claustri parietes delitescentem excitauit, & Romam iterum pertraxit. Cum non lateret hominem, Maria Regina quàm eſſet ſtudioſa Pontificiæ doctrinæ, ſperabat (nec ſine cauſa) honorificam legationem in patriam ſibi delatam iri à Pontifice, qui multùm eum dilexit, poſtquàm cunctatione eius Papatum ipſe adeptus fuiſſet. Tumque duplicem ſibi ſpem propoſuit, regni videlicet ſi, non ſecularis, at eccleſiaſtici tamen, ſub legati titulo & Archiepiſcopi Cantuarienſis poteſtate conſequendi. Educationem aliquot per annos Maria ſortita erat (Polo adhuc puero) ſub Margareta Poli matre (de quâ antea) ita volente Catharinâ reginâ, cui erat in animo (vt ferebatur) Mariam filiam alicui ex liberis dictæ Margaretæ ſi poſſet elocare, vt quoniam Edw. IIII. ex Georgio fratre neptis ea extitiſſet, regni Angliæ ius illi connubio huiuſmodi firmaret, ſi forte ſine prole maſculâ Henricus decederet. Siue hanc, ſiue aliam ob cauſam, cum ſe Mariæ percharum Polus cognoſceret: ſi non regnum ex coniugio eius, at ex gratiâ quâ apud eam pollebat, ampliſſima quæque ſub illa conſequuturum ſpem pluſquam certam concepit. Neque vero opinione vſquam falſus eſt: Nam & Maria ſtatim vt regnum adepta eſt, inuitauit eum ad ſeſe, interim nihil non pollicita, & Papa haud ignarus rerum ſuarum fideliſſimum procuratorem eum in Anglia futurum, ad petitionem Reginæ amandauit extemplò cum ſumma poteſtate. Verum Cæſar qui quid meditaretur Cardinalis iam dudum videtur ſubodoratus, & Mariæ nuptias filio ſuo Philippo conciliare omnimodo decreverat, cum Dandino Cardinale, Pontificis ad ſe legato, de pace inter Gallum & ipſum tranſigendâ diligenter egit, vt iter Poli aliquantiſper retardaret, ne adventus eius in Angliam, rebus nondum confectis, rationes ſuas conturbaret. Quapropter Dandinus, vt Cæſari gratificaret, per Franc. quendam Commendonum literas ad Polum dedit, quibus, ne adhuc in viam ſe daret admonebat: quippe Cæſari eam legationem diſplicere quæ ſe inconſulto ſuſcepta ſit, tum Anglos pleróſque, ac Londinenſes maximè ipſum nomen Ro. Pontificis ſuáſque legationes auerſari dicebat, proinde non eſſe eos legatinâ poteſtate adeundos

1554.

Detentus à Cæſare.

adeundos

Digitized by Google

1554. adeundos, donec ſuaſionibus ad eum æquo animo perſerendum adducerentur. Has literas Polus cum in Maguzano cœnobio accepiſſet, vltrà ſibi progrediendum non exiſtimauit, antequam de Pontificis voluntate ampliùs cognouiſſet. Ille autem cum Cæſaris potentiam adeo in immenſum augeri nollet, tot prouinciarum acceſſione, ſtomachatus quod Dandinus itineri Cardinalis impedimentum obiecíſſet, hominem reuocauit, & vtranque tam in Angliam, quam ad Cæſarem atque Gallum, de pace componenda legationem vni Polo detulit. Qui munere libenter ſuſcepto, in viam protinus ſe dedit. Tridentum cùm perveniſſet, tam ad Cæſarem quàm Gallum nuncios præmiſit qui de legatione ſuâ vtrunque ſaceret certiorem. Cæſar autem cùm artibus huiuſmodi ampliùs diſtineri non poſſe videret, ad vim conuerſus, illuſtrem virum Io. Mendozam cum literis ad eum miſit, in quibus non diſſimulavit, vereri ſeſe ne profectio eius negotijs quibuſdam magni momenti quæ nunc tractarentur obſutura eſſet, placere itaque vt vel ſe ſiſtat neque vltra progrediatur, donec ex animi ſententia omnia confeciſſet, vel ſaltem Leodij quieſcat, ſi eo vſque proficiſci velit. His literis acceptis, Dillingam (quod non procul à Tridento abeſt) reuerſus, Pontificem de re tota certiorem facit, & ad Cæſarem literas expoſtulatorias dat, in quibus quam ſit indignum facinus oſtendit, Pontificis legatum pacis & religionis cauſâ miſſum, in media Germania ſub ipſis hæreticorum oculis & conſpectu, cum ſummo dedecore & Pontificis contemptu, Cæſaris præſertim iuſſu detineri. Dillingæ tunc erat Dom. à Soto, magnus ille Theologus, qui Cæſari fuerat à ſacris concionibus. Per hunc, Cæſarem vrget, ne patiatur diutius legationem impediri, magno Chriſtianæ rei atque in primis Anglici regni detrimento. Vix tandem & ægrè impetratum eſt, idque poſtquam de pactis nuptialibus conuentum Cæſar intellexit, vt Bruxellas ad ipſum venire liceret, conditione adſcriptâ, ibi tantiſper vt maneret, donec nuptiæ inter Philippum ac Mariam celebratæ fuiſſent. Poſtquam igitur Bruxellas perueniſſet, & Cæſarem (à quo perhumaniter acceptus eſt) ſalutaſſet, ne illic otioſus deſidere cogeretur, alteram legationis partem aggreditur, ſi qua forte iniri ratio poſſet, pacis inter Cæſarem Gallúmque conciliandæ.

ciliandæ. Ac Cæſarem primum ea de re tentavit, qui ut non iniqua reſpondere viſus, ad Gallium ſe contulit, pacis ſimiliter ſtudium præ ſe ferentem, in ea tamen conficienda, propter animos inveterato odio exulceratos,nihil agi potuit. Spem vero Gallus concordiæ nonnullam faciens,abeuntem arctiùs complexus eſt.Plurimū ſe dolere dicens,quod non rectiùs cum antehac noviſſet. Nam ſe nullū alium quam ipſū creari maluiſſe Pontificeē,ſi de ſummis illius virtutibus magis ex fide fuiſſet edoctus. Paulo poſtquam Bruxellas rediјt,venêre à Philippo & Maria ad Cæſarem legati Pagetus & Haſtingus Barones, qui viſendi Polum ſtudio & deſiderio ingenti vtrunque flagrare oſtendederent, & ut primo quoque tempore cum bona eius gratia dimitteretur orabant, quo res eccleſiaſticas longo ſchiſmate in patria labefactatas & turbatas authoritate Pontificia conſtitueret. Menſe igitur Septembri commeatu impetrato, traijcere tamen non potuit, propter adverſam tempeſtatem ad Novemb. uſque, quando ventos nactus propitios, navem tandem conſcendit, & Doveriam appulit. Perhonorificè à regibus cunctiſque proceribus, ſeu verè ſive ex metu ſimulatè gaudentibus, exceptus eſt. Et quia ſanctione parlamentaria hoſtis iudicatus anno 1539. mortis pœnam iuxta leges ſubire oportebat, ſanctio huiuſmodi ab ordinibus tunc congregatis antiquata eſt, adeóque ipſe omnibus nobilitatis iuribus reſtitutus. Cumque leges apud nos latæ viribus caſſæ authoritate careant donec à Principe comprobentur ; Regum uterque præter morem (nam tantum ſemel, cum coguntur & deinde cum demittuntur ad comitia venire ſolent) ipſi præſentes actionem eam ratam habuerunt antequam ille Londinum perveniſſet. Paulo poſt adventum eius,in regia habitus eſt conventus coram regibus, ubi cum Wintonienſis Cancellarius,de grato Poli adventu quædam ad proceres & univerſos ordines præmiſiſſet, ille(Cardinalis inquam) patria lingua orationem ſatis longam habuit, in qua Regi ac Reginæ, proceribus atque populo gratias ſummas agebat, quod eorum tanto beneficio omnibus exilij & proſcriptionis legibus abrogatis,in patriam reſtitutus eſſet : ſui proinde officij atque gratitudinis eſſe dicebat, hoc meritum ita compenſare, ut cum illi à ſede Apoſtolica ſuperiori ſchiſmate defeciſſent, eoque modo ab unitate eccleſiæ atque regno DEI exulaſſent

1554.

Lex abrogata quâ Polus eſt proſcriptus.

Oratio Poli coram ordinibus in Parliamento.

Digitized by Google

1554. exulaſſent, eos, authoritate ſibi à Papa (CHRISTI ſcilicet vicario) data, ad ſedem Romanam tanquam hæreditatem cœleſtem reducere. Quapropter hortatus eſt, ut ſuperiorum temporum errorem ingenuè agnoſcant, & ex animo deteſtentur, & quod ijs beneficium DEVS per Vicarij ſui legatum deferat, id ſincera animorum alacritate accipiant, ac ſedulò retineant. Hoc enim reliquum iam eſſe, ut cum ipſe adſit claves adferens, quibus eccleſiæ valvas illis aperiat, quemadmodum aditum ſibi in patriam feciſſent legibus quæ illum excludebant antiquatis, ita ipſi leges omnes abrogandas curent, quæ contra ſedem Apoſtolicam nuper latæ ipſos à reliquo eccleſiæ corpore omnino divulſos teneant. In hanc ſententiam cum pluribus diſſeruiſſet, & ex ultima antiquitate repetitis exemplis quam religioſe ſedem Romanam maiores noſtri coluiſſent demonſtraſſet, oris gravitate, verborum concinnitate, & eleganti ordinis ſpecie adeo permovit animos multorum qui Pontificis ritibus dediti eſſent, ut eo demum die ad ſalutem ſe renatos profiterentur. Non deerant tamen ex plebeis in illo Parliamenti conventu, qui iugum Papale fœliciter excuſſum, nullo modo recipiendum contenderent. Sed urgente Rege ac Regina, omnia tandem ex ſententia Poli confecta ſunt. Pontifici Rom. quicquid authoritatis in hoc regno olim uſurpaſſet reſtitutum, regibus ſupremi in eccleſia capitis titulus abrogatus, & ut populus Clerúſque Anglicanus à ſchiſmatis ac hæreſeos crimine abſoluatur, libello ſupplici ad legatum per Wintonienſem Cancellarium porrecto, petitum eſt. Qui omnibus deinde ordinibus in genua procumbentibus, univerſos conceptis verbis Anglicè loquutus abſolvit. Id poſtquam factum, ad ſacellum Regiæ perrectum eſt, ubi BB. Auguſtini & Ambroſij hymnus decantatus eſt, & Sabbatho ſequenti eius diei geſta à Wintonienſi prædicto pro concione ad crucem Paulinam habita recenſentur. Tum legatio decernitur ad Pontificem perhonorifica, quam nempe Regina ſe miſſuram receperat, quo tempore primum regnum adepta eſt. Cum enim in animo haberet Papiſmum revocare, clam ad Polum mandata dederat, & quid ſuæ voluntatis ac conſilij eſſet eum certiorem fecerat. Placuit itaque Pontifici, Io. Fr. Commendonum cubicularium ſuum (poſtea Cardinalem) in Angliam mitti, ut de rerum

Regnum Papali interdicto abſoluitur.

ſtatu

Digitized by Google

ſtatu cognoſceret. Is cum Regina aliquoties ſecreto collocutus, ſyngrapham ab ipſa accepit, qua ſedi Romanæ obſequium pollicebatur, atque ut regnum ſacris reſtitueretur petebat: quod ut obtineret, ſolennem legationem ſe adornaturam ſpopondit, quamprimum in regno res pacatæ eſſent. Iam itaque ſub finem anni huius, ad Pont. amandantur Epiſcopus Elienſis, Brownus (paulo poſtea Montiſ-acuti Vicecomes) Edwardus Carnus Iuriſconſultus, qui Reginæ & Philippi eius mariti nomine obedientiam ſedi Romanæ & Pontifici præſtarent. Verum id fruſtra fuit. Nam antequam Romam ij pervenerunt, Pont. iam diem ſuum obierat. De quo poſtea. Regina interim nondum ſoluto conventu, cum omnia ſua pro præclaris accipi videret, de imponendo Philippo diademate, ſi non imperiali quo Reges inaugurantur, at matrimoniali ſaltem quo Reginæ noſtræ coronari ſolent, procerum animos cœpit pertentare. Quod cum averſari eos penitùs perſpexiſſet, eius rei mentionem poſtea omiſit. De bonis eccleſiæ reſtituendis tunc actum eſt ab eadem. Sed quia pleráque eorum à proceribus & primaria nobilitate iam à multis annis occupata erant, nihil impetrari potuit: tantum decretum, ut primitiæ & decimæ eccleſiaſticarum promotionum Regi anno 1534. conceſſæ Clero remitterentur. Quod etiam ſtatim revocatum eſt, ærarij tenuitatem eam eſſe cauſantibus conſiliarijs, & tantam vim pecuniæ quotannis ſolvendam Monachis per Henr. VIII. è cœnobijs ubi degebant eiectis, ut hoc vectigalis genere nullo modo adhuc Regina carere potuerit. Circa hoc ipſum tempus abſurdi quiddam (ne dicam ridiculi) contigit per errorem Reginæ domeſticorum aſſentationibus auctum. Ex morbo quem medici molam nuncupant, aut alio conſimili, uterus ipſi intumuerat: & cum alia nonnulla ſigna indicare viderentur gravidam eam è marito factam concepiſſe, illa mulierccularum ut videretur uſa conſilio, nec adhibitis medicis, firmiter adeo credidit ſe parturire, ut embryonis in corpore motum ſe perſentiſcere palàm profiteretur. Nam eo malo affectis, carnea illa & informis maſſa quæ molæ nomen obtinet, moveri nonnunquam videtur, ſed tardo quodam motu univerſo utero lentè concuſſo. Verum alijs porro ſymptomatis accedentibus, ſi medicinæ peritos conſuluiſſet, non fuiſſet difficile morbum

1554.

Regina gravida exiſtimatur.

Ff dignoſcere,

1554. dignoſcere, qui magna ex parte inſanabilis eſt, niſi ab initio remedia adhibeantur: ideoque tempore procedente refrigerato iecore, in hydropem lethalem neglectus tranſijt, id quod fieri ſolere, Fuchſius alijque docuerunt. Interea vero, Reginæ errorem foventibus adulatoribus, præterea quod ipſi exitium aliquot poſt annos aſſentatione ſua pepererunt, innumeris malevolorum ſannis & ludibrijs eam expoſuerunt. Novemb. 27. literas ad Londinenſem Epiſcopum dedêre Conſiliarij, in quibus imperatum, ut poſtquam tam clementer DEVS cum hoc regno egiſſet, ut Reginæ certam ſpem ſobolis fecerit ex ea naſcituræ, vitam embryoni infundendo, gratias agi curaret per omnes regni eccleſias, DEO tanti beneficij largitori, decantato ubique BB. Aug. & Ambroſij hymno: deinde ut omnes ubique ſacerdotes ſacrum peracturos, precibus à DEO contendere iuberet, id quod magno eccleſiæ Anglicanæ bono futurum cœpiſſet, ad umbilicum perducere dignaretur. Hunc in finem preces aliquot conſcriptæ ſunt, & illarum exemplaria per univerſum regnum diſtribuenda typis excuſa. Tum lata in Parliamento lege, de prolis huiuſce educatione multa ordinata ſunt. In apparatu etiam cunarum & rerum ad puerperium pertinentium, multum operæ aulici luſerunt, donec menſe tandem Iunio ſequentis anni patefacto errore, ex inſomnio hoc tam diuturno ſerò ſatis evigilatum eſt. Hoc anno multi nobiles in Baronum album aſcripti ſunt, Gul. Havartus Effingamius Martij 11. Carolum is genuit Angliæ Admirallium & modo Comitem Nottingamiæ. Iohannes deinde Gulielmus Tamenſis April. 5. de quo antea. Edw. North. Cartelegius April. 7. Iohannes Brigeſius Chandoſius Aprilis 8. Giraldus etiam Fitz-Giraldus Comes fit Kildarenſis in Hibernia Maij 14. & Antonius Brounus Septemb. 2. Vicecomes declaratur Montiſacuti. Quo etiam tempore (menſe nimirum Septembr.) diem ſuum obijt Tho. Norfolciæ Dux, cuius in præcedentibus plurma mentio.

Barones creati.

ANNO

Digitized by Google

ANNO DOMINI 1555. REG. MARIÆ 2. & 3. PHILIPPI 1. & 2.

IANVARII 18. Wintonienſis Cancellarius, adiunctis ſibi 6. alijs è numero illorum qui Principi erant à ſecretis, ad Turrim Londinenſem accedentes, nobiles captivos plurimos ſoluerunt, nimirum præter Archiepiſcopum Eboracenſem, hos equites auratos, Io. Rogerium, Iac. Croftum, Nic. Throgmortonum, Nic. Arnoldum, Edw. Warnerum, Geo. Harperum, Gul. Sentiloum, Gawinum Caroum & Andream Dudlæum Northumbrij Ducis fratrem, deind Gul. etiam Gibſium, Cuthbertum Vahanum, Harintonum, Tremaynum alióſque. Archiepiſcopus, quod uxorem duxiſſet, præſulatu multatus eſt, & in eius locum ſubrogatus Nic. Hethus Wigornienſis olim Epiſcopus, ſed amotus inde ſub Edw. Rege, & nuper reductus per Mariam, eiecto & ignibus damnato Io. Houpero, cui ſedes illa per Edw. Regem attributa fuerat. Rogerius & Croftus Elizabethæ Reginæ poſtea fuerunt ab arcanis conſilijs, & magna in authoritate ſub ea multos annos floruerunt. Throgmortonus, homo ſagaciſſimus, Wiatianæ coniurationis architectus putabatur: illius igitur caput præcipuè petitum. Sed reus factus, & 10. integris horis in cauſæ cognitione conſumptis, ingenioſis reſponſionibus ita accuſationem eluſit adverſariorum, ut abſolutus fuerit à duodecim viris qui poſtea eam ob cauſam graviter mulctati ſunt. Sub initium Aprilis Cortineus Exonienſis Marchio, ac paulo deinde poſtea Elizabetha Reginæ ſoror, è cuſtodia ad regiam accerſiti pervenerunt. Cortineus cito deinde dimiſſus eſt. De Elizabetha conſultatum diù quid optimum factu, neque dubitatum à Pontificijs de illa primo quoque tempore è medio tollenda, ſi anſam eius rei vel minimam nacti fuiſſent. Wintonienſem ferunt dicere ſolitum quoties de plectendis hæreticis ſermo obortus eſſet, Folia decutimus aut ramuſculos ſubinde nos amputamus, Radix illa & ſpes hæreticorum (Elizabetham denotans) excidenda eſt, aut nihil agimus. Poſtquam vero diuturna indagine nulla probabilis accuſationis materia reperiri potuit, quanquam non deeſſent qui Reginæ dicerent creari periculum ex illius libertate,

Captivi ſolvuntur.

Eliz. pr. & Cortineus dimiſſi.

Digitized by Google

1555. clementiæ laudem captante Philippo, eius cum Regina interceſſione, ſub finem Apr. è cuſtodia dimiſſa eſt, ſed ita vt Tho. Popum, vnum è conſiliarijs regijs, Gageum quendam, & alios certos homines, in familia ſecum habere teneretur, qui actiones eius & conatus, tanquam ſpeculatores quotidiè obſeruarent. Hæc clementiæ quaſi ſcintilla, ingenti crudelitatis flamma ſub hoc anni curriculo compenſata eſt, hominum piorum magno numero ob ſolam religionis defenſionem ignibus tradito. Febr. 4. Londini combuſtus eſt Io. Rogerius iſtorum temporum protomartyr. Is Tindalli ſocius qui ſacra Biblia in idioma Anglicum primus conuertit, illo ſublato, in patriam reuerti noluit, perſecutionem metuens, ſed Wittebergam cum nuper ducta vxore profectus eſt: vbi cum Germanicæ linguæ cognitionem mediocrem aſſequutus fuiſſet, Eccleſiæ cuiuſdam curam accepit, quam fideliter adminiſtravit, donec regnante Edwardo, ab exilio revocatus, à Ridlæo Londinenſi Epiſcopo præbenda donatus in eccleſia Paulina, & ordinarius concionator ſeu Theologiæ prælector ibidem conſtitutus eſt. Rerum potita Maria, videntur Pontificij hoc egiſſe, vt homo acris ac vehemens, minis territus, in exilium ſponte profugeret, ideoque ne domo ſua pedem efferret interminati, integrum fere annum eum ſic ibi reliquerunt, donec tandem fugæ occaſionem oblatam accipere recuſantem, in carcerem coniecerunt, & ignibus demum cremandum ad mortem damnauerunt, quam (vxorem & 10. liberos relicturus,) intrepide conſtanterq; ſubijt. Eodem necis genere ſublatus interijt Februarij 9. Ioannes Howperus, Glouceſtrenſis primum, ac deinde Wigornienſis ſimul Epiſcopus ab Edw. Rege conſtitutus, poſtquam in amouendo ab Epiſcopatu Londinenſi Bonero multum elaboraſſet, id quod nunc (vt credo) ipſi vertit in perniciem. Statim enim vt regnum adepta eſt Maria, Londinum accerſitus, in Turrim coniectus, & hæreticus tandem adiudicatus eſt. Sub Henrico Rege multum temporis in Germania conſumpſit: vbi Burgundam quandam duxit vxorem, & inter multos alios doctos piósque viros, familiaritate præcipuè vſus eſt Hen. Bullingeri, cui ob eruditionem non contemnendam, morúmque eam ſanctitatem quam ſuauitatem percharus fuit. Ad mortem damnatum placuit Glouceſtriam

Io. Rogerius comburitur.

Et Howperus.

ablegari,

ablegari, vt ibi plecteretur vbi plurimum peccaſſe viſus, errorum ſemina iaciendo: Ipſo non parum lætante, occaſionem datam veritatem doctrinæ, ſanguinis effuſi teſtimonio confirmandi, ſub oculis illorum, quorum auribus, ſe præcone, toties ea inſonuerat. Similiter plane cum Roberto Ferrario actum, Meneuenſi Epiſcopo, qui Londino in diœceſim ſuam deductus eſt, vt à nouo Epiſcopo ibidem (Morgano) de ipſo cognoſceretur, à quo damnatus, in foro oppidi Carmarthenæ Martij 3. combuſtus eſt, homo rigidus, & moribus aliquanto incomptior, quod multum illi moleſtiæ peperit Edwardo adhuc regnante, & nunc (vt auguror) exitio fuit. Nam cum à Duce Somerſetenſi ad illud dignitatis prouectus eſſet, eo ſublato (vir bonus & doctus, aſperitate tamen morum arrogantiæ propior, cuius ea gens maxime inſolens) accuſatores in ſe concitauit: horum duo poſtea Epiſcopi ſub Elizabetha regina euaſerunt, qui, à factione Somerſetenſi extincto aduerſa, facile obtinuerunt, vt in carcerem Ferrarius conijceretur. In cuſtodia igitur repertus quando regnum inijt Maria, & coram Wintonienſi productus, commodè reſpondendo & tempori ſapienter cedendo, cruentas manus (vt credo) honeſtè poterat effugere, ſicut multi fecerunt ex ijs qui Ianæ rebus ſe non immiſcuerant, neque alias Pontificios inſigniter læſerant, & vel nemine manus inijciente in exilium abierunt, vel capti, amicorum interceſſione haud difficulter dimiſſi ſunt. Sed ille pro innata aſperitate liberè ſatis ad interrogata reſpondens, ne dicam proteruè, Wintonienſem adeo irritauit, vt non mirer ſi durius cum illo actum fuerit. Præter hos, Rol. Taylerus S. Theol. Doctor Hadleyæ Febr. 9. Laur. Sanderus concionator egregius Couentriæ Febr. 8. Io. Cardmakerus eccleſiæ Wellenſis Cancellarius Londini Maij 31. & Londini etiam Io. Bardfordus vir ſanctiſſimus doctiſſimuſque, Iulij primo ignis cruciatum pro veritatis defenſione ſimiliter pertulerunt. Verum ne ſingulos enumerem, vtriuſque ſexus numerus ingens ob eam qua DEVM colebant fidem hoc anno in Anglia cremati ſunt, quorum maximam partem Boneri carnificina Londini conſumpſit. Inter alios, Ridlæus & Latimerus ſilentio nullo modo prætermittendi ſunt, qui anno ſuperiore damnati, nunc tandem Octobr. 16. producti,

1555.

Ferrarius etiam.

Et multi alij.

Ridlæus & Latimerus.

1555. Producti, & Oxoniæ ſub Academicorum oculis ad palum deligati, combuſti ſunt, in ima foſſa quæ mœnia ciuitatis ambit, è regione collegij Bailiolenſis. Cranmerum ferunt ex ſummâ ædium parte vbi incarceratus eſt, funeſtum illud ac lugubre ſpectaculum intuitum eſſe, & ſublatis ad cœlum manibus genibuſque flexis, his ſocijs ſuis ſpei fideique conſtantiam in tam horrendi ſupplicij tormentis precatum, quemadmodum & ſibi ipſi, quem non latebat eandem cum illis ſortem breui ſubeundam eſſe. Supplicium quod nunc ad tempus dilatum ſit, Gardineri Wintonienſis molitione factum dicunt, non miſericordia ducti, ſed ambitione & commodi ſui ratione. Martij 24 mortem obierat Iulius III. Papa, & in Pontificatu ſucceſſerat Caraffa Cardinalis Theatinus, iam Paulus IIII. nuncupatus, de cuius cum Polo contentione, in præcedentibus pluribus diſſeruimus. Contentionis huiuſmodi & ſimultatis Wintonienſis non ignarus, clandeſtinis nuncijs cum Papa egit, vt Cardinalitium honorem ſibi impertiret, & authoritatem Poli legatinam in ſe transferret. Cui petitioni Pontifex pro odio quo Polum proſequebatur libenter annuit, habens etiam in animo, illum Romam euocatum, hæreſeos reum agere, & eodem modo tractare, quo poſtea Moronum Cardinalem Poli amicum ſummum, quem in carcere quo ad ipſe vixit detinuit. Hinc ſpem bonam conceperat Gardinerus, Archiepiſcopatum Cantuarienſem conſequendi, quem Polus velut ſequeſter hactenus tenuit, neque vivente Cranmero aliter ingredi ſuſtinuit. Hoc igitur callido conſilio Gardinerus putatur à ſupplicio Cranmerum reſeruaſſe, ne Archiepiſcopatum Polus ipſi præriperet. Cæterum iſta Wintonienſis ille dum totus meditatur, morbo articulari à pedibus cruribuſque ad coxendicem aſcendente, Nouemb. 12. extinctus eſt, & magna cum pompâ in eccleſia ſua Wintonienſi poſtea ſepultus. Hoc anno Octob. 25. Carolus V. Imp. cum imperio & regnis ſuis abdicare decreviſſet, Bruxellis, quo antea conventum indixerat, omnibus regnis & ditionibus ceſſit Philippo filio, quem Neapolis ac Siciliæ Regem antea declaraverat.

Iulius III. Papa moritur, Paulus IIII. ſuccedit.

Gardinerus galerum purpureum ambit.

Moritur.

Caroli V. abdicatio.

ANNO

Digitized by Google

ANNO CHRISTI 1556. REG. MARIÆ 3.&4. PHILIPPI 2.&3.

PRIMO Ianuarij, atque adeo huius anni die, Arch. Eborac. Hethus, tradito ipſi magno Angliæ ſigillo, Cancellarius conſtitutus eſt. *Arch. Ebor. Cancellarius.* Menſe Martij 11. dies continuos Cometa fulſit in 20. Libræ gradu, à 5. nimirum die ad 17. *Cometa.* Eiuſdem menſis 13. proditoris ſupplicium Londini pertulit Pſeud-Edwardus quidam, nomine Gul. Fetherſtonus, qui cum molitoris eſſet filius, ac ſtatura corporis & oris lineamentis Edwardo Regi neutiquam diſſimilis, ætate etiam conueniente; ſuperiori anno per ciuitatem Londinenſem flagris cæſus fuerat, quod ſe pro Edwardo tuliſſet. *Pſeud-Edwardus ſuſpenditur.* Nunc autem cum repetita impoſtura, ſe ipſum eſſe Edwardum clanculum nonnunquam dictitaret, & ſparſis hinc inde libellis Edwardum viuere famam diſſeminaret, vltimo ſupplicio, idque meritò affectus eſt. Proximò iam venit commemorandum, Cranmeri Archiepiſcopi Cantuarienſis martyrium & exitus memorabilis. Wintonienſi Gardinero defuncto, Polus Pontificis adhuc legatus, Iac. Brocum Epiſcopum Gloceſtrenſem, ad cauſam eius cognoſcendam deſignauit, quia Archiepiſcopum plecti Papa inconſulto nullo modo fas putant Pontificij. *Cranmerus Archiepiſcop. comburitur.* Cum Broco prædicto Oxonium vnà profecti ſunt Io. Storeius & Tho. Martinus legum Doctores, vt authoritate fulciti regia, Broco delegato adiumento atque ſubſidio forent. Quibus in eccleſiâ B. Mariæ ſuper excelſum pegma conſidentibus, Broco nimirum ſubtus locum vbi panis Euchariſticus in pixide more Pontificio ſuſpendebatur, ab vtroque latere Martino & Storeio, ſed paulo humilius, Cranmerus, Doctoris Theologi, non Pontificali amictu indutus, in medium productus eſt. Ibi monitus adeſſe non ſolum qui regiam perſonam gererent, Storeium, & Martinum, ſed Papæ etiam ſanctiſſimi Patris, Epiſcopum Gloceſtrenſem, illos quidem aperto capite & flexo poplite magna cum reuerentia ſalutauit, in Brocum vero vel oculos conijcere recuſavit, non hominis (ſicut tum ſtatim profeſſus eſt) contemptu, quem olim dilexerat, ſed ne videretur authoritati Pontificis aliquid

deferre

1556. deſerre, quod ſe nunquam facturum (in Angliâ ſ. Item, vbi nihil iuris ei eſſe contendebat) ſacramento ſe dixit Henrico Regi confirmaſſe. Multis tum verbis eorum ſinguli hortati ſunt, vt mutata ſententia ad eccleſiæ Catholicæ vnitatem redire vellet: ac monitis eorum obtemperare recuſantem, iubent octogeſimo tum ſequenti die coram Pontifice Romano comparere, id quod ſe libenter facturum Cranmerus recepit, Regina duntaxat annuente. Verum Papa, aduentu illius non expectato, ante viceſimum diem literis ad Regem & Reginam ſcriptis, condemnari & brachio ſeculari permitti iuſſit. Paucis igitur diebus intercedenribus, noua poteſtas Thirlbeo Elienſi, atque Bonero Londinenſi Epiſcopis à Papâ data eſt, vt Cranmerum tam Clericali quam Archiepiſcopali ordine depriuarent, & laico magiſtratui flammis cremandum traderent, quod Febr. 14. factum eſt. Quamdiu vixerunt ſimul hi ſancti viri, Cranmerus, Ridlæus, & Latimerus: perſcriptis literis ſe mutuo hortari ſolebant ad mortem pro Chriſtianæ fidei veritate conſtanter obeundam At ſublatis è medio reliquis duobus, & ceſſantibus huiuſmodi exhortationibus per Hiſpani cuiuſdam fraterculi vafritiem & aſſiduas ſuaſiones, labefactata viri conſtantia, diuturnioris vitæ cupiditas Cranmero irrepſit. Veniæ igitur ſpe propoſita, ea quæ ante de religione docuerat ſcripto retractauit, quod mox typis editum & euulgatum eſt. Sed parum ei profuit huiuſmodi retractatio. Nam ſiue quod Polus ab Archiepiſcopatus poſſeſſione iam amplius nollet detineri, ſiue (quod probabilius videtur) capitale quo Regina Cranmerum odio proſequuta eſt, & ob repudiatam matrem vindictæ cupiditas, quæ niſi grauiſſimi viri ſanguine ſatiari non poterat: Cum iam in certam vitæ ſpem is inductus eſſet, en ſubito ad ſupplicium raptus, magna crudelitate combuſtus eſt ibidem loci, vbi martyrij palmam quinto anteà menſe Ridlæus & Latimerus retulerant. Die ſupplicio eius deſtinato, concio ad D. Mariæ habita eſt per Colum quendam cui id muneris demandatum fuerat à Cardinale. Illuc productum Cranmerum, & è Regione ſuggeſti collocatum, hortatur, vt in fide cuius confeſſionem nuper ediderat conſtanter velit permanere ad mortem vſque quam nunc imminere denunciabat: Magiſtratui placere, vt

ṽt hoc ipſo die ſupplicium de eo ſumatur. Non alia ratione quam ſanguine eius placandum numen, ob Mori & Fisheri cædes infenſum, qui Henrico regnante capite multati ſunt. Antequam vero moriatur, rem facturum DEO hominibúſque pijs gratiſſimam, ſi conuerſionem ad eccleſiæ Catholicæ vnitatem ſinceram eſſe publica confeſſione teſtatum faciat. Tali támque inexpectato nuncio ſi Cranmerus conſternatus eſt, haud equidem mirer. Ille nihilominus exurgens, & pauoris nullo ſigno edito, luculenta oratione populum præſentem alloquitur, in qua multa de morum & vitæ emendatione præfatus, præcipua doctrinæ capita repetens, quid ſentiret breuiter explicat, atque Pontificis potentiâ Antichriſti regnum contineri & ſtabiliri dicit, ac poſtremo, quantopere DEVM veritatis abnegatione offenderit demonſtrat. Sibi igitur decretum profitetur, vt pœnam prima dextra luat qua nefariè peccauerat, quippe qua doctrinæ à veritatis aduerſarijs propoſitæ impiè ſubſcripſiſſet. In huiuſmodi ſermone cum progredi vellet, clamoribus & conuitijs impeditus Pontificiorum, quorum ſpem pulcherrimè eluſerat, & à loco in quo conſtiterat protinus ad ſupplicium raptus eſt. Ibi videre erat ſpectaculum luctuoſiſſimum, & quod, non dico ab ipſis inimicis miſericordiam extorqueret, ſed vel à ſilice lachrymas exprimeret, regni ſummum Antiſtitem, ſumma modo potentia & principum gratia pollentem, moribus ſanctiſſimum, & ob ætatem, corporis ſpeciem, eruditionem, grauitatem, atque egregias animi dotes quamplurimas ter venerabilem, obſoleta ad ludibrium veſte indutum (id enim curaverant Pontificij) conuitijs contumelioſè exagitatum, ad mortem trahi, per horrendos ignis cruciatus ſubeundam. Ad palum alligatus, vbi primum flamma accenſa eſt, læua ad cœlum erecta, dextram longiſſime protenſam igni admouit, brachio nunquam reducto, niſi quod barbam ſibi demulcere ſemel viſus, donec totà ea combuſta eſt. Flamma tandem ſæuiente erectis in cœlum oculis, Domine ſuſcipe ſpiritum meum exclamavit, & corpore nihil magis mouente quam palus cui alligatus erat ignis violentiâ immotus pertulit, donec placidè in Domino obdormiſcens expirauit. Cadauere aliàs in cineres redacto, cor integrum ac illæſum repertum eſt. Quod ſi Pontificij in ſuæ factionis aliquo com- 1556.

1556. periſſent, pro magno miraculo celebratum id fuiſſet, vt vel ſolum ſuffeciſſet ad eum in ſanctorum Calendarium aſcribendum. Contra morem hiſtoriæ liceat quæſo quæ de martyrio tanti viri à Radulpho Skinnero conſcripta feruntur carmina, inſerere.

Succubuit Sanctus Præſul Cranmerus, iniquâ
Pontificum rabie, fraude dolóque perit:
Quòd verbi inuicto deiecerat enſe Papatum,
Quód docuit pura quærere mente Deum.
Quodque Antichriſti ſubverterat impia regna,
Regna pijs Anglis heu tolerata diu.
Hinc pius & clemens crudeli addicitur igni,
Dantur & innocui membra cremanda viri.
Huc vbi iam ventum eſt, dextram proiecit in ignem
Proiectámque tenens, talia dicta dedit:
Primùm peccaſti, primùm & ſentire dolorem
Debes, ob Chriſto dextra inimica mea!
Immotámque tenet dum deflagrauerat omnis,
In cineres totam dum cecidiſſe videt.
Cæteracum pereant flammâ (mirabile dictu)
Cor manet illæſum, poſt vbi flamma perit.
Ecce inuicta fides cor inuiolabile ſeruat,
Nec modijs flammis corda perire ſinit.

Præter Cranmerum, eiuſdem cum illo religionis profeſſores quàm plurimos Pontificiorum ſæuitia flammis hoc anno abſumpſit. Vtriuſque ſexus 84. numerantur, qui martyrij palmam ſub iſtius anni curriculo igne mediante in noſtra Anglia conſequuti ſunt. Neque vero in viuentes ſolos ſæuitum: Martini Buceri & Pauli Phagij iam pridem mortuorum cadauera humo effoſſa, hæreſeos poſtulata, & magno apparatu in Academiæ Cantabrigienſis foro publicè combuſta ſunt. Petri etiam Martyris vxor, quæ Oxoniæ obierat, exhumata eſt, & crudelitate barbara ac inhumana in ſterquilinio defoſſa. Bucero & Phagio, regnante poſtea Elizabetha memoria & honores reſtituti, magna cum ſolemnitate: & mulieris oſſa à loco tam immundo in eccleſiam iterum tranſlata, cum Frideſwidæ reliquijs commixta ſunt (quam Pontificij pro ſanctâ venerantur) ne ſimili ludibrio vllus poſthac locus relinqueretur.

84. hoc anno combuſti.

Bucerus & Phagius exhumati.

linqueretur. Eodem ipſomet die quo vitam, ſic vt præfertur, finijt Cranmerus, Martij nempe 21. ordinem ſacerdotij Polus Grenovici ſuſcepit, & poſtridie, mortuo iam Nabotho, vineam eius ingreſſus eſt, in Archiepiſcopum inquam Cantuarienſem conſecratus. Triduo deinde poſtea, die feſto B. Virginis, ad eccleſiam quæ de arcubus Londini nomen habet progreſſus, multis procerum eum deducentibus, pallium Archiepiſcopale magnâ cum ſolennitate accepit. Circa idem tempus coniuratio quædam inſignis detecta eſt quorundam hominum, qui ærarium pecunia Hiſpanica bene refertum (erant ibi tunc temporis circa 50. millia librarum, id conficit aureorum Gall. 125. millia) expilare decreuerant. Nomina coniuratorum, Vdallus, Throgmortonus, Peccamus, Daniel, Stantonus, & (præter alios fugâ elapſos) Whitus, qui conſilia cæterorum ad magiſtratum detulit. Illi capti, & omnes vltimo ſupplicio affecti ſunt. Anth. Kingſtonus eques auratus (de quo anteà) tanquam huius coniurationis affinis comprehenſus, antequam Londinum adduci potuit, in itinere mortem obijt. Et hoc totum eſt quod de hâc coniuratione habeo compertum. Iulio menſe noui tumultus & ſeditionis initia maturè oppreſſa ſunt in Norfolcia, captis & punitis authoribus, Clebero quodam & Lincolnijs fratribus. Nouemb. 21. I. Fecknamus S. Pauli Decanus, Abbas creatus & inſtallatus eſt Weſtmonaſterienſis, vbi Cathedram Epiſcopalem Hen. VIII. collocaverat. Nullis tunc temporis in vniuerſa Anglia monachis exiſtentibus, Benedictinorum habitum qui cum Fecknamo ſuſcipere vellent 14. reperti ſunt.

1556.

Polus Archiepiſcopus.

Coniuratio.

Seditionis initia in Norfolciâ.

Monachiſmus repullulare incipit.

ANNO CHRISTI 1557. REGN. MARIÆ. 4. & 5. PHILIPPI. 3. & 4.

SVB initium huius anni venit in Angliam legatus à Baſilio Moſcouitarum Cæſare, nobilis quidam Oſep Napea nuncupatus, vt amicitiam inter principem ſuum noſtroſque Reges conciliaret, perpetuumque fœdus firmaret. Ad littus Scoticum is nauem fregit, & præter immenſi pretij merces, munera amiſit, quæ amoris ſymbola ad Principes noſtros à Domino ſuo deſtinata erant. Sed harum rerum omnium vilis erat iactura, ſi cum itineris Duce Richardo Cancellario con-

Legatus Moſcoviticus.

 ferantur,

1557. ferantur, qui nauclerus peritiſſimus, ad Septentrionales illas regiones primus olim viam aperuit, & nunc dum legati ſeruandi nimium ſollicitus ſaluti ſuæ ſatis non proſpexit, fluctibus abſorptus] perijt, immortali memoriâ vir digniſſimus. Legatorúm nemo vnquam (ſicut autumo) magnificentiùs apud noſtros acceptus eſt. Martij 25. in regum præſentiam deductus, cum ſeptimo antea die Philippus Rex ex Flandria reuerſus appuliſſet: cauſam adventus expoſuit, & ad tertium vſque Maij Londini moram fecit. Tempeſtatem tunc nactus idoneam, muneribus onuſtus nauem cōſcendit, & in patriam ſuam vela fecit. Martij 6. Carolus Sturtonus Baro, quòd Hargillũ quendam cum filio, quibuſcum ſimultatem diu exercuerat, in domo ſua crudeliter trucidarat, ſalutari in poſterum exemplo, Sariſburiæ ſuſpenſus eſt, vnà cum famulis ſuis 4. qui ſceleris perpetrandi non ſolum conſcij, ſed & adiutores extiterant. Poſtquam miſeris hominibus fuſte capita afflixiſſet, & iugulis inſuper ferrum adegiſſet, in ſcrobe 15. pedes alto cadauera defodit, tantum facinus clam fore ſperans, aut ſi innoteſceret, clementia fretus regia, quòd Pontificiæ religionis ſtudioſiſſimum ſe ſemper oſtenderat. Sed noluit DEVS latere flagitium tam immane, & Regina (niſi quatenus in religionis cauſâ excæcata eſt) iuſtitiæ amantiſſima, omnem veniæ mentionem auerſata eſt. Vir igitur primarius, & procerum Regni non poſtremus, huiuſmodi ſæuitiæ debitam pœnam perſoluit, in hoc tantum alijs ſicarijs & parricidis antelatus, quòd fune ex ſerico, non ex canabi, contexto, faucibus eliſis ſtrangulatus eſt. April. 24. Th. quidam Staffordus in ſeptentrionalem regni partem nauibus delatus, leui manu ſtipatus exulum & aliquot exterorum arcem Scarboroenſem (vt in pace) incuſtoditam ex improuiſo cepit, tumque per vniuerſam circumcirca Regionem propoſitis edictis, in quibus Mariam haud bono iure Regnum tenentem, Hiſpanis illud prodidiſſe affirmavit, populum ad arma ſecum capeſſendum hortatus eſt. Opera & diligentia Nic. Wootoni Decani Cantuarienſis, qui Regum nomine orator apud Gallum Lutetiæ degebat, omnia eius conſilia ſenatoribus regijs detecta fuerant, antequam is in Angliam appuliſſet. Comite igitur Weſtmerlandiô ſatagente, ſexto poſtquam venerat die captus, Londinum deductus, & ibidem

Sturtonus Baro ſuſpenditur.

Staffordus ſeditionem concitare nititur.

ibidem Maij 28.capite mulctatus eſt. Et deinde poſtridie ſociorum eius tres (Strechlæus, Proctor, & Bradfordus) proditorum ſupplicium Tiborniæ (quod patibuli publici nomen eſt) pertulerunt. Iunij 7. edictum publicè Regina propoſuit, in quo poſtquam de iniurijs ipſi à Gallo illatis multùm queſta fuiſſet, quod Northumbrio & Wiato in omnibus aduerſus ſe molitionibus adfuiſſet; quod Dudlæum & Aſthonum qui proditionum telam in oratoris eius domo pertexuiſſent, ipſe poſtea receptaſſet & adhuc foueret; & denique quod Staffordum nuperrimè nauibus, copijs, pecunia, bellicoque apparatu inſtruxiſſet, vt regio ſi poſſet ſolio ipſam deturbaret; ſubditos cunctos admonitos voluit, ne mercaturæ gratia transfretarent, aut merces quaſcunque in Galliam mitterent, cuius principem pro inimico ipſa haberet, & cui bellum primo quocunque tempore indicendum decreuiſſet. Hæc etſi vera eſſent, à belli tamen denunciatione adhuc temperatum fuiſſet, niſi quinquennalibus inducijs inter Philippum & Gallum non ita pridem pactis Pontifice authore per Gallum nuper violatis, atque ita bello inter eos oborto, à mariti cauſa ſuam diſiungere Maria noluiſſet. Nam Paulus, Cæſari iam olim infenſus, poſtquam traditis Philippo filio ditionibus & regnis ſuis, in Hiſpaniam eum ſeceſſiſſe cognouit, Gallum, cui Neapolitanum Regnum tradere promiſit, obtundere non deſijt per Carolum Cardinalem Lotharingium, donec ad arma contra Hiſpanum ſumenda perpuliſſet. Hoc igitur à Regina mariti cauſa bellum ſuſceptum Pontificem peſſimè habuit. Ideoque cum de illa (quæ reuera ſola eiuſdem cauſa extitit) vindictam ſumere non poſſet, in Polum (quem vt retulimus antea ſatis oderat) omnem iracundiæ vim effundere decreuit: eoque magis, quod Polus, qui ab ipſo Papa concitatum hoc bellum cognouerat, de eo ſedando per literas & legatos, etſi magna cum reuerentia, acriter tamen & vehementer apud eum egiſſet. Abrogatâ proinde Poli legatione, Romam eum reuocauit, eiuſque loco Petrum quendam Petoum Franciſcani ordinis monachum, Cardinalem & legatum creauit, pauloque poſtea Epiſcopum Sariſburienſem deſignauit. Quæ cum Reginæ nunciata eſſent, diligenter in primis cauit, vt Polum hæc omnia clam eſſent, prohibitis in regnum ingredi, non ſolum

1557.
Decapitatus.
Bellum Gallo indicitur.
Polo legitima authoritas abrogatur.
P. Petous Cardinalis & Epiſcopus Sariſbur.

1557. ſolum nouo illo Cardinale, ſed quibuſcunque alijs quos ſuſpicaretur mandata à Pontifice hac de re adferre, & literis magna cum diligentia interceptis, Oratori deinde ſuo Romæ agenti mandau t, vt Papam admoneret, quantum periculum religioni vixdum ſtabilitæ creaturus eſſet, ſi tanto viro contumeliam inferret, cuius authoritas ad gentis conuerſionem maximum pondus attuliſſet. Sed dum iſtis de rebus inter Papam & Reginam agitur, rem Polus (incertum vnde) ſubodoratus, ab argenteâ cruce (legationis inſigni) geſtandâ abſtinuit, neque legatinam authoritatem vſquam poſtea exercere voluit, donec Ormaneti (datarij in Anglia papalis) opera & interceſſione muneri prædicto reſtitutus eſt. Magnum interea belli incendium exortum, oppidum S. Quintini obſidente Philippo (in Morinis ſiue Picardiâ ſitum id eſt) cum 35. millibus peditum, equitum 12000. quibus acceſſerunt poſtea è noſtris Duce Pembrochiæ Comite equites mille, peditum 4000. præter foſſores bis mille. Ad id bellum gerendum nauem conſcendit Philippus Iulij 7. Sequentis deinde menſis die 10. (B. nempe Laurentio qui ſacer eſt) Galli copias in oppidum immittere ſatagentes, magno prælio funduntur, cæſis non perinde multis (nam 2500. nec amplius cecidiſſe narrantur) ſed nobilibus quam plurimis, multis etiam captis, qui ſummo loco nati ferebantur, inter quos Mommorantius Galliæ Conneſtabilis, vnà cum filio, Mompenſerius & Longeuillanus Duces, Ringrauius, Santandreanus, Rupimanius & alij quos numerare longum eſſet. E Philippianis 50. tantum deſiderati: Octauo poſt eam victoriam die, oppidum vi captum eſt, omnibus qui intus eſſent vel cæſis vel in captiuitatem abreptis. Colinius Franciæ Ammirallius, cum fratre Dandeloto, & nobilium magno numero, in hoſtium poteſtatem venêre. Ex noſtris, præter alios nonnullos, Henr. Dudlæus cecidit Northumbrij filius natu minimus, qui inter primos vel forte primus in oppidum perrumpens, glande tormentaria proſtratus occubuit. Hoc anno penuria annonæ in Anglia valde laboratum eſt, adeo vt purioris tritici 4. modij noſtrates (Buſhellos appellamus) id eſt equi mediocriter robuſti onus, plus quam 4. aureis Gallicis vænirent, noſtræ pecuniæ 26. ſolidis & 8. denarijs, cum tantam vbertatis ſubſequens menſis inuexerit, vt decima eiuſdem pretij parte ſub anni

Polus reſtituitur.

Galli funduntur ad S. Quintinum.

Oppidum capitur.

Digitized by Google

anni finem talis frumenti tantundem comparare licuerit. 1558.
Vilitatem hanc potiùs quam caritatem prædictam mihi ſubit admirari, qui illius pretij plus quam duplum anno 1597. perſolverim. Sed & illud quod mox narrabitur magis memorabile iudicarem, niſi mihi ipſi non ita pridem contigiſſet rem ſimilem meis oculis intueri. Nocte quæ Septemb. 7. ſequuta eſt, *Iris nocturna.* horis fere duabus elapſis poſt occaſum ſolis, Iris in occidente conſpecta, luna tunc temporis ante horam aut circiter exorta. Mihi quoque (ut ſimiles caſus quamvis temporibus diſparatos in unum congeram) idem genus phænomeni cernere contigit Novembris 24. 1604. quando noctu (ſol ante duas horas occiderat) iter facienti Colbrokiam verſus, 14. à Londino lapide, albicantis nubeculæ ſpecies apparuit in circuli fragmentum efformatæ, & ex adverſo lunæ tum modo exortæ ad amuſſim ſitæ, quæ Iridem veram per omnia referebat, niſi quod verſicolor non erat, & ſolis vice lunam habuit oppoſitam.

ANNO CHRISTI 1558. REG. VLTIMO.

IACTVRAM quam fecerat Gallus ad S. Quintinum amiſſis & oppido & copijs ut aliquomodo reſarciret, Caletum tentare placuit, *Caletum obſidetur.* quam Senarpontius Boloniæ præfectus haud perinde munitam ut vulgo creditum ferebat, quinimo levi momento modo paululum conniterentur capi poſſe, Regi ſpoponderat, quod etiam à P. Strozzâ confirmatum eſt, qui ementito habitu locum curioſis oculis luſtravit. Eiúſque rei Philippus Rex non ignarus, vel ſaltem conſiliorum Gallicorum præſagus, uxorem monuerat, ut huic urbi meliùs proſpiceret, opem ac præſidium ultrò offerens. Verum re aliter à noſtris ac debuit acceptâ, quaſi Hiſpanus aſtu oppidum illud Belgio ſuo vicinum intercipere conaretur, huiuſmodi admonitione nihil profectum eſt: Regis tamen augurium eventus comprobavit. In ipſis igitur Calendis Ianuarij, Guiſiæ Dux magnum trahens exercitum ex improviſo advolat, & ad vicum S. Agathæ nominatum (à noſtris vulgo Sandgate) caſtra ponit. Deinde bipartitò diviſis copijs, duo propugnacula uno eodémque momento aggreditur, (quorum unum portus impoſitum faucibus Riſbanca appellatur, alterum ad Neunamiæ pontem ſuper aggerem

Digitized by Google

1558. aggerē noſtri excitarant,qui per paluſtria aliter non tranſeunda
in urbem ducit) ut ijs captis, nec mari ab Anglia, nec terreſtri-
bus copijs è Belgio obſeſſis ſuccurri poſſet. Ea præſidio haud
ſatis firmata, à præſidiarijs re ſubita perculſis hoſti mox in ma-
nus tradita ſunt. Tum civitatis mœnibus tormenta admota,
quibus, quod inter portam Flumentanam & carcerem ſpatij
eſt primum diverberatum,non adeo ut illic aditum patefacerent,
quàm ut noſtrorum ſollicitudinem eò diverterent à loco ubi
impetum revera facere decreverant. Illam igitur partem cum
aliquandiù pulſaſſent, noſtríque nihil de arce vererentur, 15.
muralibus tormentis eam derepente concutere cœperunt, id-
que tanta vi & pertinacia, ut Antuerpiæ (quæ centum & am-
plius milliaribus inde abeſt, noſtratibus inquam) per totam
eam diem machinarum fragor exauditus fuerit. Nocte de-
mum inſtante cùm luculenta ruina edita eſſet, neque tamen ad
mœnia aditus pateret propter foſſam profundam aqua opple-
tam, in qua præcipuam urbis firmitatem noſtri collocabant;
magna diligentia vallum hoſtes ſtruxerunt, quo ad foſſam quæ
urbem cingit perducto, aquam in mare æſtu iam recedente deri-
varunt, ita ut umbilico tenus extante corpore, foſſam tranſe-
untes ad murum (id quod noſtri nullo modo verebantur futu-
rum) nemine prohibente ſucceſſerint: ubi locum propugnato-
ribus fermè vacuum offendentes, arce primo impetu potiti
ſunt, oppidúmque etiam ipſum cœpiſſent, niſi Antonius Ager
nobilis eques,cum parva manu ſe oppoſuiſſet,& donec proſter-
neretur fortiſſimè dimicans, pedem referre hoſtem coegiſſet.
Wentworthus Baro qui urbi præerat, cum eo in loco rem ſitam
intelligeret ut ſervandi oppidi iam ſpes exigua ſupereſſet, de
deditione protinùs agere cœpit,& poſt varias altercationes, in
has tandem conditiones tranſegit: ut præſidiarij oppidaníque
omnes incolumes dimitterentur, nihil omnino ſecum expor-
Caletum deditur. tantes, Wentworthus autem ipſe & cum eo 50 alij captivi re-
manerent. Vrbs ita Caletenſis in die Circumciſionis obſideri
cœpta, in Epiphaniæ dedita eſt, cum noſtri ducentis annis eó-
que amplius eam tenuiſſent. Inde ſeptimo poſt die Guineas
ducit Guiſius, & oppidum parvo negotio capit. Arcem quam
Graius Baro tenebat haud quaquam tam facilè. Sed & ea quo-
que tandem dedita eſt, prout etiam Hana caſtellum, ut iam in-

de

de ab eo tempore neque in Francia quam Reges noſtri pro parte multo maxima olim tenuerunt, (Inter cæteros, Henricus VI. regno Lutetiæ puer inauguratus eſt 1431.) neque in Normannia aut Aquitania (Anglorum Regum veteri patrimonio) quicquam hodie Principes noſtri poſſidere noſcantur, ſi Inſulas Iarſeiam & Garneſiam excipias, quæ illis à quo inter nos Normanni rerum primum potiti ſunt, fideliter ſemper paruerunt. Dum iſta gererentur in Morinis, certior facta Regina quid Gallus moliretur, ut conatus eius impediret, magnâ diligentiâ claſſem inſtruxit, & armatis hominibus complevit, qui propter adverſam tempeſtatem portu nullo modo ſolvere valuerunt. Haud temerè reperias aliud bellum, in quo manifeſtiora DEVS dederit indicia, ipſi quam non ſit cordi bellis, ambitionis aut emolumenti gratia ſuſceptis, publicam tranquillitatem interturbari. Philippus Rex (ut ab eo ordiamur) Philippus inquam in cuius caput contra ius fáſque coniuratum eſt, à Gallo Pontificéque, res ſuas duplici auxit victoriâ, utraque inſigni certe & memorabili. Caraffa Cardinalis & Paliani Dux, qui ſui compendij cauſa Pontifici deliro ſeni authores fuerunt huius incendij excitandi, eam ipſam ob cauſam à Pio IIII. qui Paulo ſucceſſit, capite poſtea mulctati ſunt. Paulus interim ipſe, fuſo apud S. Quintinum Gallo, omni præſidio ſtatim nudatus remanſit, coacto Gallo copias ſuas ex Italiâ deducere. Maria noſtra, temerariam fœderis violationem iacturâ luit Caletẽſis vrbis, quod mœrore (vt creditur) lethali ipſam anno nondum tranſacto confecit. Et Gallo qui ad Pontificis inſtigationem pactas rupit quinquennales inducias, quid apud S. Quintinum obtigerit, breuiter pro more noſtro demonſtrauimus. Deinde ne detrimentum huiuſmodi per victoriam Caletenſem reſarcitum exiſtimemus, noua clade mox perſcribenda, paucis poſtea menſibus ea certe vtcunque compenſata eſt. Ineunte Iunio, Thermius Caleti nuper capti præfectus, in Belgium prædabundus irrupit, copijs ſtipatus quæ iuſtum exercitum conficerent. Et relictis à tergo Grauelinga ac Burburgo, Dunkerkam maritimum oppidum vi cepit diripuitque, prout etiam Bergam municipium opulentũ, ac deinde vicos villaſque per eum tractũ quamplurimos, in quos magna crudelitate graſſatum, ad Neoportum vſque factis excurſionibus. Hæc cum Philippo Regi

1558.

Pugna Grauelingena.

1558. in Belgio nunciata eſſent, qui multũ verebantur ne Guiſio etiam accurrente cum copijs quas ſub ſignis habebat, vndique circumuentus in arctum redigeretur: Cum Arlouij ac Viretoni tempus eum terere videret, occaſionẽ arripuit Gallos inſolenter palantes & præda onuſtos, antequam novis auxilijs firmarentur, aggrediendi: Egmondano impigro Duci copias tradidit, qui Grauelingã veniens, iam medius inter Dunkerkam & Caletum, viam redituris Gallis obſtruere conabatur. Quòd vbi congnouit Thermius qui indies Guiſium opperiebatur, iam de receptu, ſed ſeriùs quam par erat, cogitare cœpit. Nam incluſo vndique, via redeundi nulla erat, niſi ferro & virtute aperienda. In hoſtes igitur qui iter inſederant impetum facit, quibus impreſſionem fortiter excipientibus, atrox prælium committitur: Gallis animum fecit *Galli funduntur.* deſperatio: Belgas, recentibus iniurijs irritatos, vindictæ ſitis & cupiditas ad fortiter dimicandum ſtimulabat. Dubio marte dum res geritur, in ipſo certaminis ardore, appulere forte foruna 10. naues Anglicæ, quæ procul conſpectâ pugna, cum præteruehe-rentur (nam ad ipſum littus pugnatum eſt) in Gallorum ordines tormenta diſploſerunt, tanta edita ſtrage, vt tum primum nutare cœperit acies eorum, quæ mox ſolutis ordinibus, vniuerſa profligata eſt. Partim in prælio, in fuga partim, partim in mari (nam non pauci fluctibus abſorpti ſunt) ad 5. millia Gallorũ perierunt. Capti etiã duces primarij fere omnes, Thermius, Senarpontius, Villabonus Picardiæ præſes, Annebaldus Claudij nuper Ammiralij filius, Canniæ Comes, Morvillerius, alijque quam plurimi. Ducenti viui in naues noſtrorum peruenerunt, quos illi cum in profundum mergere potuiſſent, in Angliam ad Reginam abducere maluerunt. Incidit hic conflictus in 13. diem Iulij, circa quod tempus, noſtri, amiſſi Caleti ignominiam claro aliquo facinore eluere cupientes, 140. nauium claſſem emiſerunt (ex quibus 30. Belgicæ fuerunt) iubentes Breſtam Britanniæ Armoriæ oppidum maritimum (ſi vſquam daretur facultas) occuparent. Cuius rei efficiendæ, cum Clintonus Baro, tàm vniuerſæ Angliæ quàm illius Claſſis Ammiralius, occaſionem ſperatam nactus non eſſet, ad Conqueſtum (portum in illo tractu *Conqueſtum noſtri incendunt.* celebrem) puppes direxit, vbi exſcenſionem faciens, oppidum cepit & diripuit, ac tandem etiam ædificijs igne ſubiecto concremauit, vnà cum cœnobio S. Matthæi, multiſque villis & vicis ruſticanis in regione vicina, tumque ſe ad naues recepit.

Digitized by Google

Belgæ autem qui prædæ auidiores, longiùs in terram palantes progreſſi erant, nec ſe tempeſtiuè reuocari ſunt paſſi, à regionis incolis circumuenti, ad 500. numerum cæſi, occubuerunt. Hæc circa finem Iulij menſis. Quo tempore Philippus Rex in Ambianorum finibus erat cum magno exercitu, Henrico Gallo cum multo maiori veſtigijs eius ſi quid moliretur ſemper inhærente. Fixerunt tandem tentoria, hic ad aquilonarem partem Somonæ fluvij, ille vero ad auſtralem Anthiæ, ſibi mutuo tam propinqui, vt ad prælium rem ſpectare omnes ſibi perſuaſum haberent. Verum illis animus erat longe alius. Nam Philippus viribus impar, confligere ſibi tutum non putavit. Et Henricus, milites duplici clade conſternatos, victori exercitui obijcere, atque ita res grauiter concuſſas ruinæ periculo ſubmittere noluit. Quare, caſtra ſua vtrobique tanta cura ac diligentia munierunt, quaſi obſidionem alter ab altero expectarent. Interim oborta inter eos pacis mentione, cum vterque conſideraret exercitus ſui robur ex peregrinis gentibus conſtare, qui victoriæ fructus percepturi erant, cladis autem calamitatem & onus victi ſolius humeris incubituram, aut ſaltem (quod eodem recidit) ſubditorum ſuorũ, à pacificatione adeo non abhorruerunt, vt ſtatim res confecta fuiſſet, niſi de Caletenſi vrbe controuerſia totum negotium turbaſſet. Hanc enim Galli omnimodis retinere voluerunt, Philippus autem niſi ea reſtituta à bello ceſſare, & ita vxorem quaſi deſtituiſſe videri, honeſtum ſibi non putabat. Sed totam hanc diſceptationem Mariæ Reginæ mors diremit, quæ Nouemb. 17. diem ſuum obijt extremum, de quo poſtea. Interim memorandum, nuptias (à quarum mentione hiſtoriæ contextus me abduxit) April. 28 magna cum pompa Lutetiæ celebratas inter Franciſum Galliæ Delphinum & Mariam Scotiæ Reginam. Verum haud diu ſtetit illa coniunctio. Nam biennio poſtea Franciſcus, mortuo patre Gallorum rex interea factus, diem ſuum obijt fœliciori marito thorum cedens, Henrico videlicet Leuinij Comitis primogenito, ex quibus parentibus Iunij 19. 1566. natus eſt Rex noſter ter maximus Iacobus, per prædictam Mariam Iacobi quinti nepos, qui itidem Henrici VII. per Margaretam (filiarum natu maximam) nepos fuit, & extincta Henr. VIII. ſobole, Angliæ, Franciæ, Hiberniæque regnorum hæres indubitatus remanſit. Verum vt pergamus, Totus hic autumnus morboſus

1558.

Nuptiæ Delphini cum Scotiæ Reginâ.

1558. boſus valde extitit, febribus vbique in Angliâ ſupra modũ graſſantibus, ac præcipue quartanis, vnde innumeris mortale perierunt, ſed ætate fere prouectiores, & inter eos ſacerdotum ingens numerus. Ex Epiſcopali duntaxat ordine extincti numerantur 13. qui aut paulo ante Reginam, aut poſt eam paucorum menſium interuallo, fato ſuo functi ſunt. Inter cæteros Polus Cardinalis illi diem vix vnicum ſuperſtes, quando cum eo morbi genere aliquot ſeptimanas conflictatus, ad ſummã iam corporis imbecillitatem redactus fuiſſet, Reginæ mortis nuncio, tanquam telo mortifero confixus, tertia ſequentis noctis hora expirauit. Cadauer eius plumbea capſula incluſũ, Cantuariæ in eccleſia ſua humatum eſt hoc tãtum elogio breui epitaphij vice tumulo adſcripto, Depoſitũ Cardinalis Poli. Homo is fuit egregiè doctus, modeſtus, manſuetus & moribus ſuapte natura placidiſſimis, prudens etiã, & in rebus gerendis magnæ dexteritatis, vt nihil in eo deſiderares, ſi Pontificia doctrina deprauatus, ad crudelitatẽ in veræ religionis profeſſores exercendã quaſi invitã Mineruã & genio reclamante non deflexiſſet. Regina Nou. 17. ſicut retulimus ad S. Iacobi prope Londinũ aliquot horis ante lucem exceſſit è viuis. Mulier ſanè pia, clemens, moribúſq; caſtiſſimis, & vſquequaq; laudanda, ſi religionis errorẽ non ſpectes. Verũ cum hoc vnum in cauſa fuerit vt innocentis ſanguinis tantũ effunderetur, oportuit in ea impleri illud prophetæ. Viri ſanguinum, &c. non dimidiabunt dies ſuos: Nam extincta eſt menſem agens decimum vltra annum vitæ 41. quando regnaſſet annis tantũ 5. menſibus 4. & diebus 11. cum ſoror quæ ſucceſſit, in mitiori imperio nouies tantundẽ temporis fœliciſſimè cõſumpſerit, ætatis autem illius fere duplum aſſequuta fuerit. De mortis cauſis multa variè ferunt. Vt quod authoribus haud incertis comperi perſcribam, fama eſt, amicos ſub initium morbi mariti eam deſiderio exiſtimantes contabeſcere (quem bellis adeo implicitum cernebat, vt breui rediturũ non poſſet ſperare) conſolari eam aggreſſos, & nihil non molitos quo triſtitiã excuterent & ad hilaritatẽ excitarent. Illam vero cõſolationem omnem auerſatã, & mœſtitiæ ſe totam tradentem, dixiſſe, ſe quidem mori, ſed mortis cauſam illos adhuc latere, quam ſi perſcrutari perſeuerare vellent, cor mortuæ diſcinderent, ibi Caletum inuenturos. Ita nimirum innuens, Caletenſis vrbis iacturam mœrore eam letali confeciſſe.

Card. Polus moritur.

Regina mors.

Huius

Digitized by Google

Huius doloris auctuarium credebatur Caroli Cæſaris ſoceri ſui interitus,qui Sept.21.mortem in Hiſpaniâ obierat. Iſta refrigerato iam dudum per molam iecinore (ſicut antea retulimus)in hydropem aſcitem eam ſenſim coniecerunt, quæ tempeſtiuè non agnita medicos ab initio fefellit, credentes è Philippo eam rege concepiſſe,quæ nihil niſi mortem ſuam parturiret.Ita cum matura remedia non adhiberentur,nec ipſa eam quam oporteret ſectaretur victus rationem, in febriculam incidit, quæ ſuis paulatim aucta incrementis, mortem intulit. Sepulta eſt Weſtmonaſterij,in medio ſacelli quod eſt à boreali parte monumenti Henr.VII.aui ſui,quo etiam illatum eſt & eodem in ſepulchro collocatum corpus Elizabethæ nuper Reginæ ſororis ſuæ, Mauſolæo vtrique ſuperſtructo, magnificentiſſimo hercle & tantis principibus digno, per piam Iacobi Regis noſtri munificentiſſimi liberalitatem. 1558.

ELIZABETHA REGINA 1558.

TEMPORA nunc reſtant perſcribenda Eliz.Principis,quæ quia accuratiore ſtylo dicenda ſunt,operi hîc modum dabimus, illa non tám prætermittentes,quám ad maiorem ſcribendi diligentiam reſeruantes. Interim vt lectori res noſtras ſciendi auido aliqua ſaltem in parte ſatisfiat:hæc pauca adiecisſe non pigebit.Elizabetham Mariæ modo defunctæ ſororem,Hen.nempe VIII. ex Anna Bolenia filiam, ab ordinibus in Parliamento tum forte congregatis Reginam declaratam, Nouem.17. huius anni,aliquot horis poſt ſororis deceſſū: obijſſe vero Martij.24. 1603.cum fœliciſſimè regnaſſet ãnos totos 44.menſeſq; inſuper 4.& dies 7.omnium ditionũ hæreditate ad Iacobũ VI.inclytum Scotorum Regem deuolutâ, quo nemo vnquam principũ tam bonus bono ſucceſſit, vt maiori popularium plauſu & gratulatione exceptus fuerit. Poſt Caligulas Claudios,aut poſt Nerones Vitellios,vel Othones plerique ſi nanciſcantur, actum ſecum putant præclare. At poſt Elizabethã, mortalium quenquam potuiſſe placere,mirabile videtur, & ingens documentum eſt,tam in ſuccedente Rege virtutis ſũmæ, quam in ſubditis iudicij recti ac perſpicacis.Illi ſiquidẽ Heroinæ multa inerant rara, quorum non pauca in optimis ſæpe principibus deſideramus, & quorum

Digitized by Google

1558. rum muliebrem mentem vix capacem contendunt, qui in illum ſexum paulo ſunt iniquiores, prudentia, clementia, eruditio, multarum linguarum ſcientia, & pectoris magnanimitas viro digna, quibus addo, pietatis veræque religionis flagrantiſſimum ſtudium. Hæc enimuero ipſi cum alijs nonnullis videri poſſunt communia. Quod de illa mox comminiſcemur, pace veſtuâ dixerim clariſſime Iacobe, principum flos, ſeculi noſtri decus, Britanniarum deliciæ, caret poſt homines natos exemplo, & quantum auguror in omne æuum carebit. Mulier, & ſi hoc ſatis non eſt innupta virgo, parentum, fratrum, mariti auxilio deſtituta, bellicoſiſſimam gentem, in medio inſenſiſſimorum populorum, fremente Papâ, minitante Hiſpano, occultum odium vix diſſimulante Gallo, circumſtrepentibus vicinis quotquot in Pontificis verba iurarunt principibus, Quadraginta tamen & quatuor annos eóque amplius, non ſolum in officio, ſed in pace etiam & (quod maximum eſt) in vero numinis cultu, profligato Papiſmo continuit. Hinc eſt, quód in tota Anglia tot per annos claſſicum (mirabile dictu) mortalium nemo audierit, eccleſia vero noſtra (cuius ſtatum Eliz. valde perturbatum offendit) inter florentiſſimas vniuerſi orbis iam palmam ferat, cum pauciſſimæ hodie reperiantur alibi, quæ aut ſuperſtitionibus Papiſticis turpiſſimè non inquinentur, aut opibus & poſſeſſionibus ſpoliatæ vnde veritatis doctores ali debeant, ad omne genus errorum & craſſiſſimam tandem bonarum literarum (ac ſacrarũ præſertim) inſcitiam ethnicámque denique barbariem aditum non patefecerint. His vero aut ſimilibus quorſum immorer, cùm Indis & Garamantibus ea ſatis nota ſint ac decantata? Hæc autem quando & quo pacto perfecerit, quanta benignitate amicos iuuerit foueritque, hoſtes quàm potenter contuderit, fregerit, debellarit: geſtit mihi animus enarrare, & enarrabo quandoque DEO annuente, ſi rerum geſtarum certam perfectamque notitiam, ac deinde tempus & otium ad commentandum nactus fuero, nec alius quiſpiam me potior (quod vtinam cupiam) animum ad ea perſcribendum interim appellat.

LAVS DEO.

Digitized by Google

LONDINI,
Apud IOANNEM BILLIVM, Typographum Regium. M.DC.XXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google